6
7-e
32

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 C
18

6-7.e.32

DANIELIS BARBARI IN TRES LIBROS RHETORICORVM ARISTOTELIS

*

COMMENTARIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
1544.

Assistentia Germania

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS. CARDInali Sanctorum quatuor Antonio Puccio Daniel Barbarus S. D.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVVM MVLTAE *quidem, ac illuſtres ſint artes, & facultates, quæ orationis, & linguæ curam, cultumq; ſibi uendicent: ipſa certè ratio perſuadēdi, quam Eloquentiam uocāt, maxima ſemper, & præclariſsima in ciuitatibus eſt iudicata. Nam ſiue præſtantiſsimorum hominum ſtudia, ſiue rerum optimarum uſum, ſiue gentium, & populorum conſenſum quæramus, nulla eſt ars, nulla uis, nulla exculta, & perpolita doctrina ex ijs, quæ ad orationem inſtituuntur, quæ celerius, quæ ſuauius, quæ melius rectum animi ſenſum, quàm uis ipſa dicendi aſtruere, aut excitare poſsit. Nititur ipſa rectè loquendi, rectèq; ſcribendi facultas, quæ Grammatice nuncupatur, nititur inquam efficere, ut numerus numero, caſus caſui, pars parti denique cohæreſcat. Sed quænam quæſo tanta in ea re dignitas eſſe poteſt, quæ ferè docente natura noſtros ad uſus facilè comparatur? Impellit certè, ac cogit natura nos, quicquid animo intus uolumus, id oratione, ac uoce proferre. Facilè eſt arte, ac obſeruatione tantam propenſionem, tam uehementem impulſum adiuuare. Summum illud ac planè regium eſt, paucisq; conceſſum, naturæ uim, atq; maieſtatem ſtudiorum admiratione ſuperare. Quòd ſi altius quoq; cura eadem, quæ ſermonē naturæ inſtinctu fabricata eſt, elaborarit, ut rem rei coniungeret, & quaſi naturali ſocietate ad ueritatem rerum efficeret, ut quibuſdam quaſi uinculis aſtri*

cta oratio, quid ex quaq; re ſequeretur, oſtenderet: certè hoc quanquàm magnum, & admirabile iudicari poteſt: quid tamen eſt ea re minus notum, ac peruulgatum? Quis unquã propterea tam publicis, quàm priuatis rebus conſultum melius agnouit? Quis hominum cœtus, quæ corona, quod concilium huius rei commodo inſigniter ſeſe iuuari, erigi, & cõfirmari ullo tempore prædicauit? Quin potius ſæpe fit, ut nimia uerborum ſubtilitate animi tanquam aculeis laceßiti, refugiant, cedant, & à rerum pulcherrimarum ſpeculatione abalienentur. Fuit olim, eſtq; hodie, ſemperq; futuram non dubito, multitudo maxima, quæ Sophiſticen falſam illam Dialecticæ imitatricem, ac fallacißimam oſtentatricem, extolleret: ſed ut difficile eſt Dialecticum à uulgo ſuſtineri, ita arduũ eſt à Sophiſta non penitus abhorrere. Atque id dico in ciuitatis adminiſtratione, in opportunitate dicendi, in conſiliorum explicatione, & in certißima populorum utilitate. Latet uerò tunc ille, & popularem fugit intelligentiam: ſuſpectus eſt is, nec habet autoritatem, cuius (ut ita dicam) aſpectu ſilentium, expectatio, & admiratio comparetur: quanquàm priuatos inter hominum cœtus, ac tacitas penè cõgreßiones, his artibus, & diſciplinis plurimum incumbitur. Sed hæc gymnaſiorum, & tectorum priuatis parietibus continentur, non exeunt, non prodeunt, non uerſantur in hominũ luce. At Eloquentia præſto eſt, omnibus ſeſe offert, circunſpicitur, celebratur, illuſtris, & excellens ubiq;. At in eo nunc comparatio eſt, in quo ſita eſt uis, & iucunditas orationis, in qua uereor ne Poëtæ hanc palmam de manibus præripiant Oratorum: quippe qui ſolùm id dicendo efficere conantur, ut eorum quaſi Sirenum cantu, aures noſtræ demulceantur. Et id propterea uereor, quoniam concitatos, ac propemodum furentes illos eſſe audio. quis autem non ab inſanis, & furioſis ſibi caueat? At furor is diuinus, concitatio hæc plena Deo eſt, à Deo autem nihil mali timendum. Fateor, & eos in furore ſuo permanere

manere ſino. Sed nunc non de ijs agitur, ut uideatur, quonam quiſq; animo, qua'ue ratione affectus ſit: nam & oratores con citantur, & tanquã fulmina huc, illuc rapiũt, & rapiũtur: at nõ aliunde implorato ſuffragio, non inſani, ſed ſuo certoq; hæren tes conſilio, præclariſsimis ſtudijs excitati, laudabilibus ac magnis uigilijs, & laboribus erecti, culti, & uerecũdi aſpiciũtur, non permittẽtes iacere optimos ſenſus, & inanem attolli ſonũ. Non igitur in eo modò ſumus, ut habitus conſideremus: ſed de oratione agitur, deq; eius ſuauitate, ac modo. Nihil ſane amabi lius, nihil eſt ſenſibus noſtris acceptius, quàm uoluptas, & delectatio. Sed mirum, & difficile dictu eſt, quàm celeriter faſtidio quodã, & ſatietate repleantur. Quanto unguentorũ ſuauitate, & uarietate iucũdiora ſunt in myrothecijs pleraq;, quàm in alijs locis? quæ tamen etiam ſi ſumma, & acerrima ſuauitate condita ſint, minus diu nos delectant, quàm tenuis, ac natiuus roſarum, aut uiolarum odor. Quinetiam ſi picturas inſpiciamus eas, quæ colorum uiuacitate, ac uarietate præcellunt, certè ſpecie prima mirandum in modum delectamur: ſed ſi in angulo umbra ſit, quæ horridior, & obſoleta magis appareat, & melius eminere aliquid faciat, ſimplicitas illa nos trahit, & nõ di utius in priori uoluptate nos ſinit permanere. Multũ nos cantibus delectari cognoſcimus, mollis enim, & ille delicatus numerus flexiones habet iucundas auribus, & ſuaues: At ſatietas nimia delectationem plerunq; uincit: quòd niſi certa, & ſeuera uox de iucunditate illa parũ quippiam remittat, non modò auſteri, ſed, ſi diutius progrediare, multitudo ipſa reclamat. Longum eſſet in omni ſenſu, in omni motu uidere, quàm moderatas natura diligat uoluptates, immoderatas fugiat. Credo id propterea euenire, quòd in cõcinnitate quadam, & harmonia ſint noſtri ſenſus poſiti, & collocati, à cuius temperamento, eos omnis exceſſus, & uiolentia diducat. Cùm ergo Poëtarum ſtudium nimis aurium uoluptati indulgeat, natura, non mente ſa-

tiamur. Quæ res magnos, & principes uiros ad utiliorem mo dum, & meliorem dicendi uiam excitauit, ut certiſſima nationum ſalute, & euidentiſſima rerumpubl. incolumitate, ac uitæ præſidio, mediũ inter Dialecticos, et Poëtas iter feliciſſimo gra du confecerint, æqualiter ab utriſq; dimoti, uel utriſq; potius pa riter adhærentes: cumq́; res ſuo lumine cernerentur, hi à ſermo nis ornatu, cultuq́; deſiſtebãt: cùm uerò abditæ, ac in abſtruſo penitus eſſent, illuſtrabant luminibus, efferebantq́; perſpicua quadam ſignificatione, unde illorum, qui audiebant, animi, auresq́; uſu, & iucunditate maximè replebãtur, expectatione, & ſilentio dignam facundiam illam reputantes: in qua cùm mirabiliter excellere homines uiderentur, non homines, non heroës ſed deos populis conceſſos iudicabant. Quî enim fieri poteſt, quin Dei ſimilis exiſtimetur is, qui præcipuo ſit omnibus emo lumento? qui legum maieſtatẽ tueatur? qui contumelias arceat, communes urbium morbos euellat, ſupplicium ſontibus, præmium bonis paret? ac ciuitates demum animorum robore, quaſi muro circunſeptas ab hoſtili impetu defendat? Ac mehercle cum de Ponderibus, ac Mẽſuris diſſenſio inter ciues exoritur, certa eſt lanx, certa eſt præfixa regula, ad quam omnes intuentes cedunt, acquieſcunt: & quaſi iure quodam æquabili, & tem perato conciliantur. Si de Numeris ambigunt, ſubductis rationibus non contendunt amplius: atq; adeo lis omnis iudices, ar bitrosq́; habet certos, & conſtitutos, ut ad ueritatem cognoſcẽdam, nullum ſit aliud negotium, quàm ad eos accedere, quibus harum rerum leuiorũ cura commiſſa eſt. Sed cùm de maximis rebus diſſentimus, de iure, de honeſtate, de cõmuni utilitate, ad quos quæſo cõfugiemus? Ad Grãmaticos? At hi iudices nominũ, & uerborũ, non rerũ habẽtur. Ad Dialecticos? Sed ij ſeueriores arbitri nos flagello deterrẽt. Sophiſtas nemo nõ odit. Poëtæ fori, ſenatus, & urbis dignitatẽ non tuentur. Reſtat igitur, ut ad principes Eloquẽtiæ, ijdẽ enim ſunt principes ciuita

tis, acce

tis, accedamus, qui docent, qui concitant, qui conciliant, qui re flectunt, qui leniunt, qui deterrent, qui impellunt homines ad uerum ſenſum, & à litigiorum fluctibus, contentionumq́; tempeſtatibus, ad quietem, & quaſi portum incolumitatis, & ſalutis benigno oris ſpiritu, tanquam leni aura conducunt. Optarem Præſul ampliſsime, ut Eloquentiæ laudes tibi maximas re cenſere liceret: ſed eius rei me terret inopia, cuius maximè neceſſarius mihi hoc tẽpore uidetur uſus. Nam rectè quidẽ ipſam Amori perſimilem iudico. tanta enim ueri, & honeſti amoris eſt uirtus, ut cùm aliæ res omnes, quaſcunq; homines agunt, diuer ſa mercede pendantur, ſolus Amor nullum ſibi par præmium inueniens, ipſe ſibi præmium eſt. Hæc ego eadem in laudanda Eloquentia conſiderans, maximè opus eſſe illi Eloquentia puto, qui pro rei dignitate ſit Eloquentiam laudaturus: quãdo nul la uis alia par, nulla ſit ei comparanda facultas. Quæ ſi adeo facilis non eſt, ut ſperamus, certè mirari non debemus, quoniam ne hoc quidem in alijs optimis, & pretioſiſsimis rebus accidit, ut paruo negotio, & facili cura compararentur. Eſſet autem mirum, ſi quid nobis, qui homines nati ſumus ratione, ac oratione præſtantes: ſi quid inquã nobili, & eximia oratione, omniq́; eius genere excellẽtius, et melius eueniret. Quare nõ uideo, cur, quemadmodũ uis illa, qua cernimus, & illa, qua etiã audimus, necnon et aliæ facultates, quibus rerũ uariarum diſcrimina perſentimus, ſenſus uocari ſolent, ita & eloquutio, affatusq́; tam neceſſarius, tam opportunus, tam intimus, eodem nomine nõ honeſtetur: cùm mentis humanæ uelut exẽplar, ad imitationem, & expreſsionẽ aptiſsimus habeatur, ac inter animum, auditumq́; mediam quaſi ſedem obtineat: propterea quòd eius ſenſum exprimit, huius intellectionem inducit: nam quod in auribus conceptæ rei ſignum habetur, id in lingua ſecretioris eſt intelligentiæ ſimulacrum. Quare paulum à ratione deductũ eſt orationis nomen, cuius obiecta res eſt mentis expreſsio, & ſignifica-

 tio: quam

tio: quam ſi quis decenti uerborum apparatu, & ornatu illuſtret, quod Eloquentis eſt munus, is quaſi altero ſenſu addito iucundiorem, & floridiorem reddet orationē, totamq; dictionem illuminabit, hic appoſitum pulchrum pulchro cum uerbo connectens, illic ornato principio illuſtres adhibens collationes, tantumq; colorando procedet, ut naturæ, attributa, uoces, annexa, media, fines, partitiones, diffinitiones pulcherrimæ coniunctæ, copulatæq; uidebuntur: hinc ſententiæ, modi, figuræ, ornamentaq; omnia orationis eminebunt: nec in uno tantùm genere elaborabit, ſed uel ſeorſum in ſingulis, uel ſimul in omnibus: nec dubitabit, quin cohærere inter ſe contraria illa poſſint: non enim eodem iure illa eſſe contraria ponendum eſt, quo reliqua ſunt, quæ in operibus naturæ conſpiciuntur: in iјs enim quod feruet, nunquam cum frigido coire poteſt: neq; item mors cum uita, nec dies in nocte, nec in uigilia ſomnus erit: in illis uerò maximè admirabilis, & attētione digniſſima oratio illa cenſetur, quæ repugnantibus inter ſe formis, & generum contrarietate permiſcetur: quæ res ut ardua eſt, & difficilis, ita quàm pauciſſimis conceſſa. Quomodo enim non magnum, ac laborioſum, circunductæ ac refertæ orationi puritatem, & elegantiam permiſcere? cum grauitate tenuitatem coniungere? decorem, ueniuſtatemq; in magna, & conciſa oratione tenere? uehementiæ ſimplicitatem, aſperitati delectationem, ſplendori truculētiam, contentioni humilitatem, & alia demum genera ſuis quaſi hoſtibus conciliare? Hoc ſanè excellens, hoc admirabile, hoc ſingulare in dicendo iudicatur. Nam facilè inuenies ſuum quēq; genus ſecutum, propriam dicēdi formam, ut ſingulorum natura poſtulat, poſſediſſe, ita ut hic ſuauis, ille acutus, alter grauis, alter ſonorus, alius aſper, ſubtilis alius uideatur, & ſuo quiſq; in genere princeps. Sed qui æque in omnibus his excelleret, atq; præſtaret, rarus eſt, fuitq; ſemper, ut pauci hāc ſibi laudē compararint. Sed quoniam in ea nō auriū ſolùm, ſed animi iudicio

res

res ponderantur: ideo rectè fiet ſi Eloquētiam cum ijs artibus conferremus, quæ in rerū peruestigatione, & cognitione uerſantur, in qua tanta uis ineſt, tantus apparatus, tantumq; optimarū artium ſtudium, ut nulla ſit diſciplina, nulla ſcientia, quæ maiori ambitu, & ampliori, ut ita dicam, imperio ipſa eloquentia utatur. At ne argutulus de foro rabula nos præuertat, Eloquentiam uoco facultatem, ex longa rerum animaduerſione profectam, & certa cum hominum, & rerūpub. utilitate prudentem dicendi, ac perſuadendi rationem. Cùm igitur reliquæ artes circa unám quampiam rem certam uerſantur, Medicina circa ſalutaria, & noxia, Geometria circa magnitudines, Arithmetica circa numeros, Phyſica circa motus: ipſa uis Oratoris, ac profeßio bene dicendi, hoc ſuſcipere, ac polliceri uidetur, ut in omni re, quæcunque, propè dixerim, poſita ſit, quicquid erit in quaq;, quod probabile uideri poßit, elicere ſciat, atq; perdiſcere. proinde merito ſolent aſſerere ius oratoriæ facultatis nullo rerum genere definitum, nullis terminis circunſcriptū eſſe. Quò fit, ut nemo eſſe queat omni laude cumulatus Orator, niſi ſit omnium rerum magnarum, atq; artium ſcientiam conſecutus: ita ut eius laus ex reliquis laudibus, eius uirtus ex reliquis uirtutibus, eius notitia ex reliquis alijs notitijs effloreat, & redūdet: & quemadmodum apes ex reliquis florum ſuauitatibus fauos efficiūt, ita orator ex omnium optimarum rerum apicibus ſuos faciat, paretq; fructus, quorum ubertate, & copia gens omnis ſuauißimè perfruatur. Nam cum deceptio, & fraus in ſimilibus rebus commodè fiat, de dißimilibus enim iudicium facilè fit: cumq; ſæpe uſu ueniat, ut ab altero cōtrariorum, ad alterū trahere auditorem ſit opus, quo nam modo quæſo id aptè, ac concinne facies, niſi latenter per ſimilitudines rerū, quaſi per occultas ſemitas in contrariam partem rapiamus eos qui audiūt? ut non prius ſe in noſtram à contraria ſententiam deueniſſe cognoſcant, quàm perſuaſi, & uicti ſuccumbant? At hoc tam ma-

Eloquentia quid.

gnum, tam egregium munus quis præſtabit, niſi qui rerum naturas, ſimilitudinesq́; cognoſcet? Sed cùm rerum uis, ueritasq́; ſapientiæ lumen ſit, profectò illuſtrari ſapientia ſumma orator debet, ut ſummus, & admirabilis omnibus uideatur. Quid? non'ne aut iratos ſedare, aut quietos concitare, aut à contrarijs motibus ad contrarias affectiones deducere interdum neceſſe eſt eos, qui adſunt? quamobrem permotiones animorum ita perdiſcet, ut quænam quæque ſit, qualisq́;, ſciat oſtendere: & quibus ex cauſis, & qua ratione, quò uelit hominum mentes poßint impelli, optimè, & promptißimè teneat: quæ res ciuili ſcientia continetur, cuius Eloquentia quaſi ſoboles, & propago eſt quædam. Latior eſt de omni uirtutum genere Oratori campus, quàm ut dici, explicariq́; à me in præſentia poßit. Nam & ſe, & eum, pro quo dicit, talem eſſe oſtendere debet, ut dignus uterq; habeatur, cui fides, cui dignitas, cui autoritas inſit. Deficeret ſanè tempus, ſi in omnibus commorari uellem: nam quis non uidet ad Eloquentiæ, ut ita dicam, ſolium artes omnes, & facultates, ſcientias, & diſciplinas unanimes conuenire? ſua quaſq; tributa perſoluere? huic tanquam reginæ copias ſubminiſtrare? hanc eas libētißimè admittere, munera earum ſuis in theſauris collocare, collata exornare, & regio quodam ſplendore penitus illuſtrare? Hæc igitur in ciuitate Præſes egregios uiros admiſit, Platonem, Ariſtotelem, Iſocratem, Demoſthenem, Tullium, Craſſum, Hortenſium, & multos demum in omni ætate ſuſcepit, Leonardum Iuſtinianum, Hieronymum Donatum, Franciſcum, & Hermolaum gentiles meos, abſit modò aſſentatio, noſtris tēporibus enutriuit. Quare quis nam eius laudes commemorabit? quis ceſſabit? quis non accelerabit? curret? uolabit ad eius ſedē, ſceptrūq́;? cuius auſpicio tuti, tectiq́; nos, noſtrosq́; omnes amicos, hoſpites, ſocios, ciuesq́; tuemur, ornamus, honeſtamus, & confirmamus? Quare præter multa, & præclara ingenij, doctrinæq́; monumēta, quæ

ad alend

ad alendos, inſtituendosq́; animos poſteritati reliquit Ariſto-teles, ne quicquam prætermitteret, in quo eius ingenium, & iudicium commendari poſſet, animum ad artem dicendi conficiendam, & conſcribendam adiecit. Cumq́; optimi, ac præſtantiſsimi cuiuſq; uiri præcepta, tanquam diſperſa membra unum in locum, uelut corpus, coēgiſſet, tam uenuſtum, et pulchrum totius artis ſimulacrū effinxit, expoliuitq́;, ut ueteres omnes in ea re ſumma omniū admiratione, tum ordine, tum copia, tum breuitate ſuperauerit. Nec certè aliter ab eo fieri poterat, qui prius philoſophiā inſtituerit uniuerſam, tanto, ac tam mirabili rerū omnium contextu, ut parētem naturam non alio in ijs generandis, ac ipſe in ijſdem docendis uſam fuiſſe poſtea cōpertum eſt. Vnde fit, ut illud polliceri de homine illo nobis poſsimus, quòd ſi ſulcos (dicam liberius) ingeniorum noſtrorum aureum eius eloquentiæ flumen irrigabit, nunquā nobis lætam, atq; uberem facundiæ meſſem defuturam: quandoquidem in illuſtri, & conſpicuo quodam loco, tanquam Minerua illa in arce, collocata ſit ab eo omnis dicendi uis, & ratio perſuadēdi: ut facilè quid tota, quid pars quæq; illius præſtet, diſcerni queat. Nulla enim pars, nullum eſt membrum, quod uel alteri parti, aut membro, uel uniuerſo corpori non conueniat. Sed omnia inter ſe tanta conſpiratione conſentiunt, ut ad uenuſtatem, & dignitatem totius corporis nihil omnino deeſſe uideatur. Quid uultus memorem illius? quid amictus ornatiſsimos, quid uirtutes maximas oſtendam? Modò enim acerrimo leonis aſpectu ſontes, & noxios infeſtat, modò uirginali pudore ſuffuſa, probitatem, fidem, beneficentiam, animi celſitudinem, & uirtutes alias quaſi flores colligit, & pulcherrimas laudū corollas cōtexit. Interdum autem ſplendidiſsimas ueſtes circumplicans, attentionem, atq; admirationem cōſulentium uenatur, & maturitate quadam os aperiens, grauiſsimas de fide publica, de fœderibus, de uectigalibus, de prouentibus, de religione ſentētias profert: atq; omni

in re

in re ita ſe probam, & morigeratam præbet, ut omnium gratiam ſibi facilè compareт: à nullo eius ſocietas recuſetur, ſed grata ſemper, iucunda ſemper & expectata ſit omnibus. Quæ omnia cum Ariſtoteles ea mentis acie peruidiſſet, qua rerum cauſas, ortus, uices, interitus, et motiones intuitus eſt, audiſſetq́; alios propterea illuſtres haberi, & præſertim eos, quos honeſtè æmulabatur, nõ potuit æquo animo ferre illorum inſcitiam, qui hæc omnia uel temeritate, uel caſu, uel leui, & rudi exercitio, non arte, ac præceptione contineri putabant. Scripſit ergo de arte, & ita ſcripſit, ut poſt eum nemo quicquam addere ad eius præcepta ſit auſus. Cùm igitur tanta ſit eloquẽtiæ laus, tam probatus, & bonus præceptor, tam optatus à Latinis liber, uoluit Hermolaus patruus meus magnus hunc Latinitate donare: in qua quidem re, quid ipſe præſtiterit, aliorum ſit iudicium. Illud certe nunquam inficias ierim, æquũ me æſtimare, ut non modò rei illius, ſed & gloriæ, & laudis quãtum poſſum, hæres eſſe dicar. Nam Cõmentarios edidi in eos libros, quos ipſe traduxit, ut eius me præſidio communirem, & meo labore (ſiquid efficerem) ciues meos, & reliquos adiuuarẽ. Siquid ergo profecerim, immortali Deo habebo gratias: ſi ſecus acciderit, ut certè fieri poſſe metuo, in hoc quæſo ne quis diligentiam, non ſtudium, nõ uigilias defuiſſe putet: ſed ingenij imbecillitati meæ adſcribat: quam ut etiam non mediocriter ſubleuarem, confugi ad te Præſul ampliſsime, tuiſq́; auſpicijs me ipſum credidi. Cumq́; debuerim cogitare, quonam pacto tuis immortalibus in me beneficijs ſatisfacerem, res ipſa ſuaſit, ut iterũ ad petẽdum, iterum ad orandum uenirem. Dibebam certè non Eloquẽtiam à tot uiris illuſtribus celebratam, ſed te, cui plurimũ debeo, laudare. Debebam non Ariſtotelem cõmendare, ſed tua in me merita grato animo recenſere. Cumq́; de me ipſo, ac patruo tacere liceret, de tuis certè uirtutibus dicere res ipſa monebat. Sed quoniam iudicaui liberalitatis uim maximam ſemper eſſe, ut

quanto plura concedit, tanto maiora uideatur accipere, decreui hoc nouo ingenuitatis genere beneficentiam tuam illuſtrare. Tuæ igitur ampliſsime & doctiſsime Præſul partes erunt, ut quando ad te unum in primis confugi, cuius ope, ac præſidio in publicum prodirem, tu me unum ſuſcipias, tuis auſpicijs ſubleues, tuo me ſacratiſsimo (ut ita dicam) ueluti Mineruæ peplo cõtegas. Hoc enim totum tuum eſt, animus liberalis, & magnus, idemq; probitate, religione, fide, & conſtantia munitiſsimus, & ornatiſsimus: ab eo quicquid prouenit, id omne gratũ, laudabile, honeſtum, ſanctum, inuiolatũ, & incorruptum prouenit. Quare fit, ut nemo te ſemel uiderit, & alloquutus fuerit, qui non ſperet de te aliquid aliquando audire, quod maximis tuis uirtutibus, & meritis reſpondere queat. Sed hæc hactenus, & tempus eſt, ut Ariſtotelem audiamus. Vale.

DANIELIS BARBARI COMMENTARIA IN TRES LIBROS RHETORICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

CVM *inſcriptionem lectio probatiſsimi teſtimonij fide cõfirmet, nemo eſt qui dubitet, quin proprius, & legitimus horum librorum autor, & magiſter ſit Ariſtoteles. Ordo primùm ac ſeries admirabilis, tũ breuitas & ſtylus, deinde rerum inuentio propè diuina, & ſingularis efficiunt, ut etiam ſi nullum*

ſi nullum operi ſit nomen inſcriptum, non alius tamen autor, quàm Ariſtoteles horum uoluminũ cognoſcatur. Sed cùm nos inſcriptio moneat, lectio excitet, ſtudium quoque hominum præclarorum inflammet, quid ceſſamus? quid expectamus? cur non accurrimus? celeramus? ferimur? hoc certè tam graue, tam illuſtre, tam magnificum nomen nos ad labores, uigilias, & ſudores mirum in modum excitauit: & eos etiam excitare debet, qui rerum optimarum, & pulcherrimarum ſtudium perſequuntur. Agitur de arte dicendi. Treis hoc negotium partes habet, illuſtres quidem & amplas, ſed portiones plures. Ars dicendi Græcè Rhetorica nuncupatur, ea eſt facultas perſuadendi. Perſuadetur porrò his tribus, Docendo, Permouendo, & Conciliando: quare factum eſt, ut principes huius facultatis rationes tres ſint, ſed ratio facilis & expedita in hoc ſita eſt. Omnis dicendi facultas ita mentes humanas deducit, et flectit, ut Medicina partes, & membra corporum noſtrorum. Qua ratione fit, ut rectè admoneat nos Plato, eundem haberi Medicinæ, ac Rhetorices modum: quoniam in utraque facultate ſubiectæ rei uis, & natura diuidẽda eſt, in altera quidem corporis, in altera uerò animæ, ut non uſu quodam rationis experti, nec leui cura, ſed arte, & ratione corpori ſanitatem medicamentis, animæ rectum ſenſum dicendo inducere ſtudeamus. Sed ubi cognita & diuiſa utriuſq; rei natura fuerit, ſtatim peruestigare oportet, quid à quoq; pati, et quid in quodq; efficere poßit: quo poſito nihil erit amplius dubitandum, quin quod uolumus, aſſequamur. Ac ut Medicos omittamus, Oratores certè id obſeruare debent: namq; horum uis admouetur ad ſenſus animorum, atq; motus uel inflammandos, uel etiam extinguendos: quod efficient nunquàm, ſine diligentißima perueſtigatione earum omnium rationũ, quæ de naturis humani generis à Philoſophis explicãtur. Quæ res cùm ita ſe habeat, neceſſe eſt ut primo loco Anima ſit, ſecundo Res, tertio ponatur

Oratio,

Oratio,quarto Actio ipſa et Pronuntiatio collocetur.Qui ergo ſcierit, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis in quanq; partem moueātur, is totum genus complectetur,& oratoris nomen adipiſcetur. Nos animæ partes,affectiones & attributa,primùm breuiter percurremus: deinde illam connexionem rerum ac uerborum, quantum res poſtulat,oſtendemus. Anima ergo una eſt,ſed partes habet,et affectiones plures. Partes intelligo uires, & facultates agendi quicquam:ſed Affectiones uoco perpeſsiones,et motus, nos primum de uiribus,deinde loquemur de perpeſsionibus. Vires aut à natura,aut ab appetitu,aut à mente denominari ſolent. Naturæ uis alendi,& uis ſentiēdi referri ſolet.De ijs nihil hoc loco dicemus,quoniam in ijs, neq; uitium neq; uirtus, neq; ſcientia,neq; ineſt opinio, ſed una omnium domina uiget Natura, quæ unius modi ſemper, ac ſibi ſimilis æterna lege proprias cuiq; generi actiones conſeruat. Animæ uis quædam appetens eſt,qua quidem ipſa fertur in aliquid,uel incitatur:ſed illud aliquid, uel id intelligitur, quod ratio, & mens oſtendit: uel id, quod ſenſus temerarius expoſcit. In priori loco Voluntas eſt poſita,in poſteriori duplex Ratio:namaut irarū fluctu æſtuat, aut cupiditatum illecebris cōmouetur. Hinc illud, quòd homo cum unus ſit,duos habet conſultores, Iracundiam,& Cupiditatem,in quibus uoluptas ineſt,& dolor. Accedit ratio quidem media, quæ alio nos modo mouet, quàm uel ira, uel cupiditas. In uoluntate uirtutum maxime omnium Iuſtitia collocatur:Cupiditas fertur in id,quod ſuaue,& iucundum eſt, & à contrario declinat: quæ ſi ratione gubernetur,temperantiam,liberalitatem,ueritatem,benignitatem & urbanitatem parit. In Temperantia eſt abſtinentia,ſobrietas,pudicitia,caſtitas,& parſimonia.Si uerò effrænis et præceps libido feratur,perditi,profuſi,arrogātes,ſordidi,illuſores,blandi,ſcurræ,moroſi,& acerbi euadimus.Ratio par in Ira eſt:ea ſi rectam ſententiā ſequatur,ad

tur, ad magnificẽtiam ſtimulat nos, & ad animi celſitudinem, & ad morum facilitatem deducit: ſi non obtemperat, aduerſis uitiorũ fluctibus agitata, modò timet, modò audet, interim abiecta, interim elata, ſæpe nihil cõmota & quaſi ſtupida omnem uitæ turpitudinem gignit. Atq; hæc de Appetitione ſatis. At uis animi, quæ Mẽs nominatur, ſi ſuſpicit, & attolit uim ſuam, uel ſapientia, uel ſcientia, uel recta opinione decoratur, & inſignitur: ſed ſi humaniori fronte res humanas, & actiones hominum aſpiciat, prudentia, & arte nititur: prudẽtia iudicabit, continebit, diriget, moderabitur, & perſiſtet, cautione, experientia, docilitate, ſolertia, ratione, memoria, prouidẽtia & intelligentia. His ita poſitis, primum eliciemus, cur triplex Oratori ſit ratio perſuadendi. Poſtea totius operis diuiſio exponetur. Quanquàm igitur multa ſunt genera perſuadendi, tria tamen oratoribus relinquuntur. Perſuademus autem factis, & uerbis: & factis perſuadere ſolent, qui autoritate præcellũt, ad quorum imitationem nos ſtudia noſtra conformamus, & illud contendimus efficiendo conſequi, quod efficere eos cernimus. Verbis autem perſuadet orator. Perſuadere nihil eſt aliud, niſi opinionem inducere. Opinio in mente reſidet, in qua etiam ſcientia collocatur: ſed hanc Philoſophus, nõ Orator parat: cauſa eſt, tum is qui audit, tum res ipſa, tum etiam tempus: auditor enim non eſt ſatis idoneus, ut magnis de rebus, tam breui tempore, quale eſt Oratori præſcriptum, uel doceatur, uel certus fiat: quare in opinionem quandã rectam deducẽdus eſt. Quemadmodum igitur ſcientia ueritate inducitur, ita opinio probabilitate. Vt ergo opinionem inducat, neceſſe eſt, ut eos dicendo excitet conſultores, quos in animis noſtris natura poſuit, & inſigniuit: Mentem ſcilicet, Iracundiam, & Cupiditatem, quibus quaſi neruis, quò uelit nos pertrahat, & deducat. Docendo igitur mentem mouebit, conciliando cupiditatem pertinget, concitando iracũdiam exuſcitabit. Et quoniam mens ſublimior uis eſt,

uis eſt, quàm appetitus, idcirco in mente deducenda requiretur acumen, at in appetitione uel uis, uel lenitas erit: uis in cōcitando, lenitas in cōciliando ponetur: nempe illa pars, in qua iracundia eſt, ea ratione nos mouet, ut quodam quaſi impetu feramur: è contrario cupiditas, lenit enim, & demulcet nos ſuauitate quadam in animos illiquefacta, quare in ea lenitas poſtulatur. Cum igitur his tribus modis anima noſtra interius excitetur, neceſſe eſt, ut res quæ extrinſecus adhibentur, cuique parti reſpondeant, & ita reſpondeant, ut modo illo extrà moueant, quo mens intus ſolet moueri. hæ igitur tres animæ partes, effecere ut Rhetorica etiam tribus partibus abſolueretur. Treis ergo libros habemus: in primo eſt ratio docendorum: in medio uis mouendorum, in ultimo regula conciliandorum hominum collocatur. Sed nos de affectionibus, de generibus orationis, deq; actione ſuo loco dicemus. Cæterùm hæ partes duo neceſſaria ualde requirunt, Inuentionem ſcilicet, & uſum. In inuentione poſita eſt copia, & ſupellex, unde conciliare, mouere, ac docere ualeamus. Aperit enim inuentio æternos eloquentiæ fontes. Vſus autem res inuentas tractando accommodat, & omnes uberrimo & perēni maximè fluuio irrigat. Sed quia plurimus dicendi uſus in rebus publicis, & in ciuili adminiſtratione conſumitur, ideo rerum inuentio ad Rhetoricen pertinens, ad res publicas accommodatur. Publica præcipuè ſunt, iudicia, deliberationes, & demonſtrationes rerū: quare diſtinguuntur genera cauſarum, priuſquam doceamur quicquam de inuentione, ut ad ſingula copia nobis ſuppeditari poſſit. In primo igitur libro, in quo de docendis auditoribus pertractatur, duo inprimis facit: Proœmio utitur, & Narratione. Narrationem hic uoco inſtitutionem, & opus. de narratione uel inſtitutione poſt Proœmium dicemus. Proœmium octo partibus abſoluitur. Duabus primis ars confirmatur contra eos, qui nullam eſſe dicendi artem credidere. Tertio reprehenduntur ij,

qui eſſe quidem artem putabant, ſed cùm de illa tractare inſtituiſſent, non eius uim, & naturam, ſed appendices quaſdam, & adiectiones ſequebantur. Huius rei occaſione quarto loco de legibus ſanciendis, iudicijsq́; ferendis parum digrediens loquitur: oſtenditq́;, in omni Repub. utiliſsimum eſſe pauciſsima iudicio, & poteſtati magiſtratuum relinqui. Mox reuerſus colligit ea, quæ dixit, & eos reprehendit, qui & artem fatebantur, & de arte ſcribebant, ſed uberius, & fuſius de ijs dicebant, de quibus minus, & preſsius dicere debebant. Sexto loco declarat abſolutam huius artis notitiam non haberi, niſi cognita dialectica ratiocinatione. Septimo Rhetorices utilitatem. Poſtremo eiuſdem officium, finemq́; demonſtrat. Quibus rebus ſtabilitis, & fixis, rē ipſam aggrediemur. Interim quæq; capita ſeparatim exponemus, præter illa, quæ mutuam quandam connexionem habent. Quoniam uerò cum Ariſtotele agitur, hoc eſt, cum perito, & maximi iudicij uiro, ideo diligentiſſimè attendendū, & maximè cauendum eſt, ne temere, aut fruſtra quicquā polliceri, aut præſtari ab eo credamus. Probaturus igitur eſſe artē quandā & rationē dicēdi, hūc in modū orditur.

ARISTOTELIS
RHETORICORVM
LIBER PRIMVS.

De ſimilitudine Rhetoricæ, & Dialecticæ. CAP. I.

ARS Rhetorica Dialecticæ tanquam ex altera parte reſpondet: nam utraq; de rebus tractat huiuſmodi, quæ modo quodam ad notitiam communiter omnium, non ad ullam certam, præfinitamq́; ſcientiam pertinent. Propterea nemo eſt, qui facultatum il-

larum

larum ſit penitus rudis:habent enim omnes cum ad exquirendum & reſpondendum,tum ad accuſandũ & defendendum uim quandam naturalem, atq; conatum.

Duo eſſe genera eorum, qui uideantur eloquentes. CAP. II.

CAeterum quidam temere,ac nulla ratione faciunt hæc: nonnulli uſu quodam, & habitu. Proinde cùm utrunq; genus reperiatur, clarum eſt, poſſe totam hanc rationẽ inſtitutione, & obſeruatione aliqua comprehendi. Nam & quamobrem affluat illis oratio,quibus facultas hæc fortuito, caſuq; prouenit, & quibus propter conſuetudinem, & exercitationem conficitur, fieri poteſt, ut conſideratum, exploratumq; habeatur. Hoc uerò complecti, & prodere,artis eſſe proculdubio fatebuntur omnes.

DANIEL BARB.

ARs Rhetorica Dialecticæ tanquàm ex altera parte reſpondet. *Capite primo oſtendit Rhetoricam & Dialecticam ſimiles eſſe: capite ſecundo oſtendit Rhetoricam eſſe artem.* Ex utroq; *tamen ratio una colligitur hunc in modum:* Idem *de ſimilibus iudicamus, quod planè patet, & ideo prætermiſſum eſt.* Atqui *Rhetorica & Dialectica ſimiles ſunt, ut probabitur:idẽ igitur de Rhetorica & Dialectica iudicabitur.Sed de Dialectica iudicatũ eſt, quòd præceptione,& arte tradatur,quare de Rhetorica idẽ exiſtimabitur.*Eſſe *autẽ ſimiles Rhetoricã & Dialecticã ratione hac comprobat. Quæ de rebus eiſdẽ tractãt, ſimilia ſunt, cõueniunt enim in re ſubiecta: Rhetorica et Dialectica de rebus eiſdẽ tractant,quando utraq; ſit de rebus illis,quæ modo quodã ad notitiã cõmuniter omniũ, non ad ullam certam, & præfinitam ſcientiam ſpectant: Rhetorica ergo & Dialectica ſimiles ſunt. Quid autẽ ſit illud, quod Ariſtoteles dixit,Modo quodam: poſtea declarat. His con-*

ceſsis probandum eſt, Rhetoricam poſſe præceptione artis con tineri, quod egregiè fiet hoc argumēto. Ratione inuenta propter quam res fieri poßit, res etiam cuius ea ratio eſt, inuenietur. Atqui ratio inuenta eſt propter quam Rhetorica ſit ars: Rhetorica igitur inueniri ars poteſt. Ratio uerò propter quam Rhetorica ſit ars, ea eſt, quòd cùm pleriq; temere, ac nulla ratione cauſas in foro dicant, accuſent, tueantur: nonnulli autem propter conſuetudinem aliquam callidius ea faciant: non eſt dubium, quin ſi quis animaduerterit, quare melius alij dicant, alij peius, id poßit notari arte, quādo ars nihil aliud ſit, quàm notatio, & animaduerſio naturæ. Vnde Cicero: Sed licet ingenijs magnis præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſequuntur, ars tamen eſt dux certior, quàm natura. Videtur autem Ariſtoteles hoc colligere per aſſumptum, & connexum, hoc modo: Cùm nonnulli agant ea, quæ pertinent ad Rhetoricam, & Dialecticam fortuito, & caſu: nonnulli uerò uſu, & exercitatione: datur ergo tertium genus hominum qui eadem artificio perſequantur. Aſſumptum patet: connexum probatur ratione iam dicta, quæ ſumitur ex eo loco, quem tertiū ponit Ariſtoteles in ſecundo huius, ubi de locis loquitur Enthymematum demonſtrantium. Atq; hæc mens eſt Ariſtotelis in hoc loco. Nec religionem eorum propterea perturbari poſſe uideo, qui dicunt, non debere nos cùm de aliqua una re pertractamus, eam ſtabilire, quoniam nullus artifex rem ſibi ſubiectam probet: nam & Dialectica ad hoc inuenta, & eius affinis Rhetorica eſt, ut & principia ſcientiarum, & ſubiecta uel inductione, uel à cognitißima quaq; re comprobētur: quòd ſi facultates hæ cæteris præſidio ſunt, multò magis ſibi prodeſſe debebunt. Hermogenes ingenioſißimus uir hoc ipſum obſeruat in arte ſua: nam definiturus Rhetoricen, quam multi in dubium ponebant, an ars eſſet, nec'ne, ſtatim ab initio ipſam eſſe artem ex obliquo declarat, hoc modo:

Cum

Cum multæ res habeãtur, & numero, & magnitudine præſtantes, quæ Rhetoricam facultatem cõſtituunt ab initio protinus comprehenſæ, mox & temporibus agitatæ, certiſſimo uitæ humanæ fructu, & in conſilijs, & in iudicijs, & ubiq;, maxima mihi, &c.

Incipiens enim per obliquum, nõ artem poſuit, ſed artis definitionem. Ars enim cõſtitutio eſt ex multis animi perceptionibus ad aliquem finem uitæ utilem ſpectans. Et Cice. aliàs artem dicit, quæ cognitis penituſq; perſpectis, & in unũ exitum ſpectantibus, & nunquàm fallentibus rebus continetur. Cùm uerò pateat naturæ animaduerſionem artem peperiſſe, manifeſtum eſt, cum omnes ſciendi ardore teneantur, inueſtigationem ſequi: ab inueſtigatione obſeruationẽ proficiſci: à qua deniq; omnis ars, & omnis ſcientia deducta eſt: ut quod prius conſuetudine, & uſu contineretur, id eſſet poſtmodum artificio comprehenſum. Quando igitur tam graues, tanq; inſignes uiri una, eademq; in re tam apertè conſentiant, eorum iure damnatur inſcitia, qui non licere artem ſuam, quadantenus firmare, contendunt. Explicata tam plena, & affluenti argumentatione, quæ partim præſumptis, partim ſubintellectis aſſumptionibus confecta eſt: res monet, ut nonnulla uerba interpretemur, de quibus quid ſentiant docti homines, dubitari ſolet: ac primum eſt uerbum, ἀντίςροφος, quod Hermolaus Ciceronem ſequutus tanquam ex altera parte reſpondentem explicauit, quanquàm aliàs obuerſariam dixit. Arabs affinem uertit. Alexander huic accedens, ἰσόςροφον quaſi parem expoſuit: in his Cicero & Alexander contraria uidentur ſentire: nam Cicero contrarietatem ponit inter Rhetoricam & Dialecticam. Arabs autem magnus ille, & Alexander ſummus peripateticus conuenientiam, & ſimilitudinem. Quæ res à multis incõſiderata fuit. Nos & Tullium, & Auerroym, & Alexandrũ recte dixiſſe tuemur, aliud, atq; aliud reſpicientes. Nam Tullius formam reſpexit: Auer-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

roys, & Alexander materiam, & rem ſubiectam conſiderauere: in forma enim contrarietas quædam ineſt: latior enim Rhetorica eſt, preßior autem Dialectica, uel teſtimonio Zenonis, qui Rhetoricam dilatata manu, Dialecticam uerò compreſſa ſignificabat. in qua quidem re oppoſitio quædam ineſt, quam eo uerbo innuit, quo etiam Virg. Reſpondet (inquit) Gnoßia tellus. Sed quoniam non abſolutè, & penitus oppoſita eſt Rhetorica Dialecticæ, remedium attulit prudentiſsimus orator, cùm particula illa, Tanquam, eſt uſus. Rhetorica'ne igitur latior eſt Dialectica? Certè, tum in uerborum apparatu, tum in rationum, & argumentorum inuentione: nam fuſior eſt promendorum argumentorum campus oratoribus conceſſus, quàm Dialecticis: hoc eſt, oratores à cõmunioribus, & quæ uulgarem magis ſapiunt intelligentiam, aſſumunt propoſitiones ſuas, unde probant, quod uolunt: Dialectici conciſis uerbis, & rebus non adeo tritis, licet probabilibus, rem ſuam conficiunt. Quam rem Cicero animaduertens, Ex altera parte, dixit, id eſt, ex parte formæ rationem dicendi reſpondere, id eſt, Rhetoricam opponi Dialecticæ, quæ ratio loquendi uocatur. Cæterùm Auerroys, & Alexander Aphrodiſæus res utriq; facultati ſubiectas conſiderantes, uidenteſq; ipſas eaſdem eſſe, & propterea inter utranq; facultatem conuenientiam cadere, ea ratione interpretati ſunt hunc locum, ut alter affinem, alter parem dixerit: ἀντίστροφος enim quaſi ἰσόστροφος eſt, quod Homeri teſtimonio comprobatur, qui ἀντίθεος quaſi ἰσόθεος dixit, quod uerbum uertit Horatius, Tydiden ſuperis parem. ἀντὶ, enim particula modò pugnam innuit, ut illud Plutarchi in de auaritia, & prodigalitate: ἡ ἀσωτία, inquit, ἀντίστροφος τῇ ἀψυχίᾳ. modò ſimilitudinem, ut illud Platonis in Gorgia: ἀντίστροφον, inquit, τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην. & quod ſimile eſt huic loco ἐπικοινωνοῦσι μὲν δὴ ἀλλήλαις ἅτε περὶ τὸ αὐτὸ οὖσαι ἑκάτεραι τούτων. Et ut oſtendatur

tur

tur etiam uerbum hoc contrarietatem quandam habere, ſequitur, ὅμως διαφέρουσι, & reliqua. Si quis ergo formam intuetur utriuſq; facultatis contractior erit Dialectica, Rhetorica fuſior: latius enim loquuntur Rhetores, ut ait Cicero, Dialectici autem compreſſius: & latior eſt oratori, quàm dialectico argumentandi campus. Sed materiem intuentibus ratio par utriuſq; conſtabit: cùm æque res omnes utriuſq; uiribus ſubijciantur. Conuenit autem huic loco Alexandrea interpretatio, quamuis nullum ſit uerbum, quo melius exprimi uis illa poſſit, quàm illud Reſpondet: in eo enim & ſimilitudo ineſt, & contrarietas quædam, & oppoſitio. Atq; hæc eſt doctorum hominum explicata ſententia. Non eſſe autem uerum illud, quod aliqui affirmant, hanc eſſe Rhetorices definitionem, hinc patet, quòd inferius ea ponetur, & nondum conſtabat, an Rhetorica eſſet ars: quare illud uerbum ἡ ῥητορικὴ, abſolutè Rhetoricen interpretarer, & nondum adiungerem illud, artem Rhetoricen. Rhetorice igitur reſpondet tanquam ex altera parte Dialecticæ, id eſt Topicæ. Duplex enim eſt ratio diſſerendi: altera in iudicandis, altera in inueniendis rebus poſita eſt. Poſterior hæc Topica nominatur, cuius munus eſt, rationem, & uiam inuenire, qua poſſimus ad omnem propoſitam quæſtionem reſpondere.

Propterea nemo eſt. Cùm facultas dicendi, & facultas loquendi, nullum rerum ſibi præfiniant genus, ſed quadamtenus de omnibus agant, conſequi iure uidetur, ut nemo ſit penitus earum rudis: natura enim ſingulis inſitum eſt, ut interrogent, & reſpondeant, quod ad Dialecticam pertinet: & pariter accuſent alios, & ſe accuſatos defendant, quod Oratori propriũ eſt. Quo fit, ut cõmunes artes, & facultates Dialectica & Rhetorica dici queant. Quid autem ſit ὑπέχειν λόγον, quod in Topicis & libris reſolutorijs ſæpe dicitur, ſatis patere arbitror: Eſt enim interrogantibus ſcite reſpondere, & quod uulgò dicitur, concluſiones tenere. Vnde Ariſtoteles in principio Top.

*Et nos quoq;,inquit iꝫonicè,cum officium reſpondentis in diſputando tuebimur,nihil ſubcontrarium dicemus.*Hisenim *uerbis præſtiturum ſeſe pollicetur,quod Gorgias,& alij ſophiſtæ ſuo tempore iactitabant:qui ponentes in ſcholis de quo quiſq; uellet audire,de omni re propoſita ſe reſponſuros pollicebantur,ut nihil ὑπ' ἐνάντιον,id eſt,latēter ſibi repugnans,ſubrepat, in quo uitio labi cogebantur,qui cum Socrate diſputabant.*

Τῶν πολλῶν, *id eſt,ex numero,& multitudine hominum quidam temere,ac nulla ratione faciunt hæc,id eſt, interrogant,reſpondent,accuſant, & defendunt:nonnulli uſu quodam,& habitu.hoc etiam Cice.in primo de Oratore dicit, Etenim cũ pleriq; temere, ac nulla ratione cauſas in foro dicant,nonnulli autem.& quæ ſequuntur. Clarum eſt poſſe totam hanc rationem inſtitutione,& obſeruatione aliqua comprehendi,id eſt,ὁ, δ'ὁποιῶν.Cicero: Sed ſi profitear,quodutinam poſſem,me ſtudioſis dicendi præcepta, & quaſi uias, quæ ad eloquentiam ferrent,traditurum.*

Veteres ſcriptores artis, ac ferè oratores omnes extra rem, & cauſam euagari. CAP. III.

SANE qui nunc de arte dicendi conſcribunt, exiguam illius particulam conſectantur. Nam, cùm probationes,(quas piſtes uocant) ſolæ pertinere uideantur ad artem, reliqua appendices eſſe,& adiectiones artis: illi tamen contrà, de ratione enim enthymematis, quod argumentorum omnium, & probationum eſt corpus, ne litera quidem ulla in eorum ſcriptionibus inuenitur. In cæteras res, quæ extra negotium adhibeantur, plurimam partem commẽtationum ſuarum impendunt. Nam odium, inuidia, miſeratio, indignatio, & reliquę id genus affectiones animi perturbationesq́; non ad negotium,ſed ad uendicandum, ac ſubeundum uarijs artibus iudicem comparantur. Quòd ſi apud

omnes

omnes nationes, ubi iudicia exercentur, ea lex habere-tur, quam nonnullæ hoc tempore ciuitates habent, ac ferè omnes, quæ bonis moribus, & præſtantibus inſti-tutis reguntur, Vt liceret nemini extra rem dicere: nihil certè illis ad dicendum relinqueretur. Omnes enim hoc partim neceſſarium in omni republica eſſe ad iudicio-rum integritatem fatentur, partim etiam ſanciunt lege, atque conſtituunt: ut Athenis in Ariopago, ubi actor mouere uetatur affectus, rectiſsima ſanè atque optima ratione. Non enim peruertendus eſt iudicis animus: quod quidem fit, cùm ad iracundiam, ad miſericor-diam, ad inuidiam commouetur, & rapitur. Certè eſt id perinde, ac ſi quis eam normam, qua eſt uſurus, obli-quam, aut intortam adhibeat. Omnino conſtat, nihil aliud in cauſa uerſari, quàm ut indicetur, demonſtre-turq́ꝫ, nuda atqꝫ inornata deſcriptione, rem eſſe, aut non eſſe: factam, aut non factam fuiſſe. Quanta uerò, & cu-iuſmodi res ſit, magna paruáue, iuſta iniuſtáue, quoad lege non eſt præſcriptum, iudicis ipſius eſt perſpicere, atque cognoſcere, non à litigatoribus doceri.

DANIEL BARB.

SAne qui nunc de arte dicendi conſcribunt. *Mos Ari-ſtotelius eſt, initio pugnam quærere, atque id eo conſilio facere, ut ipſe teſtatur in primo de Anima, ut ex aliorum dictis, quæ uera eſſe dignoſcantur, non ingratis admittat: contrà ue-rò, falſa, inconcinna, & mendoſa reijciat. Ars igitur tradi po teſt, quemadmodum diximus, obſeruatione, & notatione natu-ræ. Sed qui de arte ſcripſerunt, perexiguam ipſius particulam attigere: hanc rationis collectionem comprobat Ariſtoteles hoc argumento: Qui parum de probationibus ſcribunt, pa-rum de arte ſcribunt, in ijs enim poſitum eſt fidei domicilium. Atqui conſtat Rhetores huius temporis parum de probatio-*

nibus ſcribere: quare ratio expedita eſt, eos parum de arte ſcribere. Aſſumptum *uerò primum firmatur hoc modo:* Conſcribentes *modicum de ijs, quæ ad artem ſpectant, neceſſariò modicum de arte tractant: atqui probationes, & argumenta ad artem pertinent, reliqua uerò ſunt appendices, & adiectiones artis: conſequitur ergo, quòd qui modicum de probationibus, & argumentis ſcribunt, & plus de affectibus, & perturbatis animi motibus, modicum de arte tractent:* Nam *ſcientia quælibet tum naturam & uim rei, qua de agitur, tum proprias eius, & legitimas affectiones conſiderat.* Quicunq; *ergo artis additamenta conſiderant, cogitantes ſe abſolutam, & plenam totius artis notitiam tradere, hi neque naturam, neque uim artis uident.* Non *enim ciuilis hæc, & communis facultas in animis permouendis ita uerſatur, ut prætermiſſis argumentis, in quibus uis omnis oratoria poſita eſt, huic operi tantùm incumbat.* Siquidem *ſi afficere animos, & in contrarias partes rapere, proprium* Oratoris, *& eius artis munus foret: neceſſariò ſequeretur, ut abolita dicendi arte, huiuſmodi etiam proprietates abolerentur, & permanente permanerent.* Sed *cum ſeparatim alterum abſq; altero aboleri, uel permanere uideamus, ut in ciuitatibus bene inſtitutis apparet, in quibus nullus eſt campus oratori ad animos promouendos: manifeſtum eſt, odium, in quo concitando calumnia ualet plurimum, iram, inuidiam, commiſerationem, & huiuſmodi, non eſſe artis proprias, & legitimas annexiones.* Frequens *enim lex illa ſumitur ab* Ariſtotele, *ut conſideremus, ſi quid remaneat permanente, et abeat abeunte, id eſſe proprium.* Si *uerò nec poſita ponatur, nec abolita aboleatur, id extrinſecus ſumi.* Atq; *hac occaſione ſuis* Athenienſibus *blanditur, quod ante hunc* Socrates *in* Apologia *miro effecit artificio: qui cùm neq; uxorem, neq; liberos, neq; affines in iudiciũ ducere uoluiſſet, propterea quòd eos, qui hæc facerent, nihil differre à mulierculis dicebat, præſertim apud*

eos

eos iudices, quorum ſapiētiæ opinio maxima erat. Conſiderate iudices, inquit, atq; id animaduertite, iuſtá'ne, an iniuſta dicam: hoc enim iudicis eſt: oratoris autem munus eſt uera loqui: non enim ſedet iudex, ut ad gratiam iudicet, ſed ut ſecundum leges iudicet. Proinde ò uiri Athenienſes accedit ad ea, quæ de huius urbis exiſtimatione dicuntur, quòd nec iuſtum mihi uidetur iudicem deprecari, nec precibus quenquam abſolui, ſed docere, & perſuadere: non enim ut obſequatur iudex, ſed ut ius reddat unicuiq;, concedit, atq; ad id ſeſe iureiurādo obſtrinxit. Affectiones ergo non ſunt artis propriæ, ſicut non eſt propriū Iſocheles habere treis, ſed trianguli, ut in reſolutorijs habetur: nec ſerui ad hominem referri, ſed ad herum, quemadmodum inquit Ariſtoteles ubi de ijs agit, quæ ad aliud referuntur: nam poteſt Iſocheles aboleri, nec propterea triangulus abolebitur, hoc eſt, habere treis angulos pares duobus rectis. Quidam uerò prohibendas eſſe putabant affectiones, & concitationes animorum: quidam autem non putabant ſolum, ſed etiam re ipſa prohibebant. Similis dicendi modus in Ariſtotele, ubi definit quid ſit ſcire: Scientes, inquit, & neſcientes ſe ſcire arbitrantur: ſed hoc differunt, quòd qui neſcit opinatur tantum, qui uerò ſcit, opinatur, & re uera ſcit. Cæterùm laudabile id eſt, quod à bonis laudabile iudicatur: Atqui coërcendas eſſe affectiones boni laudabile arbitrantur, coërcere igitur affectiones laudabile eſt. Non modò hoc argumento, ab omnium conſenſu deſumpto, blanditur Areopagitis, ſed artem quoque ſuam Ariſtoteles commendat, & laudabilem facit, in qua nihil obliquum ſit: & pulcherrima utitur translatione, in qua prudens moratur, ut uerbum illud διαςρέφειν, quod alioquin aſperum uideri poteſt, leniat, et explanet: ſed in Gorgia μεταςρέφειν Plato dixit. Cicero in de Orat. Iudex tum ad lætitiam, tum ad triſtitiam eſt contorquendus. Sed antequam hāc partem abſoluam, duo mihi declaranda eſſe propono. Alterum cur argumenta prop

ta propria ſint artis huius: Alterum cur de affectionibus agat Ariſtoteles, quas eſſe adiectiones quaſdam, & prohibitas monet. Dixi Mentem eſſe, in qua ſcientia, & opinio reſidet: dixi Oratoris munus eſſe, opinionem inducere: quibus poſitis, & conceßis, iam uidetur opinio ratione induci debere, quoniam ratio ſola mentem mouet: affectus autē non mouent tantum, ſed uim quandam etiam adhibent, non ut mens opinetur, quod ratio intendit, ſed ut obſequatur, ut perturbetur, ut ſuo ſe iudicio priuet, alienam libidinem perſequatur: quare cum ars ad mentem adhibeatur, ſola ratione niti debet. Sed cur de affectibus agitur? An, ut ait Ariſtoteles in tertio, id uitio prouenit auditorum, quibus nec ſcientia, nec opinio recta induci poteſt: rudes enim ſunt ſæpe, ac imperiti, ut neq; uerū, neq; quod uero proxime accedat, intelligant, quare his tanquam funibus trahendi ſunt: unde Ariſtoteles de ornatu loquens in tertio, Huius quoq;, inquit, partis præcepta non ſunt negligenda: non quòd probem id genus, ſed quòd neceſſarium eius ſtudium putem ad uitam, erat mehercule iuſtißimum, ut nil extrinſecus aſſumeretur, nullis affectibus iudices permouerentur, nō dolore, non uoluptatibus à uirtute depellerentur, demum nō alio præſidio omnes uterentur in cauſa, quàm rerum ipſarum: cæterùm quæ aliunde arceſcuntur, ſuperuacua, & ambitioſa cenſeri. Verùm, ut dixi, magnæ ſunt uires nitidæ, atque ornatæ orationis. & quæ ſequuntur.

In omni repub. utiliſsimum eſſe, pauciſsima iudicio, & poteſtati magiſtratuum relinquere. CAP. IIII.

PLANE' in optima quaq; repub. ea ſolicitudo, atq; cura adhibenda eſt, ut omnes cauſæ, quoad fieri poteſt, comprehenſæ, & definitę ſint legibus, & quàm pauciſsima arbitrio iudicis relinquantur. Primùm, quia unus, & pauci facilius reperiuntur, quàm multi, qui beneſentiunt, quiq; ſtatuere leges, & iudicium ferre de re-

bus

us dubijs poſsint. Deinde leges ex longo rerum uſu ulta conſideratione, & penſitatione conſtituuntur: iu cia de repente emergunt, & incidunt: & ita ut difficile t, rectè perſpicere, & bene iudicare, quid nam iuſtum, t quid nam expediens ſit. Iam uerò maximum illud ſcrimen quis non uidet? Iudicium legis non ad ſingu s pertinere, ſed ad res futuras, & proinde ad uniuer= os? At ij, qui concionibus, aut iudicijs præſunt, iam de æſentibus cauſis, & inter ſingulos iudicāt. Quòd fieri oteſt, ut aut beneuolentia, aut odio, plerunque etiam roprij alicuius emolumenti cupiditate capiantur. Ita enit, ut erepta facultate dignoſcendæ ueritatis, iudici= us uoluptatem, aut dolorem ſuum ſecutis facile tene= ræ offundantur. Igitur quod dixi, prouidendum eſt, t quàm fieri poteſt pauciſsima autoritati, & libidini agiſtratuum credantur. Illud quidem neceſſe eſt fidei dicis & notioni committere, ut uideat, ita ſit, an non t: facta, aut non facta ſit res: futura, an non futura. In s ſtandum eſt iudici, quia hæc ab ijs, qui leges in ciui= te conſtituunt, præuideri, & definiri non poſſunt.

DANIEL BARB.

PLane in optima quaq; republica ea ſolicitudo. *Di= greditur Ariſtote. Ratio ab ijs, quæ dicta ſunt, ſumi po= ſt: ut enim doceat animorum affectiones nō eſſe Rhetori ne= ſſarias, declarat quid deceat legum latorem: cumq́; nonnulla nt, quæ in iure ſcripto contineantur, & nonnulla in iure non ripto, iam ponit, ad quæ nam dirigi legum conditores opor= at. Demonſtratq́; triplici argumēto, difficilius eſſe iudicium rre, quàm leges condere. Primum ſumitur à perſonis, hoc mo o: Facilius eſt inuenire paucos, qui poſsint rectè iudicare, ac ene ſentire, quàm multos: leges à paucis cōduntur, iudicia ue= ò à multis: facilius ergo eſt leges condere, quàm iudiciū ferre.*

Deinde

Deinde leges ex longo rerum uſu. *Secunda ratio à tempore promitur, ſic: Cui plus temporis ad iudicandum conceditur in iis quæ tempus requirunt, ille melius iudicat, quàm cui parum: ſed legum latoribus maior in condendis legibus eſt data uſura temporis, quàm iudicibus in iudiciis ferendis: melius ergo legum latores iudicāt, quàm iudices: Nam iudicia de repente emergunt, leges autem non item, ſed multò antè prouideri poſſunt, nam ſcripto ſanciunt quod uolunt, aut iubendo, aut uetando, quare nec inſtitui poſſunt niſi præparato ocio, nec exiguo tempore abſolui.*

Iam uerò maximum. *Vltima probatio ab iis rebus, quæ perſonis attribuuntur ita formatur: Melius iudicant, qui ſine perturbatione iudicant: Atqui legum conditores ſine perturbatione iudicant, magiſtratus uerò, & iudices perciti, & commoti iudicant: Nam legū lator in quæſtione uerſatur, cui neq; certum tempus, neq; certa perſona ſubiecta eſt: iudex uerò in cauſa uerſatur, quæ habet tempus, & perſonā præfinitam, ubi amicitiæ, neceſſitudines, odia, inimicitiæq; plurimum ualent: quare difficilime rectè iudicatur: nam iudicibus uoluptatem, & dolorem ſuum ſequentibus, quæ in omni affectione ſunt, facilè tenebræ offunduntur: plura enim homines, ut ait Cice. iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm ueritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. Leges autem in omnes una & eadem uoce loquuntur: unde non ab re dictum eſt, Legem eſſe uirum ſapientem obſtinatum. Quo fit, ut in omni repub. utiliſſimum ſit pauciſſima iudicio, & poteſtati magiſtratuum commendare. Vnde apparet Oratoris munus eſſe, uerū dicere: Iudicis, ex lege iudicare: Legislatoris, omnia multò antè prouidere. Sed & Plato in libris de Legibus omnia hæc diligentiſſimè perſequutus, hoc modo inquit: Cùm multa, & præclara ſint in*

ta hominum, maiori tamen eorum parti, multæ calamitates, uaſi diræ inſident, eaq; coinquinant, & maculāt. At ſanè quo m pacto non præclara, & bona eſt inter homines ratio iudi orum, quibus humanum genus excultum, & manſuefactum ? Quomodo quoq; nō honeſtum, & bonum erit, unanimiter terum alteri opitulari, & iuſtæ cauſæ fauere? Sed hæc quan= àm ita ſunt & commoda, & præclara, peruerſa tamen, & rpis calumnia bonum ſubijt nomen, quæ in controuerſijs ar= ïcium ſe inueniſſe iactat, quo agenda, & tractanda, ſiue ho= ſta, ſiue turpis cauſa ſit, ſuperare facilè quis poßit, & uicto= s eos facere, quibus ipſa præſidio ſit, modò adſit artis huius æmium, et emolumentum. Hæc ſiue ars, ſiue artis expers ex= citatio quædam ſit, danda opera eſt, ne in noſtra ciuitate adi m ullum habeat, ſed legum conditorem uenerata, nihil aduer s leges obſtrepat, & aliò conuerſa uires exerceat ſuas. In ſe= ienti autem libro ad iudices conuerſus, Cauere, inquit, pro ribus debet, quiſquis alium iudicaturus eſt, ne ſponte, aut in= tus pœnam, mulctam'ue falsò, & immeritò cuiquam inferat: ım iudicium, quædam uerecunda, & pudica uirgo eſſe dici= r. Pudori autem & iudicio natura odio eſt mendacium. & frà, Lege igitur ſanciatur, iudicaturum iudicem, tum iurare, m non permittere, ut litigantes iurent, aut perſuadendi cauſa bi, & generi ſuo imprecari, aut turpiter ſupplicare, aut com iſeratione muliebriter uti: ſed quod iuſtum putant, manſuetè oceant, & docentem audiant. quòd ſi ab ijs declinant, ſtatim lmoneantur à iudice, ut ad rem ipſam reuertantur. & reliqua eodem libro, quæ tum ad priuatos iudices, quos arbitros, & onciliatores potius appellare libet, tum ad publicos & ma= iſtratus pertinent. Legum uero cōditori, & cuſtodi, & ei, qui ræſtare alijs uirtute cenſetur, & munera pro ijs rebus acce= it, eſt'ne antiquius aliquid quàm uirtus, æquitas, prudentia, r temperantia? & reliqua: quæ omnia rationum & argumen

torum

torum copia ſingulari ab Ariſtotele declarantur.

Ἐξ ὑπογύου. Γύον, *membrum ſignificat, ſed non omne, at pedes, & manus: quoniam uerò quæ ante pedes habemus, uel in manibus tenemus, propinqua ſunt, ideo factum eſt, ut uerbum* ἐξ ὑπογύου, *de propinquo, & de repente ſignificet. Iudicia igitur de proximo emergunt, ita ut difficile ſit rectè perſpicere, & bene iudicare, quid expediat, & quid iuſtum ſit, quorum alterum ad iudiciale, alterum ad deliberatiuum genus attinet. Orator igitur rerum qualitatem oſtendet, iudex quantitatem conſiderabit.*

Cur genus iudiciale cultius, & plenius tractatum ſit, quàm deliberatiuum. CAP. V.

SI hæc ſunt ita, manifeſtum eſt eos, qui aliter in arte tradenda uerſantur, extra rem atque negotium uagari. Vt cùm docent, quæ exordio, quæ narrationi, quæ cæteris partibus lenocinia & illuſtramenta conueniant: profectò nihil aliud moliuntur, quàm ut iudicem circumuentum, eblanditum his artibus quoquo modo afficiant, & perturbent. De artificioſa uerò argumentandi, faciendæque fidei ratione, nihil præcipiũt: hoc eſt, quemadmodum quis præſens, & acutus in argumentando effici poſsit. Ea cauſa eſt, quamobrem cùm eadem inſtitutio habeatur, quæ ad iudiciales controuerſias pertinet, & quæ ad eas item cauſas adiungitur, quæ in conſilijs, concionibusque tractantur: imò poſterius hoc genus liberalius, & ciuilius cenſeatur, quàm id, quod in priuatis controuerſijs poſitum eſt: in iudicialibus plurimum operæ inſumunt, de altero genere mirum ſilentium eſt. Eius rei primum id cauſæ eſt, quòd in genere deliberatiuo minus expedit conquirere ad cauſam extrinſecus adiumenta, quàm in iudiciali. Deinde minus quoque patet ad fraudes, quod in conſultatione, & diſceptatione,

& diſc

uili conſtitutum eſt, quàm quod inpetitione, & re=
iſatione iudicij. Nam id genus, quod duntaxat con=
net ſententiæ dictionem, in re communi uerſatur, &
ublica, & quam iudices ſuam exiſtiment. Proinde ni=
l aliud neceſſe habet is, qui dicit, quàm oſtendere
a rem eſſe, ut dicit. Non ſatisfacit hoc in iudicio, &
ſſenſione priuata: ſed operæpretium eſt captare, &
luocare auditorem in ſingulis, quia is non de re ſua,
d aliena iudicaturus eſt. Eò fit plerunque, ut uel ſor=
bus corruptis iudicibus, uel gratiæ dantibus, ſopi=
ıtur, non iudicentur lites. Quamobrem, ut diximus,
ſtiſsima cauſa eſt, ut multis in locis lege cautum fue=
t, ne cui accerſitis aliunde præſidijs, dicere extra rem
ceret. Atque hoc Iudices illic diligenter, & conſtan=
r obſeruant.

DANIEL BARB.

I hæc ſunt ita. *Mirum Ariſtotelis iudicium hoc loco cer=*
nitur, qui cũ nihil pernicioſius eſſe reipub. iudicaret, quàm
licta ueritate, ad commouendos homines proficiſci: omni quo
teſt modo eos inſequitur, qui id tantùm curabant, quod poſ=
t animos perturbare. Nam *cùm duo genera ſint artis, quæ*
opriè genera dici debent, Iudiciale *ſcilicet &* Delibera=
uum: nam tertium quod in laude, & uituperatione ponitur,
dit Cicero, *minus neceſſariũ, quamuis ille ipſe* Ariſtoteles,
ui hæc maximè illuſtrauit, id ad duo illa coniunxerit: cùm in=
iam duo genera ſint artis neceſſaria in primis, & opportu=
t, cumq; alterum omnino reijciat animorum motus, maximè
prehenduntur ij, qui de hoc tranquillo, & quieto genere ne
rbum quidem faciunt: in illo autem perturbato, & commo=
diligentiam omnem collocant. Princeps enim locus generi
natorio tribuitur, quoniam cauſa publica, priuatæ anteſe=
nda eſt, & perfectius eſt, quod pertinet ad ciuitatem uniuer=

ſam, quàm quod priuatim ad unum ſpectat. Quare fit, ut genus publicæ cauſæ deſeruiens, quod nomine alio Concionale pro Deliberatiuo *ab Ariſtotele dici, Fabius affirmat, priuato generi, id eſt, forenſi, & iudiciali ſit merito præferendum. Reddit ergo cauſam Ariſtoteles, cur iudiciale genus uberius, & prius tractatũ ſit à ſcriptoribus, quàm deliberatiuũ, & ſimul eos, quia id fecerint, increpat. Dicunt enim illi, nihil eſſe in dicendo maius, quàm ut faueat oratori is, qui audiet, utq; ipſe ſic moueatur, ut impetu quodã animi, & perturbatione magis, quàm iudicio, aut conſilio regatur. Quæ res cum in genere iudiciali maximè poßit effici, nulli mirum eſſe debet, ſi Iudiciale genus Senatorio præferẽdum eſſe duxerimus. Hæc erat eorum ratio. Hanc Philoſophus in eoſdem retorquet, ac proprio telo eos tranſuerberat. Nam ſi placet iis illud genus præferri, in quo, quod maximè laudant, exercere poſſunt: placeat quoq; illud, quod magis eſt laudandum, quàm id ipſum, quod laudant, cæteris omnibus anteferri, Cauſam ſcilicet, & Genus publicum, quod πολιτικώτερον uocat, quod Ciuilius interpretatur Hermolaus, à quo uerbo abſtinuit Cicero in ſecundo Epiſtolarum. Ciuilius ergo genus hoc quàm illud habetur, id eſt, communius, eò quia ad multos pertinet. Iudiciale autem priuatum eſt cauſæ genus, quoniam de priuatorum rebus efficitur. Sed quia in eo perturbatrix eloquẽtia plus ualet, quàm in hoc, ideo factum eſt, ut qui perturbatos animi motus maximè probarent, id tantùm conſequi ſtuderent. Quod etiam in Phædro tetigit Plato, & Cicero: Græcos, inquit, homines non ingenio ſolùm & doctrina, ſed otio, ſtudioq; abundantes, uideo in portione quadam artium, neq; in uniuerſo genere elaborare. Sed unde eſt, quòd animorum permotiones, huic generi magis quàm illi adhibeantur? An quia, quod etiam Cicero dicit, qui deliberant ad audiendum ſua cauſa ſunt parati, qui uerò iudicat de re ſua minus fallitur? & in primo Offic. Sed tamen, inquit, quia magis*

ea perc

ea percipimus, atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera, aut aduerſa eueniunt, quàm illa, quæ cæteris, quæ quaſi longo interuallo interiecto uidemus, aliter de illis, ac de nobis iudicamus. In hanc ſententiam Theophraſtus etiam uenit, ut Fabius aſſerit: Ideo, inquit, Theophraſtus quàm maximè remotum ab omni affectione in deliberatiuo genere uoluit eſſe ſermonem, ſequutus in hoc autoritatem præceptoris ſui, quanquàm diſſentire ab eo non timidè ſolet, κοινότερον igitur, id eſt, tutius illud genus eſt, quàm quod eſt περὶ τὰ συναλλάγματα, id eſt, in priuatis contentionibus: in illo enim minus eſt πρόεργου, id eſt, operæpretium extra rem uagari: nam κριτὴς, id eſt, qui deliberat (ſic enim hoc loco uertitur illud uerbum, ut etiam patet in primo cap. ſecundi) de re ſua iudicat: illic autē, id eſt, in iudicio, oportet ἀναλαβεῖν, id eſt, blandiri, & multa oris ſignificatione, & uultu accipere quaſi uenientem iudicem: eſt enim translatum à cane blandiēte: quod quidem in procemijs ab oratoribus obſeruatur in primis, ut iudex obſequatur, & ad gratiam iudicet: id enim maximè intendunt, & quaſi ad hunc ſcopum collimant, ut iudices non iudicent, id eſt, non reddant unicuique quod ſuum eſt, ſed quaſi cōdonent iudicia. Quare cùm id perniciosiſsimum ſit, lex prohibet nos huiuſmodi aditum pertentare. κοινότερον καὶ πολιτικότερον, uerba hæc etiam ab Hermogene coniunguntur.

Artificioſas Rhetorum argumentationes pendere ex cognitione Dialectici Syllogiſmi. CAP. VI.

CVM ergo conſtet, artificioſam dicendi rationem poſitam eſſe in argumentis, argumentum porrò demonſtratio quædam ſit (tunc enim maximè fidem argumentis præſtamus, cùm demonſtratum eſſe credimus) implet uerò uicem oratoriæ demonſtrationis argumentatio ea, quam Enthymema, hoc eſt, commenta-

tionem appellant: atque hoc certè eſt omnium argumentorum propè dixerim caput. Enthymema autem eſt ratiocinatio, & ſyllogiſmus quidam: de omni uerò ſyllogiſmo tractat Dialectica, aut uniuerſa, aut pars: Apertè concluditur, eum qui nouerit ex quibus conſtituantur ſyllogiſmi, & quemadmodum tractentur, Rationem quoque argumentationum, quæ ad Rhetores pertinet, dilucidiſsimam & cognitiſsimam habiturum: præſertim ſi eam diligentiam adhibuerit, ut non modò explorata habeat ea, quæ faciunt ad præceptionem, & inuentionem argumentorum: uerùm etiam ut ea diſcrimina teneat, quibus dialecticæ ratiocinationes ab oratorijs ſeparantur. Eſt enim eiuſdem facultatis, uidere quid in quacq; re uerum ſit, & quid uериſimile, atq; probabile: & hominum quocq; genus in eam rem aptiſsimum eſt, & capaciſsimum ueritatis, & maiori ex parte unuſquiſque coniector eſt ueri. Qui igitur iudicare perſpicienter poteſt, quid probabile, aut non probabile habeatur: idem acerrimè iudicabit, quid uerum, aut non uerum in ſingulis rebus ſit.

DANIEL BARB.

CVm ergo conſtet & artificioſam dicendi rationem. *Si quæratur à Iudice, quid nam ab Oratore deſideret, ueritatem'ne, an potius uiam, quæ ad ueritatē ducat: credo ipſum, modò ſanæ ſit mentis, ita reſponſurum: Veritatem inquam ego rebus omnibus præferendam iudico, ueritatem amo, ueritatem mihi dicas. Cùm igitur probationes efficiāt ueritatem, affectus uerò ad ipſam dirigant, modò ad id inſtituantur: certum eſt, quod antequàm delectationis uenenum iudex imbibat, mallet rem ipſam tenere, quàm modum quo ea comparatur. Quare futurum oratorem monet Ariſtoteles, ut dialecticæ operā det: nam ſi quis eius præceptis imbutus fuerit, facile poterit ueritatem cert*

em certis indicijs, & notis oſtendere, fidemq́;, & rationem ſo idam inuenire. Hoc præcepto nos etiam Plato admonet, cùm licat, magnas artes exercitatione Dialecticeſ, & contempla= ione indigere: nam uis efficax ad omnia perficienda, & mẽtis ublimitas, à rerum ſublimium ſpeculatione, & dialectica eru= litione oritũr, & emanat. Vnde in maximos errores ob impe= itiam Logices ueteres incidiſſe multis in locis teſtatur Ariſto eles. Iis tamen non ſuccenſendum, ſed ignoſcendum eſſe Plato ffirmat, ſi ob ignorationem Dialecticæ ſic affecti ſint, ut ha= entes ea, quæ artem præcedunt, habere ſe artem facile credãt. Hinc Ariſtoteles gradatione quadam probat, artificioſam di= endi rationem, quæ argumentis innititur, in quibus eſt funda= nentum, & baſis oratoriæ facultatis, pendere ex notitia dia= ectici ſyllogiſmi. Quod autem dicit huiuſmodi eſt: Artificium licendi poſitum eſt in argumentis: Argumẽtum eſt demonſtra= io quædam: nam cùm demonſtratum eſſe quicquam putamus, unc maximè argumento fides acquiritur. Sed cùm oratoria lemonſtratio Enthymema ſit, quod commentationem appel= lant, Enthymema uerò ſit ſyllogiſmus quidam, deq́; omni pa= iter ſyllogiſmo, ſiue una, ſiue duabus conſtet aſſumptionibus, ractetur in Dialecticis, neceſſario ſequitur, quod qui nouerit, ex quibus conficiatur ſyllogiſmus, & qua ratione tradatur, noſcet etiam oratoriam argumentandi uim. Ne uerò deſperet aliquis ſe artem inueniendorum argumentorum cõſequi poſſe, ribus argumentis probat Ariſtoteles nos poſſe argumentandi artem comparare: cumq́; ſuperius explicauerit, quæ ſpectant ad præceptores artis, nunc meritò quæ ad diſcipulos attinent, declarat. Sed rectè res cadet, ſi cum ijs, quæ præcedunt, ea con iungantur, quæ ſequũtur: locus enim ſubobſcurus eſt, nec à mul tis intellectus. Cùm hæc igitur ita ſunt, apertè inquit conclu= dere eum, qui nouerit, ex quibus conſtituantur ſyllogiſmi, & qua ratione tractentur, rationem quoq; argumentationũ, quæ

ad Rhetores pertinet, dilucidiſsimam & cognitiſsimam habiturum, præſertim ſi eam diligentiam adhibuerit, ut non modo explorata habeat ea quæ faciunt ad præceptionem, & inuentionem argumentorum, uerùm etiam ut ea diſcrimina teneat, quibus dialecticæ ratiocinationes ab oratorijs ſeparantur. Hæc eſt cõcluſio, ſeu redditio illius gradationis, quæ, quia longa periodo continetur, ideo in ea concludenda uerbum δὴ, ponitur, & dicitur δῆλον δὴ. Solet Ariſtoteles in periodi longioris exitu his particulis uti, δὴ, ὥστε, διό. Sed illud δὴ, ſi Latini ſermonis ornatum inſpicias, uacat, ſi Græcorum morem intuearis, eleganter, & concinnè appingitur: unde rectè Hermolaus ſine illa particula dixit, Apertè concluditur. Cùm ergo conſtet artificioſam dicendi rationem, & omnia illa, quæ interiecta ſunt, poſitam ſcilicet eſſe in argumentis, argumentationem porrò eſſe demonſtrationem quandã, & quæ ſequuntur: apertè concluditur, eum qui ſciuerit ex quibus ſcilicet propoſitionibus aientibus'ne, an negantibus, ſingularibus, an cõmunibus conſtituantur ſyllogiſmi, & quemadmodum tractentur, ſcilicet qua figura, quo'ue modo abſoluantur, ſint'ne in ſumma, an in media, an in extrema, rationem quoque argumentationum, quæ ad Rhetores pertinent, id eſt, Enthymematum dilucidiſsimam, & cognitiſsimam habiturum. Dixi enim Enthymema eſſe quendam ſyllogiſmum, imperfectum ſcilicet, & inchoatum, ut patebit inferius. Sed non ſatis erit hæc noſſe eum, qui Enthymematis uti uelit: namq; hæc formam tantum reſpiciunt: quare opus eſt, ut diſcrimina teneamus, quibus dialecticæ ratiocinationes ab oratorijs ſeparantur, & qualia ſint Enthymemata. Duo ſunt in ſyllogiſmo cõſideranda, Forma, & Materies. Forma figura, & modo conſtat. Figura triplex, prima, media, & poſtrema. Prima terminum medium in maiori propriè ſubiectum, in minori allatum, & prædicatum habet: Media eundem bis prædicatũ: Tertia bis ſubiectum. Medium

uoco

loco extremitatum quoddam quaſi uinculum, quod ante ra=
ionis concluſionem bis aſſumitur. Maiorem propoſitionem,
n qua faſtigium maius eſt: Minorem, in qua minus. Faſtigium
naius intelligo, quod ratione medij de minore affertur in con=
luſione. Habet autẽ figura quælibet ſuos modos: Prima qua=
uor, ſic & Secunda: Tertia ſex. Primus primæ duabus aienti
us conſtat, & uniuerſalibus. Secundus duabus uniuerſalibus,
ed altera, id eſt maiori negãte: altera, minori ſcilicet affirman
e: atq; ut primus in uniuerſum concludit, & colligit, ita ſecun
dus: illud tamen intereſt, quòd primus ait, ſecundus negat. Ter=
tius maiorem affirmantem uniuerſalem, minorem affirmantem
habet particularem, colligit in parte, & affirmat. Quartus ma
orem negantem in uniuerſum habet, minorem affirmantem in
parte. Collectio ſimilis in qualitate eſt maiori, in quãtitate mi=
nori: negat enim, ſed non in uniuerſum: atq; ij ſunt primi ordi=
nis, ac primæ figuræ modi. Primus ſecundæ ſimilis eſt ſecun
do primæ, dummodo terminus ille medius extremitatũ conglu=
tinator in utroq; ſumpto maiori ſcilicet & minori ſemper af=
feratur, & prædicetur. Secundus ordinem mutat. Tertius mi=
norem habet affirmantem in parte, maiorem negantem in uni
uerſum, clauditur in parte, & in negatione. Quartus conclu=
dit ut tertius, ex prima uniuerſali, & affirmãte, & ſecũda par
ticulari, & negante. Sed tertia figura in parte ſemper col=
ligit, ex duabus affirmantibus, & uniuerſalibus. Primus eſt
eius modus affirmanter concludens: Secundus negãter ex dua=
bus uniuerſalibus, ſed in maiori negatio, in minori ineſt affir=
matio: Tertius, et Quartus primo eſſent ſimiles, ſi in tertio ma
ior ſumeretur in uniuerſum, & in quarto minor: Quintus, &
Sextus referrent ſecundum, ſi ille maiorem uniuerſalem habe=
ret, is, ſi ordine propoſitionũ mutato, eam, quæ in parte eſt, &
affirmat, uniuerſalem, & affirmantem habeat. Hæ igitur Fi=
guræ ſunt, & hi Modi habentur, quibus ſyllogiſmi conficiun=

tur. Sed non ſatis eſt hanc formã teneri ab ijs, qui Rhetoricam quærunt: ſed opus eſt ſcire, quæ materies apta ſit in eorum argumenta ingredi: fieri ſiquidẽ poteſt, ut figura, & modus concinnus ſit, & aptus, res tamen diſſona, & diſſentiens. Concluditur aptè hoc modo in prima figura, Omnis homo malus, omne lignum homo, omne igitur lignum homo. certè modus uerus eſt, ſed res falſa, & mendoſa: neq; enim omnis homo eſt malus, neq; ullum lignum eſt homo. Oportet igitur ut uera, & neceſſaria colligantur in ſyllogiſmo. Quare futurus orator non modò ſcire debet, ex quibus, & quomodo conſtituantur ſyllogiſmi, ſed ſcire etiam qualia ſint enthymemata, & quo diſcrimine à dialecticis differant argumentis. Differũt autem in materia: nam Rhetorices materia circa probabilia, & ueriſimilia uerſatur: Dialecticæ uerò circa neceſſaria. Sed quomodo concluditur id, ut ſcilicet cognito dialectico ſyllogiſmo, cognoſcatur et oratorius? an quia Enthymema eſt ſyllogiſmus quidam, & de omni ſyllogiſmorum genere uniuerſa dialectica tractat, ut dictum eſt? At quomodo cognoſcemus diſcrimen, & materiem eſſe diuerſam utriuſq; facultatis, uel potius quomodo fiet ut probabile, & ueriſimile cognoſcamus, cognito uero, & neceſſario? Reſpondet Ariſtoteles, & id fieri poſſe tribus comprobat argumentis. Primum à diſciplina: eſt enim eiuſdem facultatis, uidere quid in quaq; re uerum ſit, & quid ueriſimile, atq; probabile. Alterum à nobis ſumitur, & hominum quoque genus in ea re aptiſſimum eſt, & capaciſſimum ueritatis: Alterum à rebus, & in rebus plurimis ea uis eſt, ut mẽtis aciem minime fugiant, & facilè ſe percipi ſinant. Cùm igitur ea ratio in nobis, in arte, in re inſit, ut nos doceri, ars docere, res percipi poſſit: nulli dubium eſt, quin probabile, & ueriſimile quod eſt, ubi uerum ſcierimus, agnoſcamus. unde etiam Plato, Iam pridem, inquit, ò Lyſia dicebamus probabile iſtud, & ueriſimile non aliter, quàm per ueritatis ſimilitudinem fieri: ſimilitudines

autem

tem ueri ab eo, qui ueritatem nouit, aptiſſimè ubiq; reperiri ſſe aſcribamus. Vnde Ariſtoteles, Non eſt *timēdum, inquit, in iſtud diſcrimen agnoſcamus, quin probabile iſtud inue- amus: eiuſdem enim facultatis eſt uerum, & quod accedit ad rum, dignoſcere. Si ergo in rebus, in artibus, & in homini- s ueritatis reperiendæ facultas ineſt, multò magis quod ueri- nile eſt, reperiri poterit. Atq; hæc argumentis referta oratio, in qua de argumentorum ratione, & inuentione tractatur, re ipſa doceamur, poſſe nos uerum, & quod proximè ad ue m accedat, argumentando conſequi. Cicero autem non diſſi- li modo argumenta deſumpſit, ſuo tamen propoſito. Nā neq; s, inquit, tam eſt acris in naturis hominum & ingenijs, ut res itas, niſi commonſtratas, poſſit uidere: neq; tanta tamen in re s obſcuritas, ut eas non penitus acri uir ingenio cernat, ſi mo aſpexerit. & alio loco: Quanquam nō hæc ita ſtatuo, & de- rno, ut deſperem Latinè ea, de quibus diſputauimus, tradi ac rpoliri: patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum, ue- rem illam, excellentemq; prudentiam Græcorum ad noſtrum ſum transferri. Cùm igitur eiuſdem ſit facultatis, uidere & ue m, & ueriſimile, & hominum natura id patiatur, ut uerita- s capax ſit, & res maiori ex parte ueritatem ſortiātur: ſequi- r, ut habere ſeſe aliquem ita, ut coniectari probabilia poſſit, quæ in opinione ponuntur, hoc totum ſimile ſit illius, qui què ſe habet ad ueritatē. is enim eſt ſenſus illorum uerborum, ui igitur iudicare perſpicienter poteſt. Quare uidetur, ita im puto, ſic dicendū, Qui igitur acerrimè iudicabit, quid ue m aut non uerū in ſingulis rebus ſit, idē iudicare perſpiciēter oterit, quid probabile aut non probabile habeatur: ut hæc onclusio conſonet ijs, quæ ſuperius dicta ſunt. Concludit enim rgumentum, nos poſſe iſtud probabile conſequi: nam ſi Veri- s, quod difficilius eſt, reperiri poterit, ut probatum eſt tribus ationibus: & Probabilitas etiam inuenietur, quæ facilior ha-*

 betur.

betur. Sed ſe difficiliorem, & quaſi ambiguum reddidit Ariſtoteles: circunductus enim maximè, & plenus eſt, et neſcio an maior circunductio, & oratio plenior in omnibus eius operibus habeatur, cùm dicit, Cùm ergo conſtet artificioſam dicendi rationem. Nam conſtipata, referta, interiecta oratio eſt, & uerbum redditionis, & princeps dilatum eſt nimis, & ſententia diu ſuſpenſa, acceßit obſcura locutio, & præcipuè in hac concluſione, Qui igitur. Cuius ambiguitas Hermolaum ſic adduxit, ut hoc modo interpretaretur. Eſt & illud quod dixit Hermolai, Et maiori ex parte unuſquiſq; coniector eſt ueri. Nam hoc non ad hominem, ſed ad rem puto eſſe referendum, ut dicatur, Et parte plurima res ueritatem indipiſcũtur, ut ſe percipi ſinãt. Nõ modò enim noſtra ex parte notitia, ſed ex rebus ipſis etiam prouenit: habet enim mens noſtra naturalem conatum ad ueritatem capeſcendam, & res ipſam quoque excitant, & commouent: ſed qua ratione id fiat, altioris ſpeculationis eſt munus: id enim in Logicis explicauimus. Satis eſt parte plurima res huiuſmodi eſſe, ut ad ueritatem & notitiam earum nos excitent.

De utilitate Rhetorices. CAP. VII.

HACTENVS dictum eſt, potiora artis officia ab artis ſcriptoribus fuiſſe neglecta, omneſq; ferè in cauſa extra cauſam adminicula quærere. Declaratum eſt etiam, cur intra iudiciales cauſas pleriq; conſtiterint. Nunc quàm utilis Rhetorica ſit, primùm docebit ea ratio, quòd natura præſtantius eſt uerum, ac iuſtum, quàm ĳs contraria, falſum, iniuſtum. Cùm uerò aliter, ac debeant, iudicia adminiſtrentur: neceſſe eſt ueritatem, & iuſtitiam obrui, quæ alioquin futuræ ſint malis obnoxiæ, niſi uiribus eloquentiæ uindicentur: hoc uerò plenum turpitudinis eſt, & dignum reprehenſione. Iam quidem nõnulli ſunt, quos difficile ſit perſuadere, ſi exquiſitas

ſitas ſcientiæ rationes certis concluſionibus attule=
Quoniam huiuſmodi oratio, quæ ſcienter tractatur,
ctrinam potius redolet, quàm perſuaſionem: in qua
: fieri nullo modo poteſt: ſed neceſſe eſt, ſecundum
nium intellectum loqui, ut ex communibus locis
cantur ad perſuadendum argumenta: & ſermones,
tionesq́ ita habeantur, ut (quemadmodum in To=
is docuimus) ad cõſortium, cõgreſſumq́ multorum,
àm fieri poteſt maximè accommodentur. Præterea
pedit ſcire, & poſſe perſuadere contraria: quod & in
logiſmis eſt utile, non ut utrunq́ pro arbitrio, & li=
dine faciamus, (ſit enim uir malus, qui turpia, & fla=
ioſa ſuadet.) ſed tum, ut ne hoc quoq́ quale ſit, igno=
mus: tum uel propter ſolum hoc, ut in aduerſario ea
ilè deprehendamus, & diſſoluamus, ſi fraudulenter
atur. Nulla quidem ars eſt, quæ contraria probet
æter Dialecticam, Rhetoricamq́. Cæterùm quan=
ràm facultates illæ in contrarias partes æquè diſputẽt:
on tamen ſubiectæ res, æquè ſunt omnes uendibiles,
cq́ ad demonſtrationẽ perinde, & probationem ido=
eæ. Nam ea, quæ uera ſunt, & quæ natura præualent,
rè commodius aliquanto concluduntur, & facilius
erſuadentur. Et hercle ſi turpe eſt hominem ſibi ipſi
orpore opitulari non poſſe, quanto turpius eſt nõ poſ=
locutione: cùm locutio peculiarior homini habeatur,
uàm uſus roboris, & uirium corporis. Quanquàm
erò in utranq́ partem ualẽt arma facundię, & magna
uoq́ interdum incommoda ciuitatibus importantur
er diſertiſsimos homines, qui copia dicendi peruersè
butuntur: non tamen eſt dicendum, idcirco malum,
uo bene uti licet: Nam hoc quidem modo cętera quo=
ue bona non erunt: cùm eiuſmodi omnia habeantur,

excepta

(excepta uirtute) ut ad malos uſus conuerti, retorque-
riq́ poſsint: atq; ea præſertim, quæ utiliſsima, & com-
modiſsima exiſtimantur in uita, Robur, Valetudo,
Opulentia, Imperia. Quamobrem ſolent multum pro-
deſſe, qui ita ſe armant ijs bonis, ut ad iuſtitiam, & ho-
neſtatem utantur: contrà multum obeſſe, qui ad impo-
tentiam, & iniuriam referunt.

DANIEL BARB.

HActenus dictum eſt potiora. *Auerrois primum procæ-mij caput hucuſq; protulit, in quo quàm neceſſarium fuit artem conſcribere, & ad quam ſcientiam, uel artem opus eſſet hanc facultatem referri, explicatum fuiſſe dixit:* Nos propoſi-*tum hoc generale ſubdiuidentes, ut diſtinctius res haberetur, plures huius procæmij partes effecimus.* Ne *uerò cõtentionis cu pidiores, quàm ueritatis uideamur, commodum, & tutum arbi tramur, in ijs præſertim autoribus, qui ingenio, & eruditione ualent, quantum fieri poteſt, ut per ipſos ipſorum uerba inter-pretemur: multi enim inconſtantes, & parũ circunſpecti ſunt, qui interdum, quod pollicentur, non exequuntur: interdum aut minus, aut plus, quàm receperint, præſtant. Sed qui ex arte ſcri bunt, nihil poſtea colligũt, quod non prius aſſeruerint: quæ res mira in* Ariſtotele *ſemper fuit, cuius ordinis uirtus egregia, & diuina ſemper habita eſt.* Concludit *igitur breuiter, quæ copio ſe ſuprà diſperſit.* Hactenus, *inquit, dictũ eſt potiora artis of-ficia ab artis ſcriptoribus fuiſſe neglecta.* Triplici *enim erro-re ducti ſunt* Rhetores, *& dicendi magiſtri: nam & quod pro-prium eſt artis reliquerunt, additamenta ſolum ſectantes, &* Dialecticam *ignorauere, & eam tantum partem* Rhetoricæ *perſequuti ſunt, quæ eſſet animorum perturbatrix, atq; ita ſe artem uniuerſam edidiſſe putabãt.* His *habitis, de utilitate atq; uſu* Rhetoricæ *tractat:* Vtilis, *inquit, eſt* Rhetorica, *& lauda-bilis, quia ueritatem extollit, quæ alioquin tum ignorantia iu-*

dicum

m, tum aduerſariorum calumnia depreſſa ſuccumberet: res non modò nobis detrimento, ſed dedecori ſummo eſſe eſt: quòd ſi de re noſtra non ſumus ſoliciti, debemus ſaltem existimatione, & dignitate pugnare. Vtilis ergo Rheto= eſt primùm, quia præſtantiora ſunt quæ uera, et iuſta ſunt, m contraria. Cùm uerò res agatur cum ijs, qui facilè in de= orem partem dilabuntur, ne obliqua iudicia fiant, & nobis d noſtrum eſt eripiatur, ſumma etiam ignominia adiuncta, us eſt, ut nobis arma illa comparemus, quibus tuti, & tecti inſolentia, & fraude uiuamus. Sed nil commodius, nil tutius homini ciuili, quàm eloquentiæ telum, quod ex ſecunda uti= ite magis patebit: nam dicendi omnis ratio in medio poſita communi quodam in uſu, atq; in hominum more, & ſermo= maximè uerſatur: ut in cæteris id maximè excellat (ut ait cero) quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentia, ſen= q; diſiunctum: in dicendo autem uitium uel maximum eſt, à lgari genere orationis, atq; à conſuetudine communis ſen= s abhorrere. Ratio autem eſt, quemadmodum hoc loco, & btilius in prima philoſophia dicitur, quoniam diuerſa ſunt minum ingenia: nonnulli in omnibus quæ dicuntur, exactiſſi as, & exquiſitiſſimas rationes quærunt: nonnulli uerò id ab= unt, nec adduci poſſunt, ut ijs adhæreãt, quæ illo modo pro= ntur: ſed libentius audiunt, & facilius recipiunt ea, quæ in onſuetudine poſita ſunt: nam conſuetudo fere altera natura t: ægrè autem à natura quiſq; ſua diſcedit. Cum igitur inter em, quæ cognoſcitur, & eum qui cognoſcit, proportio quæ= am intercidat: ſequitur, ut quemadmodum uarietas naturæ, ha itusq; diuerſitas ſumma eſt, ita cognitionis, perceptionisq; ua ius modus habeatur. Quoniam uerò conſuetudo ſimilem natu æ habitum facit, ideo conſueta notiora ſunt, & facilius reci= piuntur: quæ res maximè oſtenditur ex quibuſdã legibus anti= quorum, quæ, cum conſuetudine inualuiſſent, fabuloſa, & in=

ania

*ania quædam ad terrorem confictа populis iam facilè perſua-
debuntur. Quare nulli dubium eſt, quin, ut quiſq; maximè affe-
ctus eſt, ita libentiſſimè recipiat, eo modo, quo affectus eſt, o-
mnia, quæ dicuntur. Hinc alij delectantur exemplis, alij teſtimo
nio poëtarum, nonnullis ea quæ multos torquet, exacta ratio
placet. Torquet autem multos uera, & exacta probatio, aut
quia imbecilla eſt illis ingenij uis, & obtuſa, aut quia quaſi cal
culum de rebus exiguis arbitrantur tam ſubtilem rerum inueſti
gationem. Et quemadmodum illiberale, & ſordidū putant eſſe
in pactis, & cōtractibus, ſi minima quæq; nimis ſubtiliter pon
derentur: ita idem fieri in ſermone putant. Quare neceſſe eſt,
utileq́; admodum, moneri quemq;, quo nam ſingula modo ſuſci
pienda ſunt. Nam, ut idem Ariſtoteles in tertio primæ Philoſo
phiæ dicit, non idem eſt modus ad omnium congreſſiones: ſunt
enim qui perſuaſione indigent, ſunt & quibus adhibenda eſt
uis. Vt igitur ad rem noſtram reuertamur, cùm uis omnis dicen
di in uſu communi poſita ſit, & in cōgreſſione hominum, & ad
popularem intelligentiam accommodata, non decet homines
uulgi opinionibus aſſuetos altiſſimis rerū cauſis, & profundiſ-
ſimis rationibus inducere: non enim hæc imbutis errore animis
inſerenda ſunt: nam perſuaſio contra eas res, quibus aſſueti ſu-
mus, omnino uileſcit, nec tam parua temporis uſura ſufficit ad
docendam, & oſtendendam ueritatem. Quare ijs rebus uten-
dum eſt, quæ dicenti, & audienti communes eſſe iudicantur: hu
iuſmodi autē ſunt, quæ ſuaderi poſſunt, & probabilia, quæ ad
hominum congreſſiones maximè ſpectant. Congreſſiones Cic.
ἐντεύξεις interpretatur, συνόδους καὶ ἐν ταῖς συλλόγοις dixiſſet Pla-
to. Atque hæc eſt ſecunda Rhetoricæ utilitas, quæ Dialecticæ
quoq; cōmunis habetur, ut patet primo Top. Tertia uerò eſt,
in contrarias partes ſuam poſſe proferre ſententiam: nō autem
ut utrunq; pro arbitrio efficiamus, ſed ut alio, atq; alio tempo
re, quod utile, quod'ue æquum ſit, & honeſtum, perſuadere ua
leamus:*

nus:nam Plato nō ob ipſum, quòd ſcribat,uel dicat, quem=
m eſſe uituperandum dicit: ſed illud eſt turpe, turpiter, ac
e loqui, & ſcribere. Quemadmodum Eleates Palamedes,
artificio ſuo efficere ſolitus erat, ut eadem auditoribus &
lia & diſſimilia,unum & multa,permanentia& fluxa ui=
entur. Gorgias quoq; ad omnem quæſtionem ſe reſponſu=
a profeſſus eſt,& non inanem ſe dimiſſurum auditorem,ni=
q; noui per multos annos à ſe quæſitum fuiſſe dixit: in qua
dem re uis oratoria declaratur, ut merito δυνάμεως nomen
tita ſit,quòd poſſit,ualeatq; contrarias partes tueri:non ut
unq; faciat,ſed quod iuſtum eſt,ut perſuadeat.Quare neceſ
ſt, inquit Plato, eum,qui rectè dicturus ſit,uerā in ea re,de
a loquitur,intelligentiā,& uerum ſenſum habere:nam cum
tor boni, maliq; ignarus, boni maliq; ignaris,& ſimiliter
ctis perſuadeat,de malo,perinde ac bono ſit ediſſerens,uul
; opiniones quodam quaſi aucupio captans,mala pro bonis
ucet,aut bona pro malis perſuadebit ignorans.Poſſe igitur
traria tueri artis eſt tum Rhetoricæ,tum Dialecticæ:quam
a ſiquis propterea dānet,quòd artis cuiuſuis munus ſit unā
ri partem:audiat,quæſo,is Ariſtotelē, hoc fieri multorum
pa clamantem, propterea in materia multum eſſe diſcrimi=
aſſerentem:nam mediocris orator,qui iuſtum defendit,ora=
i etiam ſummo iniquam cauſam ſuſcipienti reſiſtet:tanti re=
t à ueritate ſtare. Sed non'ne artes omnes & ſcientiæ in op=
ſitum ualent? Valent quidem, ſed alterum ex oppoſitis, &
quod meliuseſt eligunt,ueritas enim præfertur,quæ tum ſui,
n obliqui directio eſt:ſed Dialecticus,& Rhetor ſuas uterq;
ultates ad utranq; rationem ſolent accommodare:uel ob id,
òd iniquorum ratio noſcenda eſt,ut ait Fab.ut melius æqua
amur. Atq; cùm natura multa nobis cum cæteris animan
us communia dederit,ſermonem uerò homini proprium eſſe
luerit:ſi turpe eſt corporis ui minime ſeſe poſſe tueri,& in=
iurias

iurias propulſare: non'ne turpius eſt ſermone, qui peculiaris maximè homini eſt, ſeſe non poſſe defendere? Quare utilitati annexa eſt honeſtas. Neque id contra nos facit, quòd multa incommoda, per diſertißimos homines ciuitatibus ſint importata, quòd Lacedæmonij omnem penitus eloquentiam ex urbe illorum expulerint: namq; hoc commune eſt rerum multarum, quarum uſus hominum probitati commendatus maximas præbuit, & certißimas utilitates. In hòc genere ſunt pretioſißima quæq;, robur, opes, amicitiæ, gratia, copiæ, & huiuſmodi: quæ ſi improbis, ac ſeditioſis contingant, nihil eſt ijs pernicioſius, nihil miſerius humano generi: nam inopes lacerantur, iudicia ſubuertuntur, boni cōtaminantur, omnis regnat iniuria, omnis uis, omne malum dominatur. Sed non artes, non uires, ac artifices, & abutentes ijs, accuſandi ſunt. Ars enim ſuapte ui boni cuiuſdam particeps, & effectrix eſt, ut aperte Plato & Ariſtoteles atteſtantur. Quapropter eloquentia ſapientiæ coniuncta uirum bonũ efficiet, qui neq; alios decipiet, nec ſe decipi ſinet ab alijs. Tantam uerò eſſe oratoriæ facultatis dignitatem Plato putat, modò quod iuſtum eſt perſuadeat, ut cum regia dignitate communicantem illam affirmet, cumq; is omnia referret, quò referenda ſunt, altius, & ſublimius, quàm quiuis alius aſpiciẽs, hæc de uſu Rhetorices in Phædro commemorat: Hæc ſine ſummo ſtudio, ac labore minime conſequemur, in quo nõ decet prudentem uirum ea de cauſa elaborare, ut ad hominum gratiam loquatur, & agat: ſed ut poßit quæ dijs grata ſunt eloqui, & ſingula pro uiribus gratioſe perficere. Nam qui nos ſapientia, & prudentia antecellunt ò Lyſia, dicunt, non oportere curam eius, qui ſaperet, in eo eſſe, ut conſeruis ſuis (ſic enim homines uocat, quaſi omnes uni domino, ac deo ſeruientes) niſi quãtum ſit opportunum ſatisfaciat, & gratificetur: ſed dominis bonis eſt obtemperandũ, & ijs, qui ex bonis orti, & progeniti ſunt. Hæc ille diuino quodam ſpiritu afflatus edidit, ut nos ad ſummum

n illud bonum, quò tendunt, collimantq́; omnia, exhortare=
nam rerumpu finem in Dei cultu poſitum eſſe uoluit. Qua=
cet in utranq́; partem ualeant arma facundiæ, non tamen
equum id haberi malum, quo bene uti licet.

Oratoris officium non eſſe, perſuadere: item oratorem oportere cognoſcere & quæ probabilia ſint, & quæ probabilia uideantur. CAP. VIII.

XPLICATVM eſt Rhetoricam eo modo, quo & Dialecticam circa unum rerum genus uerſari n poſſe, dictum eſt etiam de utilitate: Nunc illud obi= manifeſtum puto, oratoris non uideri neceſſarium inus atq; officium perſuadere: ſed inuenire, & colli= e ea, quæ in quaque re apta ſint, & appoſita ad per= dendum. quod quidem & reliquæ habēt artes. Nam dici officium non eſt curatione ſanare, ſed curare ad ādum appoſitè, id eſt, curādo eatenus progredi, quò et: Fieri ſiquidem poteſt, ut quanquam nulla ratione qui queant ſaneſcere, diligenter tamen, & ſcitè curen= . Ad hæc & illud conſtare arbitror, eiuſdem artis & ultatis eſſe, intueri, & noſſe quid nam ſit uerè pro= bile, & quid non uerè quidem, ſed quod uideatur probabile. Quod & Dialectica facit, ea ad utrunque logiſmum ſuas præceptiones accommodat, & ad ue= m, & ad eum, qui uideatur uerus: nam uerba capta= , calumniariq́;, non artis eſt uitium, ſed uoluntatis, que propoſiti. Eſt tamen differentia, quòd tam ij, qui ultate, atque ſcientia, quàm ij qui uoluntate periti cendi ſunt, Rhetores, Oratoresq́; appellantur. Illic rò diſcriminantur nomina: Sophiſta enim non po= t quis eſſe, niſi animo, & uoluntate: Dialecticus non ſtimatione uoluntatis, & animi, ſed ratione facultatis, ſcientiæ nuncupatur.

DANIEL BARB.

EXplicatum eſt Rhetoricam. *Anteqnam progrediamur, res ipſa monet, ut quid conueniant inter ſe, quidq́; diffe-rant hæ facultates, oſtendamus: nam nec repetemus idem ſæ-pius, nec digrediemur amplius.* Rhetorica *igitur, & Diale-ctica in hoc primùm conſentiunt, quòd ſermone reciproco utuntur, ad alios enim referuntur, quod nón accidit demon-ſtranti, qui rationem colligit, nec reſponſionem expectat. Nunc etiam commune habent, quòd nullo certo ac præfinito rerum genere continentur: ſed & uſus earum communis eſt o-mnibus, & res omnes pariter utrique ſubijciuntur quadante-nus, ut dixit Ariſtoteles in principio, id eſt, quatenus perſua-deri, ac probabiliter oſtendi poſſunt. Ambæ ex communibus colligunt, non ex proprijs, & in re ipſa poſitis: ambæ in con-trarium ualent, & ita propinquæ ſunt, ut ex eadem propagi-ne, ut ita dicam, uideantur educi: quanquàm hoc ipſo inter ſe differunt, quòd licet* Oratoria *uis nullis terminis circunſcriba-tur, plus tamen operæ in ciuili materia ponit: at* Dialectica *in hoc ampliores habet fines.* Deinde *illius oratio nō interrupta, ſed perpetua, & ſequens habetur:* Dialectica *uerò conciſa, & interpellationibus obnoxia eſt, habetq́; infinitas quæſtiones, quas* θέσεις *Græcè,* Propoſita *Latinè dicimus: uerbi gratia, cùm quæritur de origine mūdi, & naturæ primordijs, de figura cœ-leſtium, & diuinorum corporum, & de uniuerſi collocatione.* Rhetorica *uerò finitas habet cauſas, & in perſonarum diſcri-mine, locorum commoditate, temporum occaſione, cauſarumq́; connexione poſitas,* ὑποθέσεις *Græcè,* Cauſæ, *uel* Controuerſiæ *Latinè uocantur. Demum latior una eſt, altera uerò preſſior, tum dictione, tum etiam locis, à quibus ſuas utraq; probationes orditur, licet utilitas eadem ad hominum cōgreſſiones utriuſq; iudicetur, & id, quod hoc loco ait Ariſtoteles, inſtrumenta, & munera eadem. nam & in* Top. *ait de Dialectica loquens,*

Hanc

ne facultatem ita demum nos omnibus numeris aſſecutos co= oſcemus, ſi quo modo Rhetoricam, & Medicinam, & re= uas facultates eiuſdem generis, eodem & hanc cōplexi fue= mus: hoc eſt, cùm fecerimus ex ijs, quæ pertineāt, omnia, quæ= iq; optio noſtra fuerit: alioquin nec Oratoris ſemper erit, perſuadeat, nec Medici, ut ſanet: ſed ſi nihil prætermiſerint, od ad rem ſuam pertineat, abunde, & copioſe eos facultates is indeptos exiſtimabimus. hæc Ariſtoteles. à quo Fabius, ndit, inquit, ad uictoriā, qui dicit: ſed cùm bene dixit, etiam on uincat, id, quod arte continetur, efficiet: nam & guber= tor uult ſalua naui in portum peruenire: ſi tamen tempeſtate rit abreptus, nō ideo minus erit gubernator, dicetq; notum id, Dum clauum rectum teneam: & quæ ſequuntur. Medici= etiā finis non eſt curatione ſanare, ſed curare ad ſanandum poſitè, id eſt, eò uſq; curādo, medendoq; progredi, quò licet. ri ſiquidem poteſt, ut qui ſanari nulla ratione poßint, curari nen diligenter poßint. hæc hactenus ſe dixiſſe Ariſtoteles tendit, & ulterius illud additum eſt, ex ipſo orationis fi= (ita enim intelligo illud) Ad hæc & illud conſtare arbitror, rtinere ad oratorem, non modò quæ probabilia eſſent, ſed æ probabilia uideantur. Nam quemadmodum Dialectici ;, non eum modò ſyllogiſmum quærere, qui purus ſit, & in= rruptus: ſed etiam eum, qui mentiatur, & nō ſit ſyllogiſmus: Rhetoris eſt ſcire, quæ reuera, & pura ſunt probabilia, uel aſibilia, & quæ ad hæc proximè accedunt. Sed quomodo ex ſo orationis filo id cōſequitur? An quia, ut dictū eſt ſuperius, iſdem facultatis eſſe, & uerum, & uериſimile perpendiſſe: ita ioq; hoc loco poſſumus affirmare, Oratoris eſſe, noſcere & obabile, & quod probabili ſimile ſit. nam hic nullū diſcrimē cio inter ἔνδοξον, & πιθάνον, id eſt, probabile, & perſuaſibile: uamuis πιθάνον, id eſt, perſuaſibile, magis ad Rhetorem: ἔνδοξον, id eſt, probabile, magis ad Dialecticum ſpectet. cæterum

ſua ui quod probabile eſt, & perſuaſibile neq; uerum, neq; fal ſum eſt, ſed interim falſum: multa enim ſunt uera, quæ non ſunt ſuaſibilia: ut ſi debilis, & imbecillus, ualentem, & robuſtum uerberaret. Facit autem mentionem de Sophiſta hoc loco Ariſtoteles, qui locus eſt obſcurior aliquantum, quàm ut commodè interpretari poßit, niſi ad conſuetudinem Ariſtoteliam animaduertas: ſed ut expeditè res tractetur, uerba eius ſunt apponenda. *Neq; propterea putandus eſt Sophiſta, qui Sophiſticas cauillationes edidicit, quia Sophiſtam non facultas, ſed uoluntas facit: eſt tamen differentia nonnulla, quòd tam ij, qui facultate, atq; ſcientia, quàm ij, qui uoluntate periti dicendi ſunt,* Rhetores, atq; Oratores *appellantur: illic uerò, id eſt, in dialectica, diſcriminantur nomina: Sophiſta enim non poteſt quis eſſe, niſi animo, & uoluntate: Dialecticus nuncupatur non æſtimatione uoluntatis, & animi, ſed ratione facultatis, atque ſcientiæ.* Dixerat Ariſtoteles quòd quemadmodum Dialecticus tam uerum, quàm apparentem ſyllogiſmum uenatur, ita Rhetorem tam probabilia, quàm quæ uideantur probabilia quærere. Ne uerò quis putaret tum Dialecticum σοφιστομάνειν, hoc eſt, maximam uoluptatem capere in decipiendo, tum Rhetorem in mala ſuadendo, diſtinguit nomina, & uocabula quibus uocari debeant, tum Dialecticus mentiens, tum Rhetor decipiens: & inquit, eum, qui in dialecticis cõmunire ſyllogiſmum ſciuerit, eamq; facultatẽ habuerit, ut dignoſcat quid, quo'ue modo concludat, proprio, ac directo nomine Dialecticum uocari: qui uerò electione, uitæq; propoſito ſit talis, ut fallat, eoq; ſyllogiſmo, quẽ nouerit, abutatur, is rectè Sophiſta nominabitur. *Neq; propterea putandus eſt Sophiſta, qui cauillationum, & decipularum notitiam teneat, ſed qui uolens utitur, & aut oſtentationis, aut quæſtus cauſa philoſophatur: quare apertè conſtat, quòd non artis eſt uitium, ſed uoluntatis, atque propoſiti, rem manifeſtam calumniari. Vnde uerus* Dialecticus, *cùm ſuis de*

rebus

us ſermonem facit, ea inquirit uериſimilia, quæ proximè ad itatem accedant: Sophiſtæ uerò quicquid poſſunt, aſſumũt, rretitos homines deceptionum laqueis, & tranſuerberatos gumentorum aculeis, ſpiculiſq; detineant. Contra quos in= itur Plato, eos crabronibus conferens, qui relicto aculeo in= o diſcedunt. Qui igitur facultatem ſequitur, Dialecticus, qui ò uoluntatem attendit, Sophiſta nũcupatur. Quæ res in Rhe ica non eſt ſimilis: nam Rhetor, qui uoluntate, uel libidine citur, nõ appellatur Sophiſta, ſed uterq;, hoc eſt, & qui pro= ſitum ſequitur, & qui arte nititur, Rhetor uocatur: ita ta= n, ut qui arbitrium, animumq; ſequitur, Rhetor ex arbitrio, propoſito nominetur: qui uerò artificio, ſcientia, uel facul= e ſit talis, Rhetor ſecundum ſcientiam dicatur. Huius diſcri nis autor, & inuẽtor Ariſtoteles putandus eſt: nam cùm quid Marte, ſuoq; arbitratu nouũ profert, ijs uti particulis con= euit, Eſto, Dicatur, Intelligo: quæ uerba legibus ſanciendis commodantur: nec ab re ijs utitur Ariſtoteles, quaſi nouas tionis leges imponat. hoc paßim obſeruauimus in primo de untiatione, ubi agit de affirmatione & negatione, in primo ſteriorum, ut alibi. Sed de Sophiſta parum digrediamur, di= ntes, Sophiſtam quidem primum fuiſſe dictum, ut non igno= nioſa foret appellatio, quod ex Platone, & ueteribus alijs erte conſtat. Ariſtoteles autem in quarto de moribus hoc odo ait: Qui res maiores efficit, quàm ſint, ſi hoc gratis ef= iat, nullaq; de cauſa, malo quidem ſimilis eſt, & ſcelerato ui :nemo enim niſi malus mendacijs delectatur. Sed certè plus nitatis habet, quàm malitiæ. Quòd ſi quippiam fallendo in= ndit, & ſimulando quærit, qui honorem, plauſum & exiſti= ationem uenatur, minus uituperandus eſt, quemadmodum qui præfert, & iactat, ut auram uendicet popularem: qui uerò ar entum, & quæ ad argentum attinent fallacißimè ſe uenditan= o, aperit, is turpior, & impudentior habendus eſt. Non eſt au=

tem Oſtentator is, qui habet, unde ſe oſtentare queat, ſed qui hoc elegit. nam & habitu, quem electio cõſequitur, & re ipſa huiuſmodi eſt Oſtentator, quemadmodum qui totus ex fraude, & mendacio compoſitus eſt. Mẽdax enim falſo gaudet, Oſtentator autem uel honore, uel quæſtu. Qui ergo honori ſuo uelificatur, ſibiq; plauſum quæritat, is ea fingit ſe habere, in quibus morum laus, & fortunæ commendatio eſſe poteſt: qui autem lucro captatur, ea ſibi uendicat, quorum uſus alijs neceſſarius eſt, & quorum fruitio ad proximos pertinet, ita tamen, ut latere poßit, an id ipſe præſtare queat, necne. Hinc ſe plerique medicos eſſe profitẽtur, pleriq; ariolos, & uates egregios, quibus in rebus uitium nõ tam facilè carpitur. hæc Ariſtoteles: quæ omnia eleganter, & uenuſte à Platone obſeruata ſunt antea, dum Sophiſtas, & Rhetores iactabundos inducit, & præſertim in Gorgia ubi Polus, & Gorgias mirum in modum ſe ipſos laudant. quos conuicit Socrates ironia quadam, in qua qui excellunt, mores habent elegantiores: non enim cupiditate lucri ſibi detrahunt, ſed ut tumorem, faſtumq; fugiant inſolentem: ſed hæc aliâs. Sophiſta igitur dicendus eſt, qui uitæ inſtituto huiuſmodi eſt, ut fallat: quod etiã in Topicis declarat Ariſtoteles hoc modo: Nullus enim eò quia poßit aliquid earum rerum turpium ſcilicet præſtare, cognominãdus eſt talis, id eſt, turpis. Nam & Deus, & probus homo poteſtatem hanc habent, ut mala faciant, non tamen tales ſunt: uitioſi enim omnes propter propoſitum dicuntur. Item paulò inferius: Nam neq; qui propoſitum quidem habet, ſed nõ poteſt exequi, neq; item qui poteſt quidem, ſed propoſitum non habet, Calumniator, & Veterator putatur, ſed qui utrunq; obtinet. Sed illud torquere nos poteſt, qua ratione dictum ſit ab Ariſtotele, ad eandem ſcientiam pertinere & uerum, & quod uero ſimile ſit, cùm diuerſas eſſe hoc loco ſtatuat notitiæ ſpecies Dialecticam, & Sophiſticam? An quia Sophiſtarum diſceptationes cum eò tendũt, ut glor

gloriam,uel lucrum captent, ſeparantur à Dialecticis: cùm rò ibi perſiſtunt, ut ſolum tentando aliquid quæritent, ad alecticos reſtruntur: an quia non ars, ſed propoſitum uide-,ueritas autem ſui,& obliqui iudex eſt? Cæterùm Philoſtra inter Sophiſtas Demoſthenem poſuit, et Aeſchinem:uterq; m gloriatus eſt,ſe dicendo effeciſſe,ut iudices illis,quod pe-ſent, concederent. Cicero uerò uult Sophiſtam medium eſſe er Rhetorem, & Oratorem: nam Rhetor præceptor artis itur,Orator qui in ſenatu,& in iudicijs, et paßim loquitur, minatur: Sophiſta uero, apud quem dicēdi exercitium diſca . Atq; hæc ſunt,quæ docti homines de Sophiſta ſentiunt. Il-l autem nō eſt prætereundum,quod dixit Ariſtoteles.Quod Dialectica facit.ea ad utrūq; ſyllogiſmum ſuas præceptio-s accommodat,& ad uerum, & ad eum, qui uideatur ue-s. Cùm ſuprà dixerit,eiuſdem artis,& facultatis eſſe intueri, noſſe, quid nam ſit uerè probabile,& quid non uerè qui-m,ſed quod uideatur eſſe probabile. Nanq; artificium quod-m cernitur hoc in loco, ſiquidem cùm de Dialectica mentio ,ponitur eius inſtrumentum,cum dicitur ſyllogiſmus,& qui deatur ſyllogiſmus:ſed ubi de Rhetorica loquitur,ponit eius ateriam,probabile ſcilicet,& id quod ad probabile proxi-e accedat. & hæc de procœmio dicta ſint.

FINIS PROOEMII.

Quid ſit Rhetorica. CAP. I.

NVNC ĳs rebus breuiter conſtitutis inſti tutionē noſtrā aggrediamur, dicamusq́, quo nam pacto,& quibus rationibus cō-ſequi poſsimus ea, quæ ſunt à nobis pro-poſita ad docendum. Itaq; tanquam à ca-pite orſi,definiemus primùm,quid ſit ea ars,cuius pręcepta tradituri ſumus, deinde ad reliqua proficiſcemur.

Rhetorica igitur eſt uis,& facultas percipiẽdi,inueniendi'ue, quid in quaque re poſsit eſſe perſuaſibile. Hoc nullius alterius artis eſt opus:quippe cùm reliquæ facultates omnes,atque diſciplinæ uim quoque ſuam docendi,perſuadendiq́ circa unam quampiam rem ſubiectam obtineant, Medicina circa ſalutaria,& inſalutaria, Geometria circa eas affectiones, quæ magnitudinem ſpectant, Arithmetica circa eas, quæ numeris adiunguntur: eadem ratio in cæteris quoque artibus & ſcientijs omnibus reperitur. At uis Oratoris,profeſsioq́ ipſa bene dicendi hoc ſuſcipere,& polliceri uidetur:ut in omni re quæcunq;,propè dixerim, poſita ſit: quicquid erit in quaque,quod probabile uideri poſsit, elicere ſciat, atq; perdiſcere. Proinde meritò ſolemus aſſerere, Ius oratoriæ facultatis nullo rerum genere definitum, nullis terminis,aut limitibus circunſcriptum eſſe.

DANIEL BARB.

NVnc ijs rebus breuiter conſtit. *Mos eſt certa ſcribendi ratione,ac lege doctorum hominum confirmatus,ut omnis de aliqua re ſuſcepta inſtitutio,ab eius rei,qua de agitur, definitione incipiat , niſi quid ambiguũ allatum ſit: nam prius diſtinguenda eſt nominum ratio,mox de qua ſignificatione habeatur ſermo, explicare oportet, ut ad eam intuentes propria definitio accõmodetur, quod mirificè omnibus in locis obſeruauit Ariſtoteles.* Et *hoc præcipue loco, ubi utrunq; efficere oportebat.* Nam *ſiquis ad ea, quæ initio dicta ſunt, rectè animaduertat,duplicem eſſe* Rhetoricen *cognoſcet: alteram, quæ nulla certa lege,ac præceptione artis cõtineatur:alteram, quæ artificio, & ratione comparetur. Ac priorem illam uel natura,uel conſuetudine teneri : nempe indocti,* Barbari,*& ſerui, ut inquit* Tyſias, *pro ſe cùm loquuntur aliquid, dicunt ſimile principio,narrant,probant,refutãt,& quod uim habeat* Epilogi

gi deprecentur: cui quidem inſitæ facultati ſi acceſſerit exercitatio, & conſuetudo, facilius, & rectius agetur. Quæ cùm ſint, cumq; de ea nunc parte inſtituta ſit ratio, quæ ad artem pertinet, non ab re huius definitio præpoſita eſt. Neq; uero, aut poſſe, aut debere hāc artem, aut noxiam, aut malam eſſe ntendendum eſt, cùm nulla ſit ars, quæ nō tendat ad aliquem nem uitæ utilem, & opportunum, quæq; uera non ſit, & firma, cōſtantiq; ratione probata. Si qui uerò ſunt, qui abutantur ſa, ad gratiam, & uoluptatem lenocinio quodam uerborum, fuco, non autem ad id, quod iuſtum eſt, oſtendendum: ij ſanè non Rhetoricam habere dicuntur, ſed adulatricē quandam, illiberalem peritiam, quæ falsò artis nomine appelletur. Sed os ad rem. Abſoluto proœmio, Rhetoricam definit Ariſtoteles ex præcepto: tanta enim eſt definitionis uis, ut nihil ferè in ota arte de aliqua re ſuſcepta contineatur, quod uirtute in eius efinitione non inſiſtat. Hinc propoſitionum ſeges uberrima, inc ſolutionum campus ampliſsimus, hinc proprietatum dignoſcendarum certiſsimum ueſtigium comparamus. Cæterùm a lex obſeruanda eſt, ut rei definiendæ proximum genus ponamus, ad quod quaſi caput, res ipſa referatur: mox diſcrimina ſerie accōmodanda ſunt, quibus res ea differre ab alijs oſtendatur: eatenus autem progrediendum eſt, quatenus circunſcripta, & ſuis quaſi terminis contenta uideatur. Nolumus autem breuitatis auētes omnes artis definitiones afferre. Sed Ariſtotelem interpretantes, Ariſtotelis definitionem ſequemur, oſtendemusq; duo maximè neceſſaria: Primum definitione illa Rhetoricam facultatem à cæteris ſeiugari: mox in ea ferè contineri omnia uel re ipſa, uel uirtute, quæ in arte uniuerſa continētur: Definitur igitur Ars non ab euentu, ut multi, ſed à propria ui, ut boni arbitrantur, & præſertim ex Ariſtotelis ſententia, ut ex eius ſermone patet, hoc modo. Rhetorica eſt uis, & facultas percipiendi, inueniendi'ue quid in quaque re poßit eſſe perſuaſibile.

ſuaſibile.Rhetoricæ nomen Latinorum uſu iam tritum,Romanæ,& Latinæ poteſtatis particeps effectum eſt: Oratori maximo,de artis ſuæ nomine credatur.Rhetorica igitur eſt facultas, aut uis. Ecce genus,ad quod Rhetorica intuetur.Vim uerò,& facultatem Græci,Arabeſq; intelligunt, quicquid in cõtrarium ualet,unde & Poëtæ eidem numini tempeſtatis,& tranquillitatis inferendæ uim præbent:idem immittere,& reuocare uentos Aeolus ualet.Atq; hæc prima eſt conditio facultatis.Altera eſt, quam ponit Auerrois, ut non neceſſariò ſit finem illius actionem propriam ſequi: nõ tamen propterea Oratoris nomen fortunæ ſubijciendum eſt, quemadmodum expoſuimus, ut ſi nõ perſuadeat,orator minimè dicendus,uocanduſq́; ſit. Licet igitur Orator,qui potens dicitur,non indipiſcatur fine ſuo propriam actionem:id eſt,licet non perſuadeat,& in ſuam ſententiam audientes adductos non dimittat,Orator tamen eſt dicendus,& ui,facultateq́; dicendi præditus appellandus.Rhetorica igitur facultas eſt.At hoc non eſt ſatis,quandoquidem aliæ res à Rhetorica hoc nomine appellentur:Dialectica enim, Medicinaq́;,& aliæ huiuſmodi facultates dicuntur. Adde quod ſequitur,Percipiendi,uel inueniendi.At neq; hoc ſatis:licet enim hoc diſcrimine Rhetorica ſeparetur ab ijs facultatibus, quæ nõ conſiderant, uel inueniunt : conuenit tamen cum alijs quibuſdam,quæ inueniunt,& conſiderant:quare ut ab ijs quoque diſiungatur, appingenda etiam illa diſcrimina ſunt, quibus circunſcribi, ac definiri poßit: quare additur, Quid in quaq; re poßit eſſe perſuaſibile.In quaq;re,id eſt,in quocunq; rerum genere. Decem enim ſunt rerum genera ſumma, ad quæ omnia tanquam ad fontes reſpiciũt ſuos.nos ea in dialecticis expoſuimus:atq; hæc ſunt, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Situs,Habitus,Actio,Perpeßio, Vbi, & Quando. Hæc igitur dicendi facultas munus ſibi hoc arrogat, ut inueniat, quicquid ſingulis in rebus poßit aptè, & commodè ad perſuadendum

induci:

luci: multa enim uera ſunt, quæ perſuaderi facile nõ poſſunt, quemadmodum illud, quod ſuperius allatum eſt de timido, & robuſto, imbecillo, & audaci. Cùm igitur artes reliquæ, & ſcientiæ omnes aliqua ratione perſuadeant, nam ſingulæ circa res ſibi ſubiectas perſuadent, ideo non in una aliqua re, ſed in omnibus perſuadet Orator. Quod & Plato in Gorgia oſtendit, duas cogens fateri eſſe perſuaſiones: alteram, quæ abſque ſcientia rei ulla fidem præſtaret: alteram, quæ ſcientiam pareret. Nec idem uolebat eſſe Credulitatem, & Scientiam: nam hæc nunquàm fallit, illa interdum. Quod autem huic definitioni obijci nequeat illud, commune adhuc, quod Gorgiæ, Hippar cho, & ſophiſtis reliquis obijciebatur, unde uel addere, uel demere, uel immutare aliquid à Socrate cogebantur, iam patet ex uerbis Ariſtotelis: nam inductione oſtẽditur ſingulas quaſque artes circa unam ſibi ſubiectam, ac certam rem maximè uerſari, præter hanc, & Dialecticam facultatem. Nolo autem nunc aduocare illa, quæ, qui nouere, negligent, qui ignorant, non capient, Rhetoricam ſcilicet quemadmodum & Dialecticam eſſe de ijs, quæ poſteriori notione intelliguntur: notiones autem has comparatione formari, intelligentiæ noſtræ officio, & poteſtate, quæ omnia ſunt à nobis in his commentationibus explicata, quas in Porphyrium labore quidem, & ſudore multo edidimus. Explicata definitione uideamus reliqua.

Duo eſſe argumentorum genera: unum, quod artificioſum dicatur: alterum, quod artificio caret. CAP. II.

DVO uerò ſunt genera argumentorum, quibus probamus uera eſſe, quæ dicimus, id eſt, quibus fidem facimus. Artificioſum unum, ſine artificio alterum. Sine artificio quod eſt, uendicat ſibi eas res, quæ non excogitantur ab Oratore, ſed in re, & cauſa poſitæ, & extra rationem dicendi acceptæ ad Oratorem deferuntur; ut tabulæ, teſtimonia, quæſtiones. Artificio-

ſum

ſum appello earum rerum, quę ex ipſa cauſa trahuntur, totæq́ in diſputatione artis, & inuentione Oratoris col locatæ ſunt. Ita ſuperiore genere de tractandis argumen tis, in hoc de reperiendis agendum eſt.

Tres artificioſi generis ſpecies, quibus perſuadetur. CAP. III.

OMNIS autem ratio earum rerum, quæ ab Oratore pariuntur, tribus ad perſuadēdum ſpeciebus abſoluitur: Prima poſita eſt in cōmendatione morum, & uitæ eorum, qui cauſas agunt. Secunda accommodata eſt ad eorum animos, apud quos dicitur, afficiendos. Tertia in ipſa oratione conſtituta eſt, ut probemus, aut probare uideamur uera eſſe, quæ defendimus. Commendatione morum, & uitæ perſuadere ſolemus, cùm ita inſtituitur oratio, ut digni eſſe uideamur, quibus fides adhibeatur. Eſt enim natura comparatum, ut probis, & honeſtis uiris uehementius, celeriuśque credamus, non ſolùm in ĳs rebus, quæ certæ, exploratęq́ ſunt, ſed etiam omnino in ĳs, quæ in utranque partem aſſeruntur opinionis arbitrio. Plane hoc aſſequi, & mereri debemus, non æſtimatione, aut opinione præſumpta, quæ de moribus, & inſtitutis noſtris habeatur, atque eo iudicio, quod orationem præceſſerit, ſed ipſo genere orationis. Cæterum à quibuſdam artis ſcriptoribus longè diſſentio, qui humanitatem, & probitatem eius, qui dicit, nihil conferre ad perſuadendum arbitrantur. Hoc ego ferè caput eſſe, & potentiſsimum in oratore contenderim. Poſt hanc adiuncta eſt illa dicendi, perſuadendiq́ ratio, quæ mentes iudicum ad aliquos motus, affectionesq́ deducit. Neq́ enim eadem nobis mœrentibus, quæ lætantibus, & exhilaratis uidentur: Neque item eòdem iudicia noſtra propendunt, cùm diligimus,

nus, quò cùm nobis infenſus eſt reus. Atque hanc idem perſuadendi, permouendiq́ iudicis rationem, dixi, ſolum ex uniuerſo genere dicendi uidentur ma tri huius artis attingere. Nos de hac ſuo loco dice= us, cùm de affectibus, & permotionibus animi tra= ndum generatim, & indicandum erit. Tertia ratio rſuadendi erat, ut defenſionis ipſius ui, & argumen= adducerentur iudices, ut in nos propenderent: quod , cùm ex probabilibus, quæ in quacq́ cauſa elici poſ= nt, aut uera, aut uerisſimilia eſſe demonſtramus ea, uæ dicimus. Cum igitur omnis ratio dicendi, & uia s rebus ad perſuadendum eſſe nixa uideatur: apertè nſtat eum, qui huic muneri ſe dedicat, quiq́ comple= i, ſcireq́ uult, quibus ex locis ad eas tres res, quæ ad ciendam fidem ſolæ ualent, ducatur oratio, peritum primis eſſe, atq́ acrem in argumentando, & ratioci= ando oportere. Mores deinde hominum, atque uirtu= es perſpectas, atque exploratas habere. Tum demum ermotiones animi omnes ita perdiſcere, ut quæ nam uæque ſit, qualisq́, ſciat oſtendere. Et quibus ex cauſis, ut qua ratione quò uelimus hominum mentes poſsint impelli, optimè, & promptiſsimè teneat. Ex his colligi poteſt, artem, quam Rhetoricam uocamus, ad Dialecti= cam referri ceu ſobolem eius, & tanquam membrum quoddam adnaſcens, neque ad Dialecticam ſolum, ſed etiam ad eam philoſophiæ inſtitutionem, quæ de affe= ctibus, & perturbationibus animi tractat, eam merito ciuilem ſcientiam appellamus. Quare & hãc oratoriam facultatem ſub eo genere poſuerunt, ut ea ciuilis ſcien= tiæ pars eſſe diceretur: & qui huius artis ſtudioſi habe= bantur, Ciuiles homines uocarentur: quòd partim ex imperitia, partim ex impudentia quadam, & faſtu,

partim

partim ex alijs cauſis humanis ortum,ac profectum uidetur. Nam Rhetorica, ut initio præfati ſumus, pars quædam, & ſimilitudo eſt Dialecticæ, utpote quarum neutra certo ullo, ac proprio rerum genere circunſcribatur. Contrà huiuſmodi utraque ſit,quæ ad dicendum nobis copiam ſuggerit, argumentumq́; in omnis ſermonis diſputatione. Quæ ſit igitur utriuſque uis, & qua ſint inter ſe ſocietate coniunctæ, dictum ferè ſatis uidetur.

DANIEL BARB.

DVo uero ſunt genera argu. *Diximus recta habita rei definitione, omnia quaſi emergere,quæ in eius præceptione continentur: id oſtendam oportet, pollicitis enim ſtandum eſt. Plato in Gorgia, Virtus, inquit, omnis cuiuſq; rei, ſiue corpore, ſiue anima conſtet, neq; temere, neq; fortuito cuiq; adeſt, ſed ordine, directione, & arte conſtat, ut nihil ſit aliud rerum uirtus, quàm ordo, ornatuſq́; illius. Cùm igitur iam cõſtet Rhetoricam eſſe uim percipiendi quid in quaq; re perſuaderi poſſit, continuò ſequitur, ut quæramus, quàm uaria ſit oratoriæ perſuaſionis ratio, mox quibus quaſi machinis cõparetur, tum ex quibus aſtruatur, & ad quos adhibeatur: unde agendum eſt de auditorum perſona, de cauſarum generibus, de orationis ornatu, & de reliquis partibus, quas initio tetigimus. Quapropter Ariſtoteles, quem & Cicero & Fabius imitantur, pulcherrimam oratoriæ probationis diuiſionem inducit. Pòſt uarias huius diuiſionis partes paulatim, & minutius diſſecat, ne inſtar inepti coqui membra confringat. Rhetorica perſuadet. Quibus nam rebus? Probationibus. Diuide probationes. Ecce tibi: Omne quod in oratione ſumitur ad fidem faciendam, aut intrinſecus ſumitur, aut foris. Quod intrinſecus ſumitur, tum inuenitur ab Oratore, tum etiam tractatur: quod foris aducnit, tractatur tantum. Hæc prima partitio: mox alterius membri*

particulæ

rticulæ ponuntur: nam, quod in re ineſt, tribus rebus abſol=
tur, docendo, mouendo, conciliando: docemus argumen=
, mouemus affectibus, conciliamus oratione: docere debitum
, conciliare honorarium, permouere neceſſarium, non ratio=
artis, ſed auditoris. Vnde Cicero, Optimus, inquit, eſt ora=
r, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, &
omouet. Sed quemadmodum natura in effingendo corpore
ia primum ſigna conſtituit, in quibus ſita eſt omnis uitæ uis,
r, epar, cerebrum: ita diligentiſsimus artifex naturæ imitator,
ibus ijs quaſi notis eloquentiæ artem uniuerſam ſignificauit.
t nos ad rem. Duplex (inquit Cicero, Ariſtotelem ſequutus)
t ad probandum oratori ſubiecta materia: una earum rerum,
æ non excogitantur ab oratore, ſed in re propoſita (ſic enim
rtit προυπάρχειν) ratione tractantur, ut tabulæ, teſtimonia,
γγραφαι, id eſt, pacta, conuenta, quæſtiones, Senatuſconſulta,
s iudicatæ, reſponſa ſunt, & reliqua, ſi quæ ſunt, quæ non ab
atore pariuntur, ſed ad oratorem, à cauſa, atq; à reis deferun
r: altera, quæ tota in diſputatione, & argumentatione orato
s eſt collocata. De ijs igitur duobus generibus in hoc primo
actatur. Nunc illud conſtare debet, Artificioſum genus (ſic
im illud ἔντεχνον uertit Fabius, id eſſe, quod arbitrio, & com
rehenſione noſtra continetur, ita ut à nobis inueniri, effici, &
actari poſsit: nam ratione, & uia perficitur, inq; artis uſu
eſt, & in rebus ipſis infixum, inſitum, & collocatum eſt. Al=
rum, quod expers artis, & quod idem eſt, ſine arte putatur,
emotum quidem, & aliunde ſumptum, quod nec efficimus nos
rbitrio noſtro, nec inuenimus, ſed tantùm ratione, artificioq;
ractamus, de quo inferius tradetur: nam primũ primò exequi=
ur Ariſtoteles, diuiditq; in partes treis, inquiens, Treis eſſe
icendi rationes generis artificioſi, unam conciliandorum, al=
eram docendorum, tertiam mouendorum hominum. Et hæc
mnia dicendo effici debent. Orationẽ uerò diximus eſſe Ora=
toris

toris inſtrumentum, quare qui loquitur, ita eius orationem inſtruere debet, ut doceat, moueat, & delectet: nam quanquam ſemper requiritur delectatio, maximè tamen in conciliando ualet. Conciliamus autem in primis, cùm ita loquimur, ut ex noſtra oratione auditor facilè intelligat, non poſſe decipi ſe, ac falli: de qua quidem re dicetur in ſecundo, & in tertio. At in ſecundo de inuentione loquetur Ariſtoteles earum rerum, quibus animi conciliantur: in tertio autem de tractatione & uſu, deq; ipſa oratione in cuius facultate poſita eſt dignitas, & autoritas maxima. Cæterùm conciliatio in ea parte ſuam ſedem repoſuit, in qua cupiditas eſt: dicemus enim inferius, in cupidine amorem, gratiam, beneuolentiam, zelotypiã, & alias eiuſdem generis affectiones poni. Quemadmodum ergo iracundia ui quadam, & impetu nobis perſuadet, uel potius imperat: ita cupiditas lenitate, & manſuetudine quadam nos delinitos tenet. ſed de his aliâs: modo tenendum eſt, docendos eſſe, & mouendos, & conciliandos animos eorum, qui audiũt, & omnia hæc eſſe oratione facienda, & iuxta hanc partitionem Ariſtotelem tres effeciſſe huius artis libros, ita ut unicuique parti ſuum dedicauerit librum, quoniam, ut dixi, primus ad docendos, ſecundus ad permouendos, tertius ad delectandos animos ſpectat. Atque hæc diligentiſſimè conſideranda ſunt. Quando igitur ita loquitur orator, ut qui audit, agnoſcat in eo ſimplicitatem quandam: tunc dicendum eſt, oratorem eo fungi munere, quod in hac parte poſitum eſt. Simplicitas enim facilè illabitur in mentes auditorum, quæ res mira in Virgiliano Sinone uiſa eſt, ut & uultu, & oratione id effecerit, ut ſimplex, ſincerus, apertus, & uerus ſit iudicatus. Cauſa uerò huius facti eſt, quia natura comparatum eſt, ut modeſtis magis, & probis, quàm petulantibus, & malis credamus: ab ijs enim decipi, ab illis doceri putamus. Neque hoc loco dicendum eſt, Oratorem eſſe uirum bonum oportere, tanquam id artis ſit proprium: non enim

hoc

; artis eſt,ſed neceſſe eſt,ut ipſe dicendo ſibi aditum faciat, orationem ita inſtituat,ut modeſta,& compoſita iudicetur: ōd ſi etiam re ipſa probus eſt, lucro apponendum eſt pro= dubio,& maius præſidium habebit ad faciendam fidem.No di igitur ſunt mores hominum, quod & Horatij præcepto citur,& bonorum uirtutes pernoſcendæ, in qua quidem re rali ſcientia opus eſt Oratori. Quoniam uerò Ars dicendi ψυχαγωγία,id eſt,deductio animorum,idem,ut dixi,in Rheto a faciendum,quod in Medicina: ut quemadmodum natura mani corporis, morborum uarietas, medicamentorum ge= ra conſiderantur in Medicina, ut corpora ad ſanitatem de= cantur:ita in Rhetorica noſcatur uis animorum noſtrorum, rundem'que affectiones, & medelæ, ut ad perſuaſionem ue= atis impellantur,& iraſcantur quibus iraſcendum, & quo= m miſerendum ſit,miſereantur, lætantes,& dolentes quibus tari,& dolere oporteat.Imaginandum igitur eſt ciuilem ſci= tiam peplum habere,atque ſub eo eſſe omnes artes, & facul res,quæ ad ipſam inſtituuntur,inter quas ipſa Rhetorica eſt, am εἴδωλον,& ſimulacrum ciuilis particulæ Plato appellat: que illud uerbum diſsimulauit quod Ariſtoteles hoc loco di= t ὑποδύεται: nam Plato inquit, ὑπόδυσα ὑπὸ ἕκαστον τὸν μόριον οσποιεῖται εἶναι τοῦτο. Quemadmodum igitur ex ea parte qua= nus Rhetorica utitur enthymemate, & exemplo, eſt quaſi antula dialecticæ adnaſcens:ita, ex ea parte quatenus de af= ctionibus agit, ad ciuilem philoſophiam referri habet. atque ec eſt Ariſtotelis ſententia.

Et qui huius artis ſtudio. Reprehenduntur nonnulli, ui cùm philoſophiæ libros inſpexiſſent, & eos in primis, qui d ciuilem ſcientiam ſpectant,nomen Oratoris ſibi ſumere non ubitabant. Quæ res multas habuit cauſas: nam quidam igno= abant quid eſſet Orator, quo munere fungeretur, quid polli= ceretur, quid præſtaret, & tamen ſe oratores putabant,iuxta

e illud,

illud, Scribimus indocti, doctiq; poëmata paſsim. Alij uerò impudentia quadam, & faſtu ſibi arrogantes, alij quia ea fama ſibi utilis erat, huic ſe ſtudio tradidere, qui multum à uero tramite declinarunt: quandoquidem non modò ad Politicen, ſed ad Dialecticen Rhetorice intuetur. Atque hæc ſunt, quæ his duabus partibus continentur, quorum ſenſus is eſt: Duplex eſt probandi ratio, artificioſa, inartificioſa. Artificioſa triplex, probans, concilians, mouens: & propter has Rhetoricam, ad moralem, ciuilem, diſceptatiuamq; facultatem referunt. Verba per ſe plana ſunt, ſed τῶ ἤθους nomine modeſtiam intelligo: non eam, quæ ſit uirtutis habitu comparata, & in animo inſignita, & impreſſa: ſed illam, quam nos oratione paramus. Virtutes ipſæ habitus ſunt boni, qui habentes perficiunt, nec facilè deleri poſſunt. Potentia, eſt propenſio ad perturbationes. Perturbatio medium inter potentiam, & habitum locum tenet, neque uirtus eſt, neque uitium. Rectè igitur Ariſtoteles ſeparauit uirtutes ab affectionibus.

Inſtrumenta Rhetoricæ, quibus prima ratio perſuadendi contineatur, eſſe duo, Exemplum ſcilicet, & Enthymema. CAP. IIII.

ILLA igitur pars, in qua rerum ipſarum explicatio, & defenſio poſita eſt, id eſt, Argumentatio omnis, qua demonſtrantur, aut demonſtrari uidentur, uera eſſe ea, quæ dicimus, quemadmodum in Dialectica per inductionem, & ſyllogiſmum abſoluitur, ita apud Oratorem per exemplum, & enthymema tractatur. Enthymema appello oratorium ſyllogiſmum, Exemplum oratoriam inductionem. Nam omnes qui aliquid docere, probareq; uolunt, non alia ratione fidem facere poſſunt, quàm aut enthymematibus, aut exēplis. Quapropter ſi penitus neceſſe eſt, ut omnia, quæ probantur ab omnibus, aut inducendo, aut ratiocinando probentur,

quod in cōmentationibus reſolutorĳs clariſsime oſtendimus: reliquum eſt, & maximè neceſſarium, ut & exemplum inductio, & enthymema ſyllogiſmus eſſe uideantur. Quæ uerò differentia inter exemplum & enthymema conſtitui debeat, dictum eſt, & explicatum in Topicis. Ibi enim cùm de Syllogiſmo, & Inductione ageremus, indicatum eſt, eam argumentationem, in qua ex pluribus, atque ſimilibus rebus demonſtraretur, ita eſſe aliquid oportere, à Dialecticis inductionem, ab Oratoribus exemplum uocari. Eam autem argumentationem, in qua poſitis quibuſdam, aliud quiddam, præter ea, quæ poſita eſſent, ui tamen, & poteſtate illorum, quę poſita eſſent, eueniret, eliceretur'que, eò quòd illa aut in uniuerſum, aut ferè fieri, conſtare'que ſoleant, Syllogiſmum ab illis, ſiue Ratiocinationem, ab Oratore Enthymema appellari. Porrò manifeſtum eſt, utrunque bonum ad oratoriam facultatem adiunctum eſſe: Quemadmodum enim in Dialectica utrunque ſua ratione tractatur, ita & hîc adiumēta illa orator ad ſuum uſum accommodat. Proinde aliquando rationes adhibet eas, quæ nituntur exemplis: aliquando eas, quæ enthymematibus urgeant. Sunt etiam Oratores alĳ, qui exemplis agant: alĳ, qui uti enthymematibus ſoleant. Sunt autem Exempla non minus quidem apta ad faciendum fidem, & inclinandas hominum uoluntates: quàm Enthymemata: ſed infeſtior, efficacior'que aliquanto uidetur oratio, quæ enthymematibus redundat. Sed quamobrem hoc contingat, & quanam ratione utrunque genus tractandum ſit, aperiemus pòſt.

DANIEL BARB.

ILla igitur pars in qua. *Poſtquàm diuiſum eſt artificioſum dicendi genus, neceſſariò ſequitur, ut de inſtrumētis, &*

 machinis

machinis pertractetur: non enim cõſequi rem ullam poſſumus, niſi eas res habeamus, quibus tanquam inſtrumentis utamur. Quatuor igitur eſſe fidei faciendæ inſtrumenta dicit, & probat Ariſtoteles: *duoq́; ad* Dialecticen, & *duo ad* Rhetoricen *pertinere, & ſibi inuicē reſpondere: nam* Syllogiſmus *ad* Dialecticum, Enthymema *ad* Oratorem *ſpectat.* Item Exemplum *oratoria machina eſt,* Inductio *uerò* Dialectica: *atq; ut ſyllogiſmo enthymema, ſic inductioni reſpondet exēplum.* Non *eſſe autem plura inſtrumenta his quatuor, probat* Ariſtoteles *ab omnium uſu;* Omnes *enim, inquit, cùm docere uolūt, nullis alijs utuntur machinis, præter iam numeratis.* Quid *autem ſit unūquodque inſtrumentum, modò aperiemus.* Syllogiſmus *(qui &* Ratio, & Rationis *collectio, &* Ratiocinatio *dicitur) eſt oratio, in qua conceßis quibuſdam, & cõfeßis, aliud, quàm quæ conceſſa ſunt, præterea neceſſariò conficitur.* Colligo *enim hominem eſſe animal, eo quia mihi conceſſum fuit tum aſſumptum illud,* Omne *aptum riſui eſſe animal: tum & illud,* Omnem *hominem eſſe aptum riſui: id autem quod colligo, diuerſum eſt ab illis aſſumptis: & ab illis, quia uera ſunt, & ſua ſerie collocata, proficiſcitur.* Inductio *autem hoc loco eſt oratio, qua per ſingulas res in ipſum uniuerſale ſuperuenitur: ut ſi gubernator, & auriga optimus intelligitur, qui rationes gubernandi, & dirigendi cognoſcit: in uniuerſum quacunque arte optimus is fuerit, qui rationem eius artis, quam profitetur, agnoſcet.* Non *eſt autem hoc loco inductio illa, quæ* παραγωγὴ *dicitur à* Cicerone, *neque illa de qua mentionem facit* Ariſtoteles *in ſecundo primæ reſolutionis.* Sunt *enim, inquit* Cicero *in* Topic. *ſimilitudines quæ ex pluribus collationibus perueniūt quò uolunt: hoc modo: ſi tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator.* Hæc *ex pluribus perueniens quò uult, appellatur* Inductio, *quæ* Græcè ἐπαγωγὴ *nominatur: qua plurimum eſt uſus in ſermonibus*

monibus Socrates, cuius exemplum ponit idem Cicero in primo de Inuentione, ubi argumentationem partitur: Ariſtoteles autem inductionem quandam ſyllogiſmo ſimilē facit, quoniam & concludit aliquid, & colligit ut ſyllogiſmus: ſed hoc intereſt, quoniam ſyllogiſmus cohærere facit extrema ratione medij, utputa facit coaleſcere animal cum homine, ut uerum ſit dicere, hominem animal eſſe, eò quia eſt aptum riſui: quod medium eſt, cum utroq; extremo aliquid commune habet. At inductio non ratione medij, ſed alterius extremi, hoc eſt, minoris, cum medio maius extremum adnectit. hoc modo fit primùm ſyllogiſmus, Quodcunq; bile caret longæuum eſt, atqui omnia hæc animalia, ceruus, cornix, mulus bile carent, omnia igitur hæc animalia longæua ſunt. Atq; is eſt ſyllogiſmus: qui ſi debet in inductionem uerti, neceſſe eſt, ut longæuum, quod eſt maius extremum, medio inſit, quod erat bile carere, & hoc ratione minoris faſtigij, hoc modo, Omnia hæc animalia ceruus, cornix, & mulus longæua ſunt, eademq; bili carent, quodcunque igitur bile caret, longæuum. Intelligendum uero eſt ipſum faſtigium minus ex omnibus indiuiduis conſtare: Inductiones enim non niſi repræſentatis omnibus conualeſcunt. Planè ſyllogiſmo tali propoſitiones primæ, immediatæq; uendicantur: nam propoſitiones, quæ hiant, mediumq; obtineant. ſyllogiſmo, qui per medium illud nectatur, probari debent. Contrà, iunctis, & carentibus intermedio uſus inductionis dicatus eſt, & omnino ſyllogiſmus ad quendam modum inductioni contrarius uidetur: eò quòd ſyllogiſmus primum de ſummo per medium demonſtrat, inductio primum de medio per ſummum. Prorſus naturam ſpectanti prior, & aptior ad cognoſcendum ſyllogiſmus eſt, qui per medium inſtituitur: nobis certè, qui per inductionem abſoluitur, euidentior eſt. Hæc Ariſtoteles, ut Hermolaus aliàs interpretatus eſt. Sed non ſolùm Inductionis nomen uarium eſt, at Enthymematis quoque di-

uerſa eſt acceptio. Nam Hermogenes, Tullius, & Ariſtoteles, *aliud, atque aliud eſſe* Enthymema *dicunt. Sententia omnis apud* Ciceronem Enthymema *dicitur: nam ut* Homerus *nomen commune poëtarum effecit ſuum, ita ſententia, quæ conficitur ex contrarijs, nomen commune poſſedit: ut, Quum nihil accuſas, damnas: hoc* Cicero Enthymema *uocat, quod non à contrarijs, ſed à repugnantibus eſt re uera: quare non uidetur* Cicero *cõtraria à repugnantibus ſeparare.* Poteſt *etiam fieri ſyllogiſmus, Si non accuſas, non damnas: non accuſas autem, non damnas ergo.* Hermogenes Enthymema *uult eſſe exempli gratia illud, quod in Pompeiana fecit* Cicero: *Maiores noſtri mercatoribus, & nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bellum geſſerunt: uos, & reliqua.* Latini *hanc fortaſſe uocarent* Expoſitionem, *quæ licet oratori neceſſaria ſit, non tamen de hac ſermo eſt.* Philoponus *autem* Enthymema *dictum putat, eò quia in animo alteram aſſumptionem relinquat: hoc modo: Peperit, ergo cum uiro concubuit: quod placet* Ariſtoteli. *Eſt ergo* Enthymema, *id eſt commentatio, imperfectus ſyllogiſmus, ut dicetur.* At Exemplum *eſt, cùm aliquid ſingulare ex uno, altero, aut altero ſingulari colligimus. Quemadmodum autem* Inductio *ipſa, ut ait, aliter perſuadentibus magis & accommodata eſt, & perſpicua, item ſenſui compertior, & imperitis promiſcua: ſyllogiſmus autem ui maiore fertur, & ad contradictiones euidentiam ampliorem habet: ita infeſtior, efficaciorq; aliquanto uidetur oratio, quæ enthymematibus referta eſt: licet exempla non minus quidem ſint apta ad faciendum fidem, & inclinandas hominum uoluntates, quàm enthymemata. Sed de ijs inſtrumentis latior eſt nobis dicẽdi cãpus ab* Ariſtotele *infrà relictus. Quando autem* Ariſtoteles *ait:* Argumentatio omnis, qua demonſtrantur, aut demonſtrari uidentur, uera eſſe, quæ dicimus: *intelligit tam de* Rhetore *ex arte, quàm ex propoſito. Cùm uerò in definiendo* Syllogiſmo *dicit,*

Eò

ò quòd illa in uniuerſum, aut ferè fieri, conſtareq́; ſoleant: in- lligit Syllogiſmum ex neceſſarijs colligentem, quem ἀπόδει- ν, id eſt, euidentem probationem uocant, & Syllogiſmum alecticum, qui ex probabilibus concludit. Non temere *au- m dixit, Sunt etiam oratores alij, qui exemplis agant: alij, ui uti enthymemate ſoleant. Vult enim dicere, Si inuenire- r aliud inſtrumentum, quo uti poſſemus, Orator ab eodem omen accepiſſet: quemadmodum qui utuntur exemplis, ut So ates, παραδειγματώδεις: & qui enthymematibus, ut Demo- henes, ἐνθυμηματικοὶ dicuntur: ita alij ab alio inſtrumento ocarentur.*

De rebus, & auditoribus oratoriæ facultati ſubiectis. CAP. V.

NVNC de ijs purius, ſimpliciusq́; dicemus. Cùm igitur omne probabile alicui probabile habea- ur: & cùm ex probabilium genere alia ſint, quę ſimul- tque expoſita ſunt, ſua ſe ui, & ratione confirmant, tque creduntur: alia, quæ non ſtatim expoſita, ſed tum lemum, cùm per ea, quæ per ſe probabilia ſunt, de- monſtrata, & approbata uidentur eſſe: nulla uerò do- ctrina contemplationem ſingularium faciat: uerbi gra- ia, Medicina non tradit quid ſit ſalutare Socrati aut Calliæ, ſed quid cuique ita affecto conueniat, aut quid tali detentis morbo, hoc totum artificio continetur: ſin- gularium ratio infinita eſt, & quæ nulla ſcientia com- prehendi poſsit: Ita & ars dicendi non conſiderat ea probabilia, quæ referuntur ad ſingulos, puta quæ ad Socratem, aut quæ ad Hippiam, ſed quæ ad tales, aut tales accommodentur: quod & Dialectica facit. Illa enim non ex omnibus, quæ cuique uidentur, conſtituit ſyllogiſmos, cùm pleraque ſint, quæ uel dementibus, deliberantibusq́; uideantur: ſed ex ijs, quæ ad diſputa- tionem ſunt & probationem opportuna. Rhetorica

quoque non de omnibus præcipit, ſed de ijs, quæ in cognitionem, conſultationemq́ʒ uenire conſueuerunt. Sanè munus, atqʒ officium artis huius in earum rerum tractatione uerſatur, de quibus diſceptatio, conſultatioq́ʒ haberi poteſt, & quarum nulla eſt conſtitutio artis, aut præfinitio. Neque hoc duntaxat eſt in Oratore præcipuum, ſed etiam illud, quòd non ab omnibus audiri ſe uult: ſed ab ijs tantum, qui non poſſunt contueri multa, neque de longinquo proſpicere, & æſtimare acriter eas res, quæ uideantur poſſe in partes contrarias diſputari. Nam res, quæ nunquam fallunt, id eſt, quæ non poſſunt aliter factæ fuiſſe, quàm ſunt factæ: aut non aliter factæ iri, quàm una ratione: aut aliter eſſe, quàm ſint: nunquam ad diſſenſionem, aut conſilium deferuntur: utiqʒ ſi tales eſſe, ut fallere non poſsint, exiſtimetur: Quia ſcilicet de huiuſmodi rebus nequeat in utranque partem, ſed in unam tantùm ſententiam ab omnibus conſuli. Fieri quidem poteſt, ut ea, quæ ratiocinando concludimus, interim conficiantur ex ijs, quæ & ipſa prius approbata ſyllogiſmo fuerunt, interim ex ijs, quę quanquam ſyllogiſmo non approbantur, coniunctione tamen ſyllogiſmi, & aſtructione ratiocinationis egent, quòd incerta alijs, obſcuráque uideantur. Etenim duo illa ſæpe deſiderantur in illis: Alterum, ne quæ ſumuntur, longinqua ſint à quæſtione, iudex enim habendus eſt ſimplex, & rudis: Alterum, ne ex confeſsis, aut ex ijs, quæ poſita in communi opinione non ſunt, argumenta ducantur. Quare neceſſe eſt, ut tum exemplum, tum enthymema, ex ijs rebus conſtituantur, quæ poſsint plerunque uel aliter eſſe, quàm ſint. Dictum eſt autem & ſuperius, Exēplum eſſe inductionē, & Enthymema ſyllogiſmum; hoc ex paucis exiſtere oportet,

aut

aut ex paucioribus ſæpenumero, quàm ſyllogiſmus primus conſtat. Si enim ex ijs aliquid plane cognitum fuerit, atque perſpicuum, explicare non oportebit, quia ipſemet auditor ſolet illud adiungere. Exempli gratia: Probanti Doricum quendam coronario certamine uiſtorem fuiſſe, ſatis eſt declarare, uiciſſe illum Olympica: necq; oportet illud adijcere, aut inferre, Olympicum certamen eſſe coronarium: quia ſcilicet exitus huiuſmodi omnibus eſt conſpicuus.

DANIEL BARB.

NVnc de ijs purius, ſimpliciusq; dicemus. *Manifeſtum eſt ex ijs, quæ dicta ſunt, orationes illas, quæ perſuadendi uim tenent, duabus quaſi machinis in oratoria facultate conniti,* Enthymemate, *&* Exemplo, *uel re ſimili enthymemati, & exemplo: nunc de ijs quærendum eſt perinde, ac ſi quæratur, quæ nam ſit materies, ex qua malleus fabri cõficiatur: hoc eſt, ex quibus nam rebus enthymemata, & exempla, quæq; uidentur enthymemata & exempla, conſlentur.* Ordo *autem pulcherrimus eſt, ut conſtat.* Res *igitur oratorijs machinis neceſſariæ ſunt ea, quæ uel probabilia, & perſuaſibilia (idem enim hoc loco ſuaſibile, & probabile) uel ijs ſimilia ſunt.* Sed *quoniam* Probabile *nomen ambiguum eſt, ideo rectè fiet, ſi eius pura diſtinctio afferatur.*Probabile *igitur duas comparationes habet, alteram ad rem, quæ probabilis eſt, alteram ad perſonam, cui probabile uidetur. Si comparatur ad perſonam, aut uni, aut pluribus, aut uniuerſis probabile erit: ſi comparatur ad rem, res illa, aut uniuerſalis, & communis, aut ſingularis erit, & propria, & utraque aut per ſe nota, aut per aliud, quemadmodum in demonſtrationibus principia ſuapte ui cognita ſunt, concluſiones uerò per aliud. Cùm igitur* Probabile *tot modis dicatur,* Ars *& facultas oratoria non utitur ijs orationibus, quæ uni perſuadent: hoc enim infinitum eſt, &*

ignotum, nec artificio comprehendi poteſt. Varia enim ſunt hominum ingenia, diuerſæ appetitiones, & mutabiles uoluntates, quæ in eodem quoq; aliquo euentu mutari poſſunt. Quare Orator ijs non utetur, ſed illis, quæ aut maiori parte, aut ab uniuerſis probari ſolent. Et in hoc Rhetorica *etiam cõſors eſt* Dialecticæ: *nam* Dialectica *non quid cuique uideatur aſſumit, multa enim delirantibus, & ſtultis uidentur, ſed quod diſceptatione, & cognitione digniſsimum ſit: idem facit* Rhetorica: *non enim aſſumit, quæ ab uno commendantur, ſed quæ maior pars conſultatione digna exiſtimat. Verùm hoc diſcrimen intercidit, quòd* Rhetorica *probationes illas aſſumit, quæ in conſuetudine poſitæ ſunt, quibusq; aſſentitur uulgus:* Dialecticus *autem, & artifex ſcientificus ijs principijs utitur, quibus eſſe neceſſarium, quod ſequitur, oſtendi poteſt.* Patet *igitur* Enthymemata, & Exẽpla *ex ijs rebus fieri, quæ parte plurima fiant, & referantur ad uniuerſos, & multitudini ſint manifeſta: nam ad eos adhibentur auditores, qui longam, & continuam ſeriem aſſumptionum nec intueri mentis acie, nec æſtimare iudicio queant: ita ut rerum primordia inueniant: quod optimè fit in ſcientijs mathematicis: nam cõcluſio poſtrema à proxima, proxima à ſuperiori probatur, & ſuperior ab alia ordine quaſi catena anulo cõtinetur, donec principia uniuerſæ, ut ita dicam, genealogiæ reperiãtur.* Auditores *igitur eloquentiæ uel ob breuitatem tẽporis, uel ob rei naturã, quæ nullo nexu coniungitur, nequeunt his gradibus ad primordia peruenire: hinc eſt quòd* Oratores *altera ſæpe aſſumptione contenti, colligunt, & concludunt: uerbi gratia:* Nocturnus ambulat, ergo *fur.* Comam nutrit, ergo adulter. Orator *igitur in oratione, qua perſuadet, res illas ſumit, de quibus conſultatio fit: quare ſi quid effici non poteſt, deliberatio tollitur.* De *præteritis autem non erit conſilium, nec de neceſſarijs, quæ ſcilicet prouidentia noſtra mutari non poſſunt: nemo enim ſciens de neceſ-*

ſarijs

ſarijs decernit, ſed de ijs, quæ parte plurima fiunt, neque id quidem abſolutè, ſed eo additamento, ut aliter eſſe poßint, conſultatur. Quare aſſumpta illa, quæ relicta ſunt in ſuperioribus enthymematibus, Qui comam nutrit, adulter eſt: & qui noctu incedit, fur: tum in alijs, partim ſunt falſa, & ideo non ponuntur, ne mendacium appareat: partim manifeſta, fieri quidem poteſt. Credo quæ hactenus dicta ſunt, ſatis rectè explicata, & appoſitè fuiſſe interpretata. Sed is, qui ſequitur locus, difficilior eſt, et inuolutior quàm dici poteſt, niſi Ariſtoteles eum libro ſecundo declaret. Quare admonuiſſe uolui eos, qui hunc locum uident, ut illuc ſe referant, ubi de enthymemate loquitur Ariſtoteles: nam ibi ait, Ratiocinatio omnis conſtituenda eſt ita, ut res nec longe petitæ, accerſitæq; uideantur, nec ſine delectu paßim aſſumptæ: nam alterum ob prolixitatem offundet rationibus tenebras, alterum ob nimiam claritatem uanum, & garrulum oratorem oſtendet: & reliqua. Sed exemplo melius id innoteſcet. Dico igitur, Argumentum, & rationem, quæ ad rem probandam ſumitur, interdum eſſe propinquā rei quæſitæ, interdum autem remotam, ut uel in tertia, aut quarta, uel quinta ſede ponatur, uel ſuperiori etiam, ut euenire poteſt. Quare manifeſtum eſt, rationem ſæpe quæſtioni conferre, interdum rei, quæ ſit quæſtioni proxima: exempli gratia, Quæſtio eſt, an Clodium occiderit Milo. Ratio proxima ad hoc probandum eſt, Quia hoſtis erat: ratio à quæſtione remota, Inimicus occidit. hæc quoniam communis eſt, & generalis, (quis enim non ſibi perſuadebit eum, qui interficeret aliquem, hoſtem illi fuiſſe?) uel ſi dubium ſit, uidendum eſt, utrum hoſtis ſemper interficiat: quod etiam ubi notum fuerit, non ſtatim quod quæritur, innoteſcet. Sed ad hoc conducit, ut oſtendas rurſum Milonem inimicum fuiſſe. quod ubi approbaueris, tunc demum ad id, quod quæritur, reuerti poteſt. Milo igitur, quia inimicus erat, Clodium interfecit. Accidit igitur ut probentur

quædam ex aſſumptionibus, quæ ipſæ quoq; aliunde collectæ, comprobatæ'que ſint: quædam ex non probatis, quæ ſcilicet ſuapte ui non erunt manifeſtæ, Fiet ergo propoſitionum acer uus, qui ab homine imperito, & ſimplici, cuiuſmodi iudex eſſe ſolet, intelligi nequaquam poterit. Quare ignorata longa illa propoſitionum conſecutione, hoc eſt, ſerie, ordineq; argumentorum, concluſionem quoque ignorari oportet. A' proximis ergo ſumendæ ſunt rationes: nam quæ de longinquo aſſumuntur, à iudicibus non æſtimantur: quæ uerò perſuaderi nequeunt, & à conſuetudine communi abhorrent, non ueniunt in quæſtionem. Quare ex ijs dictis neceſſaria præcepta colligimus, Enthymemata ſcilicet, Exemplaq; ex ijs principijs, & aſſumptionibus confici, quæ ſunt ex rebus aliter atque aliter euenientibus, propinquis rei quæſitæ, ſuaſibilibus & uendibilibus. Si quid uerò per ſe apertum eſt, & perſpicuum, id omnino relinquēdum, ſuo ut loco dicetur, & Cicero in Partitionibus oſtendit: Quodq;, inquit, ex ijs efficitur, ſi id apertum ſit, non habebimus ſemper neceſſe concludere.

Ex quibus Enthymema conſtet: & quid ſit Credibile, ſeu Conſentaneum, quid Signum, ex quibus Enthymemata conſtituuntur. CAP. VI.

CV'M uerò perpauca ſint neceſſaria, ex quibus Rhetorici ſyllogiſmi conflantur, quia ferè plurima, quæ in iudicium, diſceptationemq; uocantur, poſſunt aliter eſſe, quàm ſunt: Nam conſultatio omnis, contentio'que ciuilis, uerſatur in ijs rebus, quas ipſi agimus: omnia porrò, quæ aguntur à nobis in eo genere poſita ſunt, ut aliter eſſe poſsint, & fallere: & nihil eſt ex eo numero fere, ut ita loquar, quod neceſſarium eſſe uideatur: Quæ uerò quanquam plurimum fieri ſolent, poſſunt tamen aliter cadere, neceſſe eſt, ex rebus eiuſdem naturæ, atque generis approbentur: Neceſſaria autem

ex neceſſarijs doceantur, atque hoc Reſolutorijs uolu= minibus eſt declaratum: Manifeſtè colligi poteſt, Eas res, ex quibus enthymema ſumetur, aut neceſſarias, aut plurimum euenientes eſſe oportere: atque hoc poſterius rerum genus longè copioſius, numeroſiusq; habetur. Porrò enthymemata ex ſignis, credibilibusq; dicuntur exiſtere: Proinde neceſſe eſt, uti rerum illarum, ex qui= bus illa conſtituuntur, alteræ ut ſigna, alteræ ut credibi= lia aſſumantur. Credibile enim ſeu Conſentaneum eſt id, quod fieri ſolet: non ſimpliciter, abſoluteq;, ut non= nulli determinant: ſed ita, ut illud intelligatur eſſe credi= bile, conſentaneum'ue, quod tamen circa eas res uerſe= tur, quæ aliter habere ſe poſſunt: hoc eſt, ut ad quod cre dibile, conſentaneum'ue eſt, comparetur ut genus, & uniuerſum quoddam ad partem. Signa uerò bipartita ſunt: quædam enim tanquam partes ad uniuerſale, alia contrà tanquam uniuerſalia, & genera comparantur ad partes: tum deinde in illas diuiduntur, ut alia neceſ= ſaria ſint indicia, quæ Tecmeria appellantur: alia non neceſſaria; atque hæc penes hoc diſcrimen propria nun= cupatione caruerũt. Neceſſaria dicuntur, ex quibus per= ficitur, & abſoluitur ſyllogiſmus. Quapropter cum quis huiuſmodi aliquid dixiſſe ſe putet, quod inſolubi= le uidetur, tunc ſe arbitratur cõſummatiſsimum, & ex= ploratiſsimum argumentum attuliſſe. Proinde ueteri lingua Tecmar, unde Tecmerium dictum eſt, finem & abſolutionem ſignificabat. Diximus autem ſignorum alia eſſe tanquam partes, & ſingula generum: Alia tan= quam genera ſingulorum, & partium. Singula gene= rum hoc modo ſe habent, ut ſiquis eo ſigno probet, Sa= pientes omnes iuſtos eſſe, quòd Socrates & ſapiens, & iuſtus fuerit: hoc, ut dixi, quanquàm ſignum eſt, ſol=

ui tamen

ui tamen, refelliq́ poteſt: quia tametſi uerum ſit quod dicitur, non poteſt tamen ſyllogiſmi approbatione confirmari. At ſi quis dicat, ſigno eſſe aliquem ægrotare, quòd febriat: aut peperiſſe aliquam, quòd lacteſcat: neceſſarium indicium afferre uidetur, atque hoc ſolùm putari poteſt ſtabile, & certum argumentum eſſe, quippe quod ſolum, & uerum, & inſolubile habeatur. Signa uerò, quæ tanquam genera ſingulorum adducuntur, hoc modo intelligantur, ut ſi quis febrictem eſſe quempiam affirmet, eo indicio, quòd crebrum, & frequentem anhelitum ducat: ſed & hoc quoque, quamuis ſit uerum, ſolui tamen, confutariq́ ſolet: quia ſcilicet fieri poteſt, ut qui non febriat, tamen concitato anhelitu ſit. Ergo quid nam ſit Credibile, & quid Signum, & quid Indicium illud firmiſsimum, quod diximus Tecmerium appellari, & qua inter ſe diſtinctione ſeparentur, dictum iam eſt. Quanquàm hæc dilucidius, exquiſitiusq́ in alio nobis tractata ſunt opere: uidelicet in Reſolutorio, ubi & hæc ipſa, prætereaq́ & illud docuimus, Quam ob cauſam aliquæ res ſyllogiſmo recipi, probariq́ poſsint, aliquæ uerò non poſsint.

DANIEL BARB.

CVm uero perpauca ſint neceſſaria. H*is habitis, melius ſeipſum exponit Ariſtoteles, oſtendens quales deceat eſſe præſumptiones, quibus* Orator *utatur in* Enthymematis *cõficiendis: nam ex ijs oſtendetur uarium eſſe* Enthymematum *genus: perinde ac ſi oſtendatur, malleum eſſe, uel ex ferro, uel ex chalybe, & propterea diuerſas appellationes ſortiri. Cùm igitur rerum quædam ſint neceſſariæ, quædam non neceſſariæ: licet multæ ſint ex neceſſarijs, paucißimæ tamen ſubeunt* Rhetoricam *conſiderationem.* Ratio *eſt, quia maior pars iudiciorum, & deliberationum circa humanas uerſatur actiones, quæ certum*

certum ſibi, ac neceſſarium euentum præfinire nequeunt, ſed ſecus fiunt, ac opinio eſt: quare manifeſtum eſt, initia, ex quorum ui, & natura concluſiones ſequuntur, magis ex ijs rebus conſtare, quæ aliter eſſe poſſunt, quàm ex ijs, quæ neceſſariæ ſunt. Dixi autem concluſiones ex ui, & natura initiorum ſequi ad hunc ſenſum, ut ſi prima neceſſaria ſint, concluſiones quoq; neceſſarias fore: ſi uera, ueras: ſi contingentia, contingentes, ita ut ſimile ſit ſemẽ, & id, quod ex ſemine colligitur. Quare initia Enthymematũ neceſſaria ſunt interdum, interdũ uerò non neceſſaria: quod uel hac ratione patet, quia Enthymemata fiunt tum ex credibilibus, tũ ex ſignis: credibilia uero & ſigna, res habẽt utriuſq; naturæ ſibi ſubiectas, neceſſariæ ſcilicet, & contingentis. Sed res admonet, ut fuſius agatur. Enthymemata uel fiunt ex credibilibus, & conſentaneis rebus, quæ ἐικότα dicuntur, uel fiunt ex ijs, quæ tanquam ſigna ſunt rerum. Signorum quædam ſe habent ut pars ad totum, & tertia figura abſoluuntur: quædam ut totum ad partes. Ex his quædam ex rebus neceſſarijs cõficiuntur, unde τεκμήρια, id eſt, certæ rerum notæ uocantur, & figura prima abſoluuntur: quædam ex rebus nõ neceſſarijs, ſed ſecus euenientibus, hæc proprio cum careant nomine, commune appellunt, quare σημεῖα, id eſt, ſigna uocantur, ſui generis uocabulo gaudentia, & figura media uendicantur. Adducã ego Ariſtotelis uerba in Logicis de hac re, ut lucidius fiat quod dictum eſt: Credibile, inquit, non eſt idem cum ſigno, ſed Credibile propoſitio eſt ueriſimilis. Quod enim ſcitur, ſic fieri uel non fieri parte plurima, item eſſe uel non eſſe, hoc uocatur credibile: uerbi gratia, odio haberi qui nobis inuideant, diligi eos quorum amore capti ſumus. Signum uerò annititur, & requirit, ut propoſitio eſſe cenſeatur euidenter firma: per neceſſaria ueriſimilis: id enim quo ſtante res ſtat, aut quo effecto uel effecta prius res eſt, uel efficienda pòſt, hoc ſignum, & argumentum uocamus, quamobrem uel factum fuerit quic-

quam,

quam,uel ſit. Hæc etiam Cicero non diſsimulauit: Credibile, inquit, eſt, quod ſine ullo teſte auditoris opinione firmatur. & alibi: Veriſimile, quod plerunque ita fiat. Signum autem eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quoddam ſignificat, quod ex ipſo profectum eſt, quod aut antè fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum. Signum autem tripliciter capi ſolet, quàm multis modis uidelicet medius terminus in figuris: nam ut ait Ariſtoteles eodē loco, uel in primam, uel in ſequentem, uel in poſtremam refertur. Vterum enim gerentem docere, argumento quòd lacteſcat, figura prima regitur: ut, Lacteſcens uterum gerit, Porcia lacteſcit, Porcia ergo uterum gerit. Qui uerò ſtudioſos eſſe, qui ſapientes ſunt, probaret per hoc, quia Pittacus ſtudioſus fuit, per poſtremam figuram probaret hoc modo: Pittacus ſtudioſus eſt, idem'que ſapiens: ergo ſapientes ſunt ſtudioſi. At qui grauidam Glycerium cōtendat, propterea quòd pallida ſit, figura media uult hoc effici: Grauida palleſcit, Glycerium palleſcit, Glycerium ergo grauida. Porrò ſi unica propoſitio efferatur, ſignum modo erit: ſin & altera, ſyllogiſmus condetur: ut, Pittacum liberalem eſſe, quòd gloriæ ſtudioſi liberales ſunt, ſtudioſus autem gloriæ Pittacus ſit. Item, Sapientes bonos eſſe, quòd Pittacus bonus, & ſapiēs idem ſit. Et plane ſyllogiſmi hoc modo fiunt: ſed intereſt, quòd qui figura prima texitur, inſolubilis texitur, ſi concluſio uera ſit, quia conſtat uniuerſaliter: qui uerò ſumma nectitur, diſſolubilis nectitur, etiam ubi uera concluſio eſt: quia neque conſtat uniuerſaliter, neque pertinet ad negotium: non enim ſi Pittacus ſtudioſus eſt, propterea & ſapientes alios ſtudioſos eſſe. At qui figura media cōſiſtit, & ſemper, & uſquequaquā diluitur: Neque enim ſi grauidæ palleſcant, palleſcat uerò hæc, continuo grauida ſit hæc oportet. Ita figuris omnibus comprehenſio poteſt eſſe uera quidem, ſed diſcriminibus ijs, quæ reddidi. Aut igitur digerenda ſunt hoc modo ſigna, & è ſignis id, quod

in me-

in medio conſtituitur argumentum uocandum (ſic enim τεκμήριον uertunt) Argumentum enim definiunt eſſe, quod facit ſcire. Aut ſic, quæcunq; mandantur extremitatibus, ſigna ſunt, uel indicia: quæcũq; in medio ſedes recipiunt, argumẽta. Hæc enim quæ per figuram primã ſunt, & maximè probabilia, & impẽſè uera noſcuntur. Hæc Ariſtoteles, ubi eius artificium probatur, qui in Dialecticis Dialectica ratione uſus eſt, in oratoria uerò arte oratorio ſigno: nã à definitione τεκμηρίου, id eſt argumenti, eo loco rationẽ ſumpſit: probat enim ſignum quod in medio termino conſtituitur, argumentũ uocari, eò quia argumentum eſt id, quod ſcire facit: hic autẽ à nominis deriuatione argumentatus eſt: τέκμαρ enim lingua ueteri finem, & terminum ſignificabat: ideo factum eſt, ut qui huiuſmodi ſignum attulerit, quod inſolubile ſit, τέλος attuliſſe dicatur, hoc eſt finem rationis, & exploratam rei collectionem. Non debet autem mirum uideri, ſi ea ſigna nos docuit, quæ in falſum incidant ſyllogiſmũ: namque Orator apud inſcios loquitur, & imperitos, qui quæ facile diſſoluuntur, ueriſſima eſſe credunt. Cicero autẽ antiquorum ſententias ſecutus, probationes incontingentes, & neceſſarias diuiſit: nam εἰκότα, quæ ipſe credibilia uocat, parte plurima fieri dicit. τεκμήρια uerò, quæ ipſe proprias rerũ notas appellat, neceſſaria eſſe declarat, ut fumus ignem oſtendit. Credibile autem ſe habet ut uniuerſale ad particulare: nam ſi probare contendas Catilinam ad libidinem pronum, illud εἰκὸς, id eſt, aſſumptum primum, quo dicitur Adoleſcentes omnes ad libidinem proniores eſſe, ita ſe habet, ut uniuerſum ad partẽ, ſi cum altero comparatur aſſumpto: eſt autem aſſumptum alterum, Catilinam eſſe adoleſcentem. Aſſumpta uel Aſſumptiones uoco ea, quæ ad aliquid probandum ſumuntur: Maius, ut dixi, in quo maior extremitas: Minus, in quo minor: Extremitates intelligo eas, quæ in concluſione afferuntur, ut una de altera uel accuſetur, uel non accuſetur: Maiorem, eam quæ accuſatur:

Minorem eam, de qua altera accuſatur. Hæ uerò extremitates, uel faſtigia ratione alicuius medij coniuncta, & diſpoſita efficiunt, quòd cōcluſio rationis talis euadat, qualem ſtudemus facere. Quando igitur medium in primo uel maiori aſſumpto ſubijcitur maiori faſtigio, & in altero uel minori, de minori faſtigio affertur, tum prima abſoluitur figura: cùm uerò utrinque affertur, media: cùm utrinque ſubijcitur, infima. Atque hæc ſatis pro tempore dicta ſint. Quid autem interſit inter Credibile, & Signum, ex antè habitis conſtat. Credibile enim eſt propoſitio integra, Signum autem, σημεῖον id eſt, annititur, & uult eſſe propoſitio, ut inquit Ariſtoteles: ſed re uera in uero præcipuè ſigno non eſt propoſitio, ſed medius terminus: quare miror, quonam modo Fabius id non aduertat, qui uiſus eſt putare ἀκὸς eſſe ſignum.

De Exemplo, qua ratione ducatur. CAP. VII.

AT EXEMPLVM, quod nos ſuprà eſſe Inductionem oſtēdimus, nō ita ſe habet ad rem, quam confirmare, probareq́ uolumus, ut pars ad uniuerſum, neq́ ut uniuerſum ad partem, neque ut uniuerſum ad uniuerſum: ſed ita, ut pars ad partem ſolet, & ſimile ad ſimile pertinere, cùm utrunque uno ſub genere collocatur, ita tamen ut alterum ſit altero certius, atque ſpectatius: ut ſi quis diceret, Dionyſium idcirco petere cuſtodes ſalutis ſuæ, ut eorum adiutus armis tyrannidem occupet, hoc referat exemplum, eadem ratione Piſiſtratum Athenis, & Theagenem Megaris ad dominationē perueniſſe, & ſiqui alij ſunt, quos idem feciſſe ſcierint, poterunt omnes exemplo eſſe, ne Dionyſio credantur arma, quibus poſsit rempublicam opprimere: quem ij, qui audiunt, nondum ſciunt, eóne conſilio, ac propoſito petat: hæc autem omnia particularia ſunt, & eodem communi quaſi genere continentur, quod eſt affectare imperium,

rium, quicunque cuſtodes petit. Ex quibus ergo dicantur conſtare probationes illæ, quæ uidentur eſſe ad demonſtrandum, & fidem faciendam appoſitæ, explicatum ſatis eſt.

DANIEL BARB.

AT exemplum quod nos ſuprà eſſe iuductionem. *Quanquam Cicero, & Fabius copiosè de exemplo loquuti ſunt, quia tamen nos Ariſtotelem ſequi uolumus, ſententiam eius ex ipſo explicabimus. Facilis autem eſt, & eodem libro expoſita, ubi de enthymemate, ſignis, & credibilibus agitur: Exemplum enim, inquit, eſt, cùm primum in medio per aliquid ſimile tertio cōſtituimus: oportet autem probatione perſpectum haberi utrunque tam medium tertio accedere, quàm primum ſimili. Sit α malum, ſit β finitimis inferre bellum, ſit γ Athenienſes Thebanis, ſit δ Thebani Phocenſibus: ſi uelimus hoc docere, malum eſſe Thebanis mouere bellū, ſumamus hoc primo loco, Malum eſſe finitimis mouere bellum: tum huius fides, à conſimilibus petenda, uidelicet malum fuiſſe Thebanis bellum, quod contra Phocenſes mouiſſent: quando igitur bellum contra finitimos malum eſt, quod autem cōtra Thebanos mouetur, cōtra finitimos mouetur, reliquum eſt, ut bellum contra Thebanos malum ſit. Idem modus eſt, ubi plurima ſimilia corrogantur, per quæ terminum medium in faſtigio contineri primo perſuadendum ſit. Quamobrem palàm eſt in Exemplo, neq; relationem partis ad totum haberi, & ita ſeparatur à Signo, quod figura tertia clauditur: neq; totius ad partem, quo diſcrimine ab alijs ſignis, & à credibilibus mouetur: neq; etiã totius ad totum, ut collectiones uniuerſales ex uniuerſalibus effectas excludat. ſed quaſi partis ad partem, cùm ambo, id eſt Exemplum, & id, cuius eſt exemplū, ſub idem ſint omnino, ſed alterum tantum pateat, à quo ſcilicet exemplum ſumitur. Diſtat uero Exemplum ab Inductione, quòd illa ex omnibus indi*

uiduis, & ſingularibus primum in medio collocatum docebit, nec alligabit extremitatem extremitati concluſione. Hoc alli*gat, nec omnibus demonſtrat. Sed oritur hoc loco dubium: Ariſtoteles enim in libris reſolutorijs inquit,* Exemplum *eſſe, ſi ex plurimis notioribus, probauero inde, quod eſt uniuerſale, ex quo poſtea aliquod particulare probetur: nam maior illa, Cuſtodes dare malum, probatur ex particulari noto, & illud uidetur eſſe ſignum, quo poſito particulari uniuerſale probamus, ex quo poſtea probetur id particulare, quod ignoratur.* R*eſpondeo finem eſſe reſpiciendum.* Fin*is eſt in probanda re particulari: nam ſi ex particulari uniuerſale probatur, & ex uniuerſali iterum particulare colligitur, continuo ſequitur, ut ex particulari particulare probatum ſit.* Plato *etiam de origine exemplorum in Ciuil. Magna certe, inquit, eſt ad docendum uis exemplorum: nam reducere primum ad ea neceſſe eſt, in quibus hæc eadem ſunt, eiſq́; conferre ea, quæ ignoramus, & inuicem comparationis ſimilitudinem demonſtrare: ſic enim generatur* Exemplum, *cùm quod idem eſt in alterutro ſeparato recta opinione conceptum, & utriq; accommodatum, unam amborum cõmuniter opinionem parit. Sed de* Exemplo *aliàs: docebit enim* Ariſtoteles *qua ratione tum* Enthymemata, *tum* Exempla *tractanda ſint.*

Omne Enthymema, & omnem Syllogiſmum in omni ſcientia, aut ex communibus locis, aut ex propriis duci.

CAPVT VIII.

ENTHYMEMATVM uerò quemadmodum & Syllogiſmorum, qui ad dialecticam pertinent, magna ſylua eſt, & quæ multiplici uarietate contineatur: & propè ab omnibus neglecta, ignorataq́ ſit. Sunt enim ſicut Syllogiſmorum, alij qui ad Dialecticam ſpectant, alij qui ad alias ſcientias pertinent: ita & Enthymematum alia quæ ad artem dicendi, alia quæ ad alias

facultates

facultates, ſiue illæ iam compertæ ſunt, atque habentur omnes, ſiue aliquæ etiam nondum comprehenſæ, intellectæq́; deliteſcunt: quo genere pleriq; allucinantem ſæpe auditorem fallunt: & qui illa aptius, commodiusq́; attingunt, Dialecticæ, ac Rhetoricæ finibus facilius, & occultius elabuntur. Cęterùm agendum eſt pluribus, ut apertius intelligantur ea, quæ dicimus. Dico igitur Rhetoricos, & Dialecticos ſyllogiſmos ex ijs rebus conſtitui, quarum eſſe loci perhibentur: loci uerò, ex quibus omnia argumenta promuntur, ſunt ij, qui communiter habentur de naturalibus, de iuſtis, de ciuilibus rebus, de cæteris demum omnibus, quæ diſcrepant inter ſe diſcrimine ſpeciei: uerbi gratia, ex eo loco, qui à maiori ſumptus eſt, & à minori, non maior opportunitas habetur ad ſyllogiſmum, uel enthymema de moribus, quàm de natura, aut alia ulla re, quæ ſit aliarum artium propria. Diſtant tamen hæc inter ſe multum, & differunt ſpecie. At proprij, peculiaresq́; loci certis, & ſui cuiuſq; generis propoſitionibus continentur: exempli cauſa, de natura propriæ quædam propoſitiones habentur, ex quibus non poteſt enthymema, aut ſyllogiſmus ullus ſumi de moribus: contrà pertinent ad mores aliæ, ex quibus nihil poſsit de natura monſtrari. ſimilem rationem in reliquis diſciplinis inuenies. Ac illa quidem priora, atque communia nihil nobis ad ullius certæ rei peritiam conferunt, quia nullo rerum præfinito genere continentur. In poſteriore uerò genere, id eſt, in particularibus locis, quantò quis propoſitiones melius, commodiusq́; ſelegerit, tantò latebit magis: cum inſinuare in aliam ſeſe ſcientiam uolet, atq; è finibus Dialecticæ, & Rhetoricæ tacitus labi. Nam ſimulatq; principia alia inuadimus, cedimus primis, nec amplius in Dialecticæ, aut Rhetoricę

regno uerſamur, ſed in illius facultatis, ad quã illa principia pertinent. Planè maxima pars enthymematum ex proprijs, & particularibus locis ducitur, ex communibus paucisſimæ rationes ſumuntur. Igitur eo modo, quo in Topicis fecimus, ea partitio probanda eſt, ut rerum, quæ ſunt ad conſtitutionem enthymematum neceſſariæ, aliæ ut ſpecies, aliæ ut loci accipiantur. Species uoco proprias cuiuſq; generis, atq; artis propoſitiones: Locos appello, ex quibus cõmuniter ad omnem quæſtionem poſſunt argumenta, & probationes afferri.

DANIEL BARB.

ENthymematum autem quemadmodum & ſyllogiſmorum. *Poſtquam de inſtrumẽtis, & materie ipſorum tractauit Ariſtot. cõſequens eſt ut eorum quoq; diſcrimina explicet: diſcrimina inquam illa, quæ ſumuntur ex ijs rebus, quæ quaſi materies in ipſa ingrediũtur. nam quomodo ſeparari poterunt enthymemata, & argumẽta oratoria ab ijs, quæ ad alias artes, & ſcientias ſpectant, niſi ea differentia, quæ ab rebus ſubiectis ſumitur? quare Ariſtoteli mens eſt* Enthymematum *differentias afferre, quas res ipſæ faciunt, quæ in eorum cõſtructione collocantur.* Res ergo ex quibus Enthymemata *conſtituuntur, aut uocantur* Loci, *aut* Formæ. *Locos appello argumentorum domicilia, & ſedes in quibus uigent argumenta, quemadmodum ſuo quæq; res loco.* Alexander *autem* Locum *uocat initium, & occaſionem ingreſsionis:* Ingreſsionem *uerò ratiocinium dicit,* Theophraſtum *imitatus, qui* Locum *eſſe uoluit initium, & elementum: unde Ariſtot. in fine ſecundi* Rhetoricorum, *idem etiam* Locum *&* Elementum *eſſe dicit, à quo primordia ſumamus uniuſcuiuſq; rei, circunſcriptione quidem certum, ſed in ſingulis indiſtinctum: uerbi gratia, Locus à contrarijs deſumitur, ſed in multitudine ac numero contrariorum inconſtans: nullum enim cõtrarium certum affert, ut candidum*

nigrum,

nigrum, bonum malum, ſed ad omnia contraria in omni genere relata pertinere poteſt: ſedes itaq; certa eſt, ſed incertũ eſt poſſeſſoris nomen: uacuum enim quiſq; occupare poteſt. Enthymemata igitur, & Argumenta, & Syllogiſmi, rationesq́; primum ex ijs locis pronuntiantur, qui communi quadam ratione ad omnes artes, & facultates pertinent: ut ſunt loci, à maiori, à ſimili, à partibus, & huiuſmodi, de quibus notitia tradita eſt in Topicis. Loci autem nihil nobis ad ullius certæ rei peritiam conferunt, quia nullo præfinito rerum genere continentur. Formæ ſunt propoſitiones propriæ cuiuſq; generis, atq; artis: ut propoſitiones medicinæ propriæ, uel naturali ſcientiæ, uel alteri arti, & facultati. Has Ariſtoteles in Topic. tripartita ratione diſtinxit, alias eſſe inquiens de natura, alias de moribus, alias rationales. Porro Naturales eſſe eas intellexit, quæ circa ueritatem omnem, & cognitionem uerſantur, in quo numero mathematicas, & diuinas poſuit. Morales autem propoſitiones eas eſſe dixit, quæ ſumerentur ex rebus in arbitrio, & poteſtate noſtra collocatis, & quæ ad electionem, uel fugam pertinerent: ut, Parentibus magis, an legibus, cum diſſentiunt, obſequendum ſit: & illæ, Qui non boni gratia bene facit, illiberalis eſt, uirtus enim per ſe ipſa expetenda. Rationales denum eas eſſe uoluit, quæ ad aliud conferrent, tanquam machinæ, & inſtrumenta: in quo genere continentur, dialecticæ, oratoriæ, poëticæ, & grammaticæ propoſitiones. Omnes autem uocantur Formæ: ratio eſt, quoniam enthymemata & argumenta diſtinguuntur per has, & ab ijs ſuum quæq; nomen capiunt, & ad ſuam quæq; ſcientiam, uel artem referuntur, naturalia ad naturalem, mathematica, ad mathematicam. Appellantur etiam Materies, & Loci proprij. Materies quidem, quia ex ijs, tanquam ex elementis, cõficiuntur argumenta. Loci uerò proprij, quia diſtinguunt enthymemata, & argumẽta, ita ut quod phyſicum ſit, morale non dicatur. Cæterum licet Ariſtoteles in

tres differentias partitus ſit propoſitiones, ex quibus enthyme mata conficiuntur, non tamen facilis eſt ſermo de iјs: nam formu la quadam, & craßiori Minerua id fecit, ut ipſe teſtatur, dum dixit in Top. ὡς τύπῳ ἀπεῖν. *Sed unde quæſo tam recondita eſt differentia* Enthymematum? *an quia in omnibus rebus, quæ ad omnia genera referũtur, enthymemata cõfici poſſunt? nec quicquam eſt in aliquo ſummo, uel infimo genere, quod ad enthymematum compoſitionem ſui copiam non præbeat, tum in iјs artibus, & ſcientiјs, quæ hominum induſtria, & ſolertia iam compertæ ſunt, tum etiam in iјs, quæ latent adhuc, & nondum editæ deſiderantur. Sunt igitur* Communes *loci, ex quibus tam oratoria, quàm dialectica, & naturalia argumenta componuntur: ſunt & proprij, qui ſeorſum, uel ad oratorem, uel ad dialecticum, uel ad* Phyſicum *ſpectant.* Locorum *communium non maior opportunitas habetur ad ſyllogiſmum, uel enthymema de moribus, quàm de natura, aut alia ulla re, quæ ſit aliarum artium propria: ſed cùm locos communes per formas cuiq; proprias, ad certas artes & ſcientias contrahimus, tunc proprij euadũt.* H*æc ergo attulit* Ariſtoteles *ut ſciamus, qui nam ſint* Proprij *loci, quæ'ue forma oratoriæ facultati ſubiecta.* Nam de Communibus *manifeſta ratio eſt, quòd nulli certæ ſcientiæ adhæreſcũt.* Rhetoricæ *igitur propoſitiones, id eſt, loci proprij, & formæ legitimæ oratorum, ſunt aſſumptiones perſuaſibiles, & probabiles quæ in omnibus rebus reperiri poſſunt.* Q*uare ſiquid erit uerum, quod non ſit perſuaſibile, id non ſubiјcietur oratoriæ facultati:* P*erſuaſibile enim tam uerum, quàm falſum eſſe poteſt: multa enim falſa ſunt uendibilia, contrà uerò multa ſunt uera, quibus non facilè aſſentimur: quare excellens orator perſuaſibile ſemper quæret.* Oratoriæ *enim propoſitiones hoc ipſo oratoriæ ſunt, quia perſuaſibiles: ſicut* Naturales, *quia ueræ, & de motu ac rebus materiæ coniunctis habentur: &* Mathematicæ, *quia de magnitudinibus,*

tudinibus,numeris, uel rebus à materia ratione ſeiunctis ædificantur: & Dialecticæ, quæ de rebus ad eam facultatem pertinentibus attinent. De communibus locis in ſecundo Ariſtoteles diſſerit: De proprijs autē in hoc primo, ſed non prius quàm orationum genera partiātur: ita enim Ariſtotelius ordo poſtulat, ut cauſarum genera diſtinguātur, antequam propriæ propoſitiones, & formæ cuiuſq; generis exponantur. Aßignabit ergo ſuas cuiq; generi formas, ut quemadmodum ex formis enthymemata diuerſarum artium ſeparantur, ita ex formis oratorijs, genera orationum diſtinguantur: nam docebit nos propoſitiones generi deliberatiuo proprias, mox demonſtratiuo, deinde iudiciali. Illud autem nunc animaduertēdum, quod inquit Ariſtot. In poſteriore uerò genere, id eſt, in particularibus locis, Orator interdum utitur enthymemate ad aliam artem ſpectante: uerbi gratia, ſi dicat, ſi conſtituenda acies eſt, ut minor uideatur quàm hoſtilis, tunc in orbem ordinãda, circulus enim capaciſsima figurarum: ſi maior, triangularis. Cùm igitur orator hæc faciet λήσει ποιήσας, inquit Ariſtoteles, latebit, et fallet: & quanto melius, & commodius propoſitiones ſeliget, tanto latebit magis, cùm inſinuare ſe in aliam ſcientiam uolet, atque è finibus Dialecticæ, & Rhetoricæ tacitus labi. Atq; hæc ſunt quæ ab Ariſtotele fuſius in Top. pertractantur, de eiſdem uerò tractant Dialectici, oratores, ſophiſtæ, primiq; ſapiētes: ſed illi ad probabilitatē, alij ad perſuaſibilitatē: Sophiſtæ ad gloriã ſapiētes adueritatem tendunt. In poſteriore uerò genere, id eſt, in particularibus locis: quãto quis propoſitiones melius, cõmodiusq; ſelegerit, tanto latebit magis, cùm inſinuare in aliã ſeſe ſcientiam uoluerit, atq; è finibus Dialecticæ, & Rhetoricæ tacitus labi. nam ſimulatq; principia alia inuadimus, cedimus primis, nec amplius in Dialecticæ, aut Rhetoricæ regno uerſamur. Comparauit Ariſtoteles cõmunes locos, & proprios: dixit de communibus, qui non deſeruiunt, hoc eſt, non uerſantur circa

unum genus rerum certum, ac præfinitum, ſed communi quodam ambitu omnia genera complectuntur: nunc de proprijs cuiuſq; formis, & particularibus locis mentionem facit, & dicit, quòd quantò quis melius, id eſt, magis propriè propoſitiones ſelegerit, tanto latebit magis. Hæc uerba duplicem in Græco ſenſum recipiunt, uel non aduertet orator, ſe facere aliam ſcientiam à Rhetorica *&* Dialectica, *uel orator faciens aliam ſcientiam à* Dialectica *&* Rhetorica, *fallet auditorem. Si prior ſenſus eſt, oratorem: ſi ſecundus, auditorem reſpicit. Sed hæc uerba puto ego reſpondere ſuperioribus illis,* Quo *genere, plerique allucinantem ſæpe auditorem fallunt, & qui illa aptius commodiusq; attingunt, facilius, & occultius à* Dialecticæ, & Rhetoricæ *finibus: ſunt enim tam dexteri, ut ita dicam, in ſeligendis propoſitionibus, ut ipſe idē artifex, qui fecerit, ſua non agnoſcat. quare hunc ſenſum ad auditorem refert hunc in modum,* Enthymematum *quædam ſunt ad* Rhetoricam *pertinentia, & quædā ad aliquas alias artes, ſiue illæ repertæ ſint, ſiue non.* Hæc *diuiſio ſumpta eſt per ſimilitudinem ſyllogiſmi: nam & ſyllogiſmorum quidam pertinent ad* Dialecticam, *quidam uerò ad alias artes, ſiue illæ repertæ ſunt, ſiue non.* Enthymemata *ad* Rhetoricam, *& ſyllogiſmi ad* Dialecticam *pertinentes ſunt, quæ conſtant ex propoſitionibus uel* Rhetoricis, *uel dialecticis: hoc eſt, probabilibus, uel perſuaſibilibus:* Enthymemata *& ſyllogiſmi ad alias artes pertinentes ſunt, quæ conſtant ex propoſitionibus, quæ ad ſingulas artes, et ſciētias ſpectant, naturalia ſi naturalibus, mathematica ſi mathematicis, diuina ſi diuinis, moralia ſi moralibus, alia ſi alijs conſtant.* Dico *ego, quòd qui egregiè magis ex probabilibus ac perſuaſibilibus enthymema, uel ſyllogiſmum confecerit ex ijs propoſitionibus, quæ ad alias artes pertinent, eum facilius, & occultius è finibus* Dialecticæ *uel* Rhetoricæ *elapſurū: nam ignorabitur ipſum egreſſum fuiſſe limites oratorios, & dialecticos: nec audebit artifex,*

*tifex, aut doctor aliquis quaſi ſuo iure, ſuas propoſitiones re=
petere ab oratore: ignorabit enim ſua eſſe, quæ ab oratore tam
eleganter, tam probabiliter, tam occultè fuerint uſurpata, &
hoc eſt quod in utroq; loco dicit Ariſtoteles: tam in eo, Quo ge
nere pleriq; hallucinantẽ ſæpe auditorem fallunt: quàm in hoc,
Quanto quis propoſitiones melius, commodiusq́; ſelegerit, tan
to latebit magis, ut inſinuare in aliam ſeſe ſcientiam uolet: id
eſt, nõ cognoſcetur ab auditore ſe in aliam ſcientiam tanquam
ex ſuis finibus in alienũ agrum tranſire, ſed ſignum quo tranſ=
greditur fines, eſt, quòd ſiquis principia rei fuerit indeptus,
hoc eſt reſoluendo principia rei inuenerit, certè cognoſcit, ea
neq; Dialectica eſſe, neq; oratoria, ſed eius ſcientiæ à qua ſum=
pta fuerunt. Et hoc eſt quod dixit Ariſtoteles, ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρ=
χαῖς, quod Hermolaus, Nam ſimulatque principia alia inuadi=
mus, cedimus primis, nec amplius in Dialecticæ, aut Rhetori=
cæ regno uerſamur: ſed in illius facultatis, ad quã illa principia
pertinent. Hinc eſt quod cap. XII. inquit Ariſtoteles, Pro=
inde ſi quis conabitur Dialecticam, aut Rhetoricam ita tracta=
re, non ut in genere poſitas facultatum, ſed ut in numerum rela
tas ſcientiarum, is non uidet ſeſe naturã illarum abolere, & tol
lere penitus: quippe qui ſit non in ſola ratione dicendi, diſpu=
tandiq́; uerſatus, ſed facturus ad eas ſcientias trãſitum, quarum
res ſubiectas inuaſerit. Quaſi dicat, Non uera cuiuſq; rei, ſed
probabilia ſequenda ſunt, quæq́; facile ſuaderi poſſunt, unde
τοῦ λόγου nomine in Poſter. & in Top. Dialecticam, & Rheto
ricam uocat. Atque hæc ſatis, quantum attinet ad hunc locum
difficilem, & obſcurum.*

Triа eſſe genera cauſarum, tria auditorum, tria tempora.

CAPVT IX.

AC PRIMVM quidem accipienda ſunt Rhetori
ces genera, ut diſtinctis illis, & numero certo cõ=
prehenſis,

prehenſis, ita demum elementa, & propoſitiones ſeparatim in quodq; eorum ſuæ diſtribuantur. Tribus igitur in generibus uerſatur officium Rhetoris uniuerſum, tot enim ſunt genera auditorum. Nam in omni oratione adhibentur tria: primum is, qui dicit: ſecundum ea res, qua de dicitur: tertium is, apud quem habetur oratio, id eſt, Auditor, quo omnis ratio dicēdi tanquam in finem confertur. Planè auditor omnis aut ita adhibetur, ut auſcultator modò, atque ſpectator: aut ita, ut diſceptator, id eſt rei, ſententiæq; moderator. Res, quæ in diſputationem ueniunt, aut præteritæ ſunt, aut futuræ: de præteritis qui ſtatuit, dicitur iudex. de futuris, concio. Atqui de facultate duntaxat, commodè poſſunt ſpectatores, ſiue auſcultatores uocari. Ex qua partitione tria genera cauſarum extiterunt, unum oſtentationis, deliberationis alterum, tertium iudiciorū. Deliberatio omnis perſuaſionem, aut diſſuaſionem tractat. Alteram enim ſemper rationem inſumunt, & qui priuatim dant cōſilium, & qui publicè ſententiam ſuam exponunt. Iudicia duobus officijs continentur, accuſatione, defenſione. Quicquid enim eſt, de quo lis, & controuerſia habeatur, altera illarum abſoluitur. Oſtentatio aut laudem, aut uituperationem habet. Tempora quoque ſua ſingulis generibus accommodantur. Deliberatiuo futurum: quia ſiue ſuaſionē, ſiue diſſuaſionem deliberatio noſtra contineat, ſemper de prouiſione poſteri temporis agimus. Iudiciali præteritum: nam in iudicijs præterita ſemper ab altero accuſantur, ab altero defenduntur. Demonſtratiuo eſt quidem tempus coniunctum, præſensq; maximè proprium, cùm in ijs potiſsimum rebus, quę extant, habenturq; maximæ partes laudis, aut uituperationis uerſentur. Sed incidunt tamen cauſæ plerunq; ut neceſſe

ſit, & rerum præteritarum admonitionem quandam, & mentionem inſtitui, & futurarum interpretationem, & coniectationem aliquam adhiberi.

AC primum quidem accipienda ſunt. Vt *formas uniuſcuiuſque generis proprias dignoſcere poßimus, Ariſtoteles cauſarum genera diuidit, quærens quot, & quæ ſint. A' quo Cicero non diſſentit, ſed potius hunc locum uerbis eiſdem interpretatur in eo libro, quem ad filium de Partitionibus ſcribit, & patet etiam capite duodecimo ordo huius capitis & ratio: ſed nos prius ad Ariſtotelem. Quot ſunt ij, ad quos pertinent ea, quæ finis ſunt, tot ſunt fines: ſed ij, ad quos pertinent ea, quæ finis ſunt, tribus generibus abſoluuntur: tres ergo erunt fines. Sed quot ſunt fines, tot ſunt genera cauſarum: quamobrem cùm tres ſint fines, tria quoque cauſarum genera eſſe debent. Vnde Tullius auditorum genere cauſas diſtingui affirmat: nam aut auſcultator eſt modò qui audit, auſcultatorem dico quem Ariſtoteles θεωρὸν, Cicero in familiar. ſpectatorem laudum uocauit ad Curionem: aut diſceptator, id eſt, rei ſententiæ'que moderator, quem κρίτην, id eſt, iudicem uocat Ariſtoteles. Statuit autem diſceptator, aut de præteritis, ut iudex, quem δικαστὴν Græci appellant, hoc eſt, ius reddentem: aut de futuris, ut ſenatus. Sic ergo tria ſunt genera iudicij, deliberationis, exornationis: exornatio autem, quæ laudationibus præſertim ualet, proprium habet iam ex eo nomen: unde Ariſtoteles dixit, Atqui de facultate, intelligens demonſtratiuum genus, in quo uis oratoris maxima ineſt, ob amplificationem rerum, in quibus fuſior eſt oratio, & incredibilia plerunq; inter probabilia ponuntur, parua magnis coniunguntur, ſimplicia compoſitis, & alia eiuſdem generis. Cùm igitur tria ſint cauſarum genera, ſingula ſuas habebũt partes: deliberatiuum, ſuaſionem, & diſſuaſionem: ſub hoc genere continentur præcepta, inhibitiones, & preces, quarum rerum caput eſt*

put eſt ſuaſio, uel diſſuaſio. Diſcrimen uerò ſumitur à perſonis, quia præceptum à ſuperiori, ſupplicatio ab inferiori, admonitio à pari, & alia eodem modo. Perſuaſio eſt oratio deliberatiua, oſtendẽs utile eſſe, ſi fiat, quod ſuademus. Diſſuaſio eſt oratio deliberatiua oſtendens utile eſſe, ſi non fiat, quod diſſuademus. Atq; hæ ſunt partes deliberatiuæ cauſæ, ratio quia & qui priuatim dant conſilium, & qui publicè ſuam ſententiam exponunt, alterum ſemper rationem ſequuntur, ut ſcilicet uel ſuadeant, uel diſſuadeant. Sed iudicia duobus officijs abſoluuntur, uel defendendo, uel accuſando: ratio, quia nihil in controuerſiam uenit, quod non accuſetur, uel defendatur, ut patet ſingula conſideranti. Accuſatio eſt oratio, in qua intẽditur oſtendere contrarium eius, quod in defenſione ponitur: eſt enim Defenſio ſermo oſtendere contendens, quod bonum ſit, aut certè non malũ quod quis erga proximos fecerit, aut id, quod poſtea conſecutum eſt, non fuerit malum. Ad accuſationem obiurgatio refertur. Oſtentatione autem uel laus, uel uituperatio perficitur: Laus bonorum eſt commẽdatio, Vituperium malorum deteſtatio. Hæc ſunt genera, & eorum partes. Porro deliberatiuo futurum, iudiciali præteritum, demonſtratiuo in primis eſt præſens tempus annexum. Ratio temporum ponitur ab Ariſtotele ſatis apertè.

Trium generum, tres eſſe fines diuerſos oportere. CAP. X.

SED & fines eorum generum dirimuntur, tribusq; generibus tres fines debentur. Deliberatiuo finis eſt utile, aut contrà. Nam qui ſuadent, id quod ſuadent potius eſſe demonſtrant. Qui uerò diſſuadent, id quod diſſuadent, deterius, & incõmodius eſſe contendunt. Quòd ſi in conſilijs plerunq; iuſtitia, iniuſtitia, honeſtas, turpitudo, tractantur, ſcire oportet, hæc ita ad deliberatiuas cauſas adiungi, ut adiecta, atq; accepta forinſecus. Iudicialium finis iuſtorum, & iniuſtorum quæſtione continetur

netur. Cætera, ut in conſilijs diximus, aſſumuntur foris. Demonſtratiui honeſtorum, & turpium. Reliqua, ſi qua hoc in genere adhibentur, ad finem illum, tanquam extranea adiuncta referuntur. Sanè trium cauſarum fines illos eſſe, quos diximus, uidetur ea res argumento eſſe, quòd euenire aliquando conſtat, ut cum de rebus alijs nulla ſit inter litigatores contentio, uerbi gratia, utrum factum ſit, uel utrum nocuerit factum, ſed & conſtet hoc inter utrunque, & conueniat, non tamen qui factum fatetur, etiam factum iniuria fateatur, alioquin nulla eſſet controuerſia. Similiter, & qui in conſilijs uerſantur, ſæpe fit, ut, quamuis negare non poſſint ſe inhoneſta, aut iniuſta conſulere: nunquam tamen committant, ut aut inutilia ſuadere, aut utilia diſſuadere fateantur: uerbi cauſa, Sæpiſsime accidit, ut quanquam iniquum eſt finitimos, & cõterminos pellere, aut qui nulla nos iniuria prouocant, bello laceſſere, & agere in ſeruitutem: nihil tamen hoc ſit curæ, aut impedimento ijs, qui conſulunt. Eodem modo, qui laudem, aut uituperationem tractant, non id ſpectant, conducibile, an contrà noxium aliquid fecerit is, qui laudatur, culpatur'ue: ſed & hoc ipſum plerunque laude uel maxima proſequuntur, cùm quis honeſta utilibus antepoſuit: ut Achillem poëtæ ſolent, qui quòd Patroclo, cui ſocietatis iure èrat aſtrictus, periclitanti auxilium tulerit, quodq; cùm poſſet ſine diſcrimine uiuere, ſciretq; ſe ad exitium, & perniciem proficiſci, pulcherrimam mortem uita potiorem habuerit, ſummis in cœlum extollitur laudibus. Certè in eo exemplo erat quidem honeſtior Achillis interitus futurus, ſed uita utilior. Manifeſtum ex prædictis puto, propoſitiones ex ijs rebus primum conſtitui oportere, quæ ad fines trium generum pertinebunt: nam & Credibile,

dibile, & Signum tam ſolubile, quàm inſolubile, nihil aliud ſunt, quàm Rhetoricæ propoſitiones. omnis ſiquidem ſyllogiſmus ex propoſitionibus conſtat. Enthymema porrò ſyllogiſmus eſt ex huiuſmodi propoſitionibus conſtitutus.

SEd & fines eorum generum dirimuntur. *Tres auditores habentur. Spectator, Iudex, Senator: tria genera ſunt, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale: unumquodq; genus duas habet partes, unum tempus proprium, nam Exornatio laudem, & uituperationem præſentium continet, Iudicium uerò criminationem, & defenſionem præteritorum, Diſceptatio ſuaſionem, & diſſuaſionem futurorum. Fines quoq; generum dirimuntur: in qua re miror Fabiũ fuiſſe minus ſollicitum, ne dicam parum cautum, cùm ab Ariſtotele præceptore diſſentiat, & fines inter ſe non diſtingui contendat: Sed idem eſſe honeſtum, utile, aut iuſtum affirmet: niſi forte id intendat, quod etiam Ariſtoteli placet, quod utile, quanquam eſt ſenatoriæ cauſæ conuenientiſsimum, honeſtumq́; exornationi, & iuſtum forenſi generi, intrinſecus tamen interdum finem unius generis ad aliud pertranſire, ut patet ex eius uerbis. Cæterùm Ariſtoteles ratione & ſigno comprobat ſe non temere huiuſmodi fines ijs cauſarum generibus accommodaſſe: & primum id in genere iudiciali oſtendit, mox in alijs: ita ut ex omnibus una ratio conficiatur, hoc modo, cum perſuadere in ſingulis generibus mens noſtra ſit, quando utimur alio fine, quàm proprio, tunc nobis ab aduerſario occurri poteſt: exempli gratia in iudiciali cauſa, ſi quis dicat, Tu accepiſti illius bona, & propterea illi nocuiſti: certum eſt, quòd qui hoc modo accuſat, utitur fini deliberatiuæ cauſæ, dum dixit, Et propterea illi nocuiſti: certum eſt, quod qui hoc defendit, poterit aduerſario concedere, nocumentum ex bonorum direptione proueniſſe, ſed non concederet iniuſtè factum, quare obiectio nõ erit ratione finis alterius generis.*

generis. Contrà uerò qui deliberat iniuſtum fatetur, & dat quod poſtulat aduerſarius, non tamen noxium, & incommodum dicet eſſe. Atq; hoc ſignum eſt fines eſſe generum ſeparatos. Idem dicendum eſt de genere amplificãdi, & demonſtrãndi. Sed à quo ſigno ſumptum eſt argummentum hoc? An ab eo, quod carere nomine dictum eſt, eo inquã quod in materia contingenti per ſecundam figuram ex uniuerſali colligit particulare, hoc modo? Finis proprius eſt uniuſcuiuſque generis, qui ſemper intenditur in unoquoq; genere: ſed utile in deliberatiuo, honeſtum in demonſtratiuo, æquum in iudiciali ſemper intenditur: ergo utile deliberatiui, honeſtum demonſtratiui, æquum iudicialis finis eſt. Quòd ſi ratiocinatio hæc ad enthymema reducenda eſt, ita conficies: Vtile in ſenatoria, honeſtum in communi, æquum in forenſi cauſa fines ſunt. Signo quia euenire aliquando cõſtat, ut cum de rebus alijs nulla ſit, & reliqua quæ ab Ariſtotele dicuntur. Vbi autem Ariſtoteles dicit, Eodem modo qui laudem, & uituperationem tractant, non id ſpectant, conducibile, an contrà, & reliqua uſque ad exemplum de Achillis uirtute: ibi accommodari poteſt id, quod à Platone in XII. de legum latione dicitur, de eo qui ſcutum abiecerit.

In omni genere duo ſpectari, Quid fieri poſsit: &, Quàm magnæ ſint res, quæ dicuntur. CAP. XI.

PLANE' cùm ea, quæ impoſsibilia ſunt, neq; fieri, neque facta eſſe poſsint, ſed poſsibilia duntaxat: Item cùm illud non pugnat, ut quæ facta non ſunt, tamen facta fuiſſe potuerunt, & quæ non erunt, eſſe tamen ac fieri poſſe uideantur: neceſſe eſt, ut & ij, qui in conſilijs tractare rempublicam uolunt, & qui in iudicio uerſari ſtatuũt, & qui laudandi, uituperandiq; ſtudium ſequuntur, propoſitiones de poſsibilibus, atq; impoſsibilibus comparẽt: item ut copioſiſsimè diſputare poſsint, facta ſit res, an ſecus, futura an nõ futura uideatur. Præ-

terea cùm in omnem ferè quæſtionem, ſiue laudem aut uituperationem tractamus, ſiue ſuademus aliquid aut diſſuademus, ſiue intendimus quid aut depellimus, non ſolùm hæc incidāt, uerùm etiam illa, utrum magna ſint an parua illa ipſa, quæ dicimus bona eſſe uel mala, honeſta uel turpia, iuſta uel iniuſta: ſiue illa per ſe ac ſua natura, ſiue per comparationē, & collationem aliarum rerum magna aut parua uideantur. Apertiſsimè conficitur, huiuſmodi quoque propoſitiones haberi oportere, quibus & amplificare & minuere, augere & alleuare maiorum, minorumq́ comparatione tum in uniuerſum, tum particulatim poſsimus: hoc eſt, ut ſciamus oſtendere, utrum ſit maius, utrum minus bonum: utra maior, utra minor iniuria: utrum iuſtius, utrum iniuſtius: ſimiliterq́ in cæteris.

DANIEL BARB.

MAniſeſtum ex prædictis puto, propoſitiones. *Hic poteſt eſſe finis ſuperioris partis: oſtendit enim Ariſtoteles, cur de generibus cauſarum loqui uoluit, quod etiam in inferiori capite melius oſtendetur. Præparat autem nos ad cauſarum notitiam, oſtenditq; quid in primis tenēdum ſit in omni genere: atq; ita ab ijs, quæ communia ſunt, ad ſingularia prouenit. Commune igitur unicuiq; generi eſt, ut duo illa ſpectemus: primùm, quid fieri poßit: deinde quàm magnæ res ſint, quæ dicantur: unde omnes loci, & propoſitiones dignoſcendæ, quæ tum rem fieri poſſe, aut potuiſſe demonſtrent, tum quæ declarent rei magnitudinem. Sed loci poßibilium ſenatoriæ cauſæ magis conueniunt: hi autem, qui rei magnitudinem declarant, demonſtratiuæ, ut dicitur in ſecundo. De iuſtis autem, & iniuſtis conſideratio iudicis eſt. Hæc facilia ſunt in Ariſtotele, prudens animus intuebitur ad ea, quæ præſcire oportet, ut magnam ſibi, atque amplam ſupellectilem paret, & ad enthymemata*

mata in ſingulis generibus conficienda magnam habeat forma-rum, & propoſitionum copiam.

De genere Deliberatiuo, & quæ ſit eius materia in communi. CAPVT XII.

DICTVM eſt, ex quibus nam accipi propoſitiones oporteat: nunc de ſingulis ſeorſum ita agendum eſt, ut materiem omnem propoſitionũ, & earum, quæ ad cauſas deliberatiuas, & earum, quæ ad demonſtratiuas, & earum, quę ad iudicia pertinent, propria, & digeſta partitione complectantur. Primùm igitur accipienda ſunt ea commoda, atque incommoda, de quibus in conſilijs agitur: non enim de omnibus agitur, ſed de ijs, quæ fieri, aut non fieri poſſunt. At ea, quæ neceſſariò uel ſunt, uel erunt, aut ea, quæ uel fieri, uel eſſe non poſſunt, non uocantur in deliberationẽ: ſed & quædam tamen ſunt, quæ quanquam fieri, & non fieri poſſunt, nihilominus ad conſilium non deferuntur. Nam res pleræque naturales, atque fortuitæ, quamuis in eo genere ſint, ut fieri, & non fieri poſsint, nullam tamen cauſam habere uidentur, cur poſsint ad rationem conſultationis pertinere. Quare relinquitur, ea, quibus deliberatiuæ cauſæ continentur, talia eſſe oportere, quæ in nos ſua natura poſsint referri, quorumꝗ ortus, principium'ue in nobis habeatur. Nam cùm aliqua de re in conſilijs diſſeritur, eouſque diſputatio ſolet, & diſceptatio proficiſci, quouſque illud inueniatur, poſsibilia'ne ea, an impoſsibilia facta ſint. Cæterum ſingula quæꝗ diligenter rimari, & numero ad unguem cuncta complecti, & in ſpecies ſuas exquiſitè digerere ea, in quibus ſtudia illorum, atꝗ officia uerſentur: item conquirere, definireꝗ omnia, quæ reuera poſsint in hoc genus incidere, neque loci eſt huius, neꝗ temporis. Alioqui Rhetoricæ artis

materiam egredi fas non eſt. Nam conſideratio illa ad ſcientiam quandam grauiorem, & ueriorem ſpectat. Præterea huic arti plus obiter etiam iuſto tribuimus: nam quod ſuperius dictum eſt, uerum habetur, Rhetoricam facultatem partim ex Dialectica, quæ reſolutoria dicitur, conſtitutam eſſe: partim ex ciuilitate, quę mores pertingit, ſimilemq́ue eſſe nunc Dialecticæ, nunc Sophiſticæ orationi. Proinde ſi quis conatur Dialecticam, aut Rhetoricam ita tractare, non ut in genere poſitas facultatum, ſed ut in numerum relatas ſcientiarum, is non uidet ſeſe naturam illarum abolere, ac tollere penitus: quippe qui ſit non in ſola ratione dicendi, diſputandiq́ue uerſaturus, ſed facturus ad eas ſcientias tranſitum, quarum res ſubiectas inuaſerit, aggreſſusq́ue fuerit. Veruntamen ea, quæ operæpretium eſt partitione noſtra comprehendi, ita tamen ut identidem ſuum ius ciuili ſcientiæ relinquatur, nobis hoc quoque loco dicenda, exponendaq́ue ſunt.

DANIEL BARB.

Dictum eſt, ex quibus nam accipi propoſitiones oporteat. C. F. *Cur igitur exponis mihi hoc loco genera cōtrouerſiarum?* C. P. *Vt rationem collocandi ad finem cuiuſque accommodem.* Ex *hoc loco elicitur Ariſtotelis mens, tam ſuperioris, quàm ſequentis particulæ. Ibi enim oſtendit eos locos eſſe dignoſcendos, quibus genera cauſarum uti debēt: primumq́; duxit à poßibili, proximum à facto, tertium à futuro: exempli gratia, Cuius partes fieri poſſunt, & totū: Voluit, & potuit, ergo fecit.* Verg. *Non ea uis animo, nec tanta potentia uictis.* Ouid. *A' iuuene, & cupido credatur reddita uirgo? Vult, & poteſt, ergo faciet. Quod igitur ſit à poßibili, uel contrario, uel facto eſſe, iudicialis generis munus eſt: quod autē à factum iri, deliberatiuo conuenit. Demonſtratiuum autem totum*

in ampli

in amplificatione poſitũ eſt, ideo locus à maiori, & minori huic attributus eſt. Poſtquam igitur dictum eſt, ex quibus nam locis accipi propoſitiones oporteat: reliquum eſt, ut materiam omnem propoſitionum, ſiue ad cauſas ſenatorias, ſiue ad forenſes, ſiue ad cōmmunes ſpectantium, propria, & ordinaria partitione complectamur. Et quia publica cauſa, & publicum genus priuatæ cauſæ, & priuato generi præferre debemus, ideò à genere deliberatiuo incipiendum eſt, ut oſtendamus, quales nam eſſe debeant propoſitiones, ex quibus tanquam principijs in deliberatiuo genere enthymemata conſtituantur. Ac primùm uidendum eſt in uniuerſum, de quibus conſilium inimus: poſtea, quot res ſigillatim ueniant in deliberationem. Conſultamus ergo de ijs, quæ prodeſſe nobis, aut obeſſe queunt, hoc eſt, de commodis, & incommodis. Cæterùm quia non eſt conſilium de omni commodo, ideo illuſtris quædam rerum partitio facienda eſt. Rerum quædam ſunt, quarum initium in nobis poſitum eſt, cuiuſmodi uirtutes, & uitia, & alia multa quæ à uoluntate noſtra oriuntur: quædam uerò, quarum initium in nobis poſitum nō eſt. Qui deliberat, de ijs deliberat, quarum initium in nobis poſitum eſt, de actionibus inquam humanis, de fuga, de electione rerum, & huiuſmodi quorum dubius eſt euentus. Nam rerum, quæ ab hominum uoluntate non fiunt, ſiue ſint neceſſariæ, ſiue non ſint, ſiue fortuna, ſiue caſu eueniunt, nulla eſt deliberatio. Quare non ab re Cicero dixit, Sed quid fieri poßit, quidq́; etiam ſit neceſſe, aut non ſit, in utraque re maximè eſt quærendum. Inciditur enim omnis deliberatio, ſi intelligitur, non poſſe fieri, aut ſi neceßitas affertur. Et qui id docuit, nō uidentibus alijs, is plurimum uidet. Ne uerò philoſophi nobis litem intendant, neq; nos procul à terra ſubtilitas artis in altum abripiat, & à conſpectu omnium penè abſtrahat, & abducat, fineſq́; egrediamur, & cancellos oratori præſcriptos, non nimis magnam curam ponimus in ijs declarandis,

clarandis, quæ ad hoc genus referantur. Nam uelle numerum earum rerum referre, quæ ad uoluntatem noſtram referuntur, uimq́;, & naturam earum ſubtilius inueſtigare, non eſt huius artis, ſed philoſophiæ munus: namq; hoc ſatis eſt ad hanc facultatem, ſi de ijs agatur probabiliter, ut res ipſa poſtulat, & è medio uulgo propoſitiones eliciantur. Alioquin ueriora ſunt, & firmiora, quæ à philoſophis traduntur, nempe à neceſſarijs, & certis orta principijs, miram obtinent ſubtilitatem, quas nec uulgus probaret, nec tempus pateretur exponi. Ex hoc loco pulcherrimo præcepto admonemur, quòd cùm ars una eas res ſumit, quæ ad aliam artem ſpectant, pudenter quidem id facit, & non nimis digreditur: namq; non decet ita de alienis rebus tractare, ut neq; melius, neq; firmius in proprio, quàm in extrinſeco loco tractetur: ſed tantum accipere, quantum ſit ſatis, ad id quod uolumus, explicandum. Ecce tibi Rhetoricam eas res uſurpare, quæ ad Dialecticam, & ciuilem ſpectant, non tamen tam exquiſitam de ijs notitiam tradere, ut Dialectica tradit, & ciuilis: nec in prima philoſophia in orbibus inueniendis cõmoratus eſt Philoſophus, ſed hanc rem ab aſtrologia repetens paucis contentus eſt. Si igitur uim, originem, rationemq́; enthymematum, ad unguem hoc loco non inquirit Ariſtoteles, ſatis eſt illuc eos, qui legunt, eſſe referendos, ubi propria eorum ſedes habetur. Cùm igitur Rhetorica ſumat à Dialectica ſyllogiſmum uulgo notum, uel fieri cõſuetum, quod eſt enthymema, uel exemplum, & à ciuili ſcientia propoſitiones in conſuetudine poſitas, & à Sophiſtica faciliores, & uſitatiores cauillationes, neq; ſuos egreditur fines, neq; alijs ullam moleſtiam affert. Sed ne fiat error, Dialectica duas habet partes: alteram, quæ ad iudicium, alteram, quæ ad inuentionem pertinet: Rhetorica ad utranq; comparari poteſt. Si comparatur ad iudicantem, quam Analyticen, id eſt, reſolutoriam uocat Ariſtoteles, tunc quaſi uirgultum de radicibus Dialecticæ

pullulans

pullulans uocatur:: & hoc fiet, ubi de Enthymemate, *&* Ex*emplo agitur, quod ad ſyllogiſmum reſolutoriæ partis refertur. Sed ſi ad alteram partem ſpectat, tunc dicitur ab Ariſtotele* ἀντίστροφος, *ut patuit in proœmio, id eſt, altera ex parte reſpondens.*

Proinde ſiquis conabitur Dialectica. *Hæc exponi facilè poſſunt ex his, quæ diximus cap.* VIII.

Qua ratione tractandæ ſint in deliberatione quinque res, quæ ad huiuſmodi cauſas principales habentur.

CAPVT. XIII.

QVINQVE ferè ſunt magna negotia, de quibus conſultationes inſtituuntur, & in quibus deliberationes ambitu ſuo omni uerſantur. Nam de Vectigalibus, de Bello, de Pace, de Præſidio militum, atque cuſtodia ciuitatis, ut tutò omnia importentur, & exportentur, poſtremò de conſtituendis, iubendiſque legibus in omni ferè conſilio agitur. Qui de Vectigalibus eſt dicturus, primùm noſſe debet, quales, & quot ſint reditus ciuitatis, atque prouentus: deinde qua ratione uectigal, ſi quod non uideatur conſtitutum, addi, præſtarique poſsit, & ſi quod parum reddere dicatur, quo pacto reformari, augeriq; debeat. Poſtremò perdiſcendæ ſunt, atque indagandæ omnes impenſæ ciuitatis, ut quę ſuperuacuæ erunt, tollantur, & quæ ſuperfluæ uidebuntur, amputentur. Neque enim una tantum ratione creſcit opulentia ciuitatum, ſi nouus quęſtus accedat: ſed etiam illa, ſi minuantur impendia. Cæterùm ad uidenda hæc, atque cognoſcenda non modo requiritur ea prudentia, atque is uſus rerum, quem de moribus noſtræ ciuitatis, noſtro ingenio, ſtudioque comparauimus: ſed ut quàm inſtructiſsimi, paratiſsimique ad hanc partem deliberationis uideamur accedere, neceſſarium eſt rationes quo-

que illas tenere, atque conſilia, quæ ab alijs aliàs ad huiuſmodi cauſam inuenta, & excogitata fuere. De Bello ac Pace qui conſulunt, primùm ęſtimare debēt uires reipublicæ quantę nam ſint, & quācæ comparari poſsint: Præterea quales ſint illæ, quæ iam habentur, & quales illæ, quæ habendæ, comparandæq́ ſunt. Deinde memoria tenere bella, quę ciuitas aliquando ſuſcepiſſet, & qua ratione ſuſcepta confeciſſet. Neque ſolum hæc, quæ ad nos pertinent habere perſpecta debemus, & cognita, ſed etiam eadem illa explorare, & cogitare oportet de finitimis populis, aut de ijs, contra quos ſuſcipiendum uidetur bellum. Ita illud conſequemur, ut ſi maiora cognoſcantur auxilia hoſtium, quàm noſtra, ſciamus pacem anteferre bello: contrà, ſi impares illi noſtris uiribus eſſe intelligantur, noſtri iuris ſit cogitare de bello. ſed & id quoque non eſt in poſtremis habendum, ut conſideremus eadem re, an diſsimili ualeamus, qua hoſtes: refert enim hoc plurimum & ad cladem, & ad uictoriam referendam. Ad hæc neceſſarium eſt ea quoque diligentia, ut non modò eorum bellorum exitus teneantur, quæ unquam geſta ſunt à noſtra ciuitate, ſed etiam eorum perdiſcantur, quæ in cæteris quoque gentibus, nationibusq́ fuere. Nam ex ſimilibus ſimilia ſequi natura ſolent. Quæ uerò ad præſidium, & cuſtodiam urbis, agriq́ pertinebunt, optimè commemorari, ac ſubijci poterunt, ſi non ignorabitur, qua ratione cuſtodiantur urbes. ſed & numerus militum, & genus præſidij intelligendum erit, & loca quæ huic muneri maximè oportuna, atque idonea uideantur. Hoc uerò conſequi nemo poteſt, niſi peritus ſit regionis, agriq́ uniuerſi, ita ut & neceſſarias cuſtodias ſciat imponere, & ſuperuacaneas demere: poſtremò notare diligentius loca, atque

deligere

deligere, quæ ad hunc uſum commodiſsima eſſe intel= ligentur. Eſt uerò & illud de cura annonæ, atque ali= mento ſciendum, quantus ſufficiat ciuitati ſumptus: item quantum copiarum ſit, quod ex agro nunc redeat, quan tum quod aliunde inuehatur. Præterea quæ nam ſint res, quæ importari, exportariq́ debeant: ut de ijs pacta, conuenta, & quaſi fœdera cum finitimis, & cæteris par tibus conſtituantur. Duæ ſiquidem res ciuitatem illæ= ſam, & de principibus non obloquentem prꝗſtant: Vna ſi à potentioribus tuta, defenſaq́ conſeruetur: Altera ſi firma ſocietate coniuncti habeantur ij, ſine quibus re= rum ultro citroq́ neceſſariarum liber commeatus eſſe non poteſt. Atque hæc ſunt, quæ ad ſecuritatem, tute= lamq́ ciuitatis inuenire, & circunſpicere omnia delibe= rantem oportet. Nec minus uerò diligentiæ, atque ope ræ impendendum eſt, cùm de iubendis legibus, & con= ſtituendis agetur, quia ſalus reipub. in legibus poſita eſt. Quamobrem primùm noſſe oportebit, quot ſint rerũ= public. ſtatus, & formæ. Deinde quæ cuique conferant, atque conducant: tum demùm ea cognoſcere, quibus quæque deleri, euertiq́ poſsit, ſiue illa nimium proue= hentia, & proſpera uideantur eſſe, ſiue aduerſa planè, atque contraria. Deleri rempublicam dixi, quia omnes ciuitatum ſtatus, præter optimum, duabus rationibus labefactantur, Remiſsione, & Intentione. Nam popula= ris ſtatus non ſolùm debilitatur recedendo coëundoq́ in paucorum potentatum: ſed etiam progrediendo ni= mium, atque laxando. Exempli gratia, Aquilinus na= ſus, & ſimus, non modò ſi remittatur, in mediocritatem redibit: ſed & ſi fiat uehementer aquilinus, ſimus'ue, ita afficietur, ut neque naſus quidem omnino eſſe uideatur. Vtile uerò eſt ad componendas leges non ſolùm perdi=

ſcere, quæ reipubli. inſtitutorumq́ forma expedierit ęta te maiorum, & in noſtra ciuitate: ſed etiam noſſe, quæ apud alias quoque nationes expediat, & quæ quibus locis congruere, & conuenire uideantur. Ex his colligi poteſt, ferẽdis, ſciſcendisq́ legibus utiliſsimum eſſe, peragrare orbem, & leges intueri omnes, quibus aliæ gentes, & nationes utuntur: in conſilijs deliberationibus'ue plurimum ualere notitiam rerum geſtarum, quæ ab autoribus hiſtoriarum commendatæ ſunt literis. Hæc quidem omnia ciuilis ſcientiæ ſunt, non Rhetoricæ munera. Atque hæc ferè maxima ſolent eſſe, quæ in deliberationem, & conſilium ueniant.

DANIEL BARB.

QVinque ferè ſunt magna negotia. *Enumerat res de quibus conſulimus. Licet autem multa ſint, de quibus inire conſilium ſoleamus, non tamen ſingula recenſenda ſunt, ſed præcipua, & magna, quæ communi quodam, & amplo ciuitatis uſu, uenire in conſilium & ſenatoriam controuerſiam ſæpius conſueuere. Conſultamus igitur aut de pecunijs comparandis, aut de tuendis finibus, aut de legibus promulgandis, aut de bello, & pace, aut ut tutò omnia importentur, & exportentur. Si uerò res aliæ habeantur, de quibus deliberamus, illæ ſanè harum quinque ambitu complectuntur: quanquàm in Rhetoricis ad Alexandrum ſeptem connumerata ſunt: quare quod hoc loco modeſtiæ cauſa dictum eſt ferè, ibi dixit* ἐν κεφαλαίῳ. *In ciuitate igitur neceſſarij ſunt, qui conſulunt: porro Conſulere ciuilis prudentiæ opus eſt. Qui igitur de uectigalibus, aut pecunijs comparandis conſulturus eſt, tria neceſſe eſt animaduertat: Primùm ut cognoſcat ciuitatis reditus, an ſcilicet ſint fruges, an animalia, an quæ uiſceribus terræ, & metallorum uenis effodiuntur: nec ſolùm ad genus intueatur, ſed ad numerum, ut ſi quid deſit, addat, ſi minus ſit, augeat. Sciat autem*

tem medio loco exitus. Poſtremò hominum genera quæ in ciuitate ſint: ocioſos, ut inutiles, uel nocuos expellat, frugi, & bonos aſciſcat, profuſos mulctet, lautas expenſas imminuat: nam Prouerbium eſt, Expẽſarum imminutio fortuna eſt diuitiarum effectrix. Non quæret autem orator notitiam frugum uel animantium, uel metallorum, ut cùm naturam ſingulorum agnoſcat, melius hæc ſciat, quàm agricola, armentarius & effoſſor: Sed hæc tantum conſiderabit, quantum neceſſaria ſunt ad uictum ciuium, ad populorum indigentiam, & ad urbis prouentus. In Rhetoricis ad Alexandrum hac de re loquens Philoſophus, Primum inquit eſſe conſiderandum, ſi quid quod ad ciuitatis ditionem ſpectat, neglectum, & incultum ſit, nec ullum prouentum faciat, nec Deo ſit acceptum. Intelligo autem hoc modo, ut ſi quis locus publicus in ciuitate neglectus ſit, ex quo prouentus aliquis fieri poßit, propterea, quòd aut uendentes, aut ementes in eo priuati rem ſuam conficiant, is aut exædificetur, aut ad uſum ponatur. Sed hæc communißima ratio eſt pecuniæ quærẽdæ, quòd ſi quid huiuſmodi minime fuerit, neceſſe eſt, ut qui cenſu iudicantur, huiuſmodi prouentus faciant, ut pauperes belli ſubeant pericula, artifices arma præbeant, quemadmodum Scipio Carthagine noua capta, opifices, qui ad duo millia hominum erant, publicos fore popul. Roman. edixit, cum ſpe propinqua libertatis, ſi ad miniſteria belli eorum operam nauaſſent. Diuites uerò pecuniam parent, quæ res paſſim à Demoſthene obſeruata eſt. Ciuitas autem Veneta tanto ſtudio incubuit pecuniæ comparandæ, quãto neceßitas ipſa cogere uidebatur. Nemo autem ignorat, quàm neceſſe ſit reipub. promptas habere pecunias, quippe quæ nerui bellorum habentur: quare cùm Demoſthene dicere omnes ſenatores poſſunt, Opus eſt ſane pecunia, & reliqua. Hoc autem fit in ciuitate Venetorum, & in omni eorum ditione, ut diligenter caueant, ne pecuniæ publicæ homines præſint, qui eas in priuatum uſum

uertere ualeant,ut licet quæſtoribus data copia ſit pecuniæ publicæ adminiſtrandæ,exigendæq;,nihil tamen ferè agunt abſq; præfectorum iuſſu:tutius enim arbitrantur hoc onus eſſe pluribus imponendū,quàm uni. Accedit ad hoc,quòd cùm duo quæſtores foras mittantur,lex prohibet eos aut conſanguineos, & affines,aut ex eadem familia: nanq; facilè putant euenire poſſe, ut eadem uoluntas in coniunctis, uel ſuadente natura eſſe queat, ita ut ſocij eſſe poßint in pecunia publica diminuenda: nec ſolùm hoc quæſtoribus prohibetur,ſed omnibus ijs,qui unà quoquo modo æs publicum,aut iudicium adminiſtrare,aut facere ualeant:ac meo quidem iudicio, pecuniæ cura intēſior magiſtratum gerenti,quàm familiā gubernanti eſſe debet,quando illud remotius à ſordibus,quàm hoc ſit.Pecunia enim quemadmodum cibus corpori, ita reipub.omni alimento eſt. Non immeritò igitur magna infamia notari, & ingenti ſupplicio affici ſolent,qui pecuniam ciuitatis,& ærarium expilat, quaſi qui ex ore populi panem,& cibum extrahant,hinc ſingulis annis ſtatuto die lex iubet,ut iunior ex triumuiris noſtris concione publica damnatos peculatus recenſeat, & contra fures ærarij maximè inuehatur.Iubet autē Plato in duodecimo de Legibus, in principio,Quòd ſi quis aliquid publicum furatus fuerit,ſiue paruum,ſiue magnum id ſit, pari ſupplicio puniēdum ſit.Nam qui rem paruam ſuſtulit, etſi minori ui, quàm qui magnam rapuit,æqua tamen cupiditate furatus eſt,& reliqua.Multi uerò adhibentur in urbe quærendæ pecuniæ modi, tum præter cenſuum, & uectigalium rationem, ſiue ea ſint,quæ infinita propè omnis mercium generis in multitudine exportantur,& importantur,ſiue ea, quæ ex ſocijs ciuitatibus confluunt. Tanta uerò fuit populorum, ciuium,& omnium Venetæ ditionis erga nobiles beneuolentia,ut in maximis, ac difficilimis temporibus nunquam pecunia defuerit, ſed amplius, & cumulatius ſæpe æs confluxerit, quàm res poſtulauerit. Atque hæc ea de

cauſa dico, ne putemus nouum ſemper populis eſſe & iniquum portorium imponendum, ac inuſitatos extorquendæ pecuniæ modos excogitandos: ſed diligentiam in partis opibus conſeruandis, & cautionem in fraude euitanda, & ſtudium in populis conciliandis, & parſimoniam deniq; magnum eſſe principum uectigal. Nam *qui uitæ dominus ſit, hunc & rei dominum eſſe neceſſe eſt. ſed hæc aliàs.* Eſt *autem & aliorum conſuetudo in ijs rebus obſeruanda, & notitia hiſtoriarum habenda.* Hi*ſtoria enim docebit nos, quid, quo'ue modo quiſque inuenerit, quo tempore, quo'ue loco uis pecuniæ magna cogatur.* At *de bello & pace (ad quod genus fœdera, induciæ, armorũ ſuſpenſiones, amicitiæ, ſocietates, duella, expoſtulationes & alia huiuſmodi referuntur) primùm conſiderare debent, qui cõſulunt, uarias eſſe belli occaſiones: namq; aut ut tueamur eos, qui antè iniuria ſunt affecti, bellum indicemus: aut ut eos defendamus, qui tunc temporis afficiuntur: interdum uerò pro ſocijs læſis, pro coniunctis, pro bene meritis pugnamus: interdum ob gloriam, aut ob imperium augendum, aut ob aliquam utilitatem arma ſumimus: ad quæ omnia intuẽtes maximas quaſdam ideas excerpere opus eſt, ut ex ijs propoſitiones ad bellum, uel ſuadendum, uel diſſuadendum eliciamus.* Obſ*eruauimus autem magnos duces, cum ad bellum milites hortarentur, duas in partes orationes ſuas diſtribuiſſe:* Ac *primum de hoſte, mox de belli genere dixiſſe.* Hinc P. Scipio *perbelle oſtendit militibus ſuis cum quibus equitibus, aut peditibus pugnaturi ſunt. Contrà uerò* Annibal, Pug*nabitis, inquit, cum exercitu tirone.* Po*ſtea uterque de genere belli mentionem facit, ut patet apud ſcriptores.* Vi*ctoriæ autem adipiſcendæ plures cauſæ ſolent eſſe: ac primùm* Dei *beneuolentia, quam* Pro*ſperam uocant fortunam: robur, & numerus militum, pecuniæ uis, ſociorum uirtus, imperatoris prudentia, locorum oportunitates, hæc ſuis in concionibus* Thucydides *diligẽtiſſimè conſiderat.* Cùm *igitur hortari*

tari ad bellum mens fuerit, has res ineſſe aut omnes, aut præcipuas nobis oſtendemus: ſi dehortari, ex contrarijs locis argumenta ſumemus. Cæterùm diſſoluuntur bella aut quando putamus hoſtes rectè, & iuſta ſentire, aut quando à ſocijs dißidemus, aut quando nimis nos bellum afflictat, uel timor hoſtium urget, aut ſeditio inter nos orta ſolicitat. Nemo autem ſapiēs ignorat, bellum pacis cauſa, non autem pacem belli cauſa faciendam. Id autem ſtudium Venetis ſemper fuit, ita ut bellum coacti, pacem uel currentes fecerint, finitimos à regulorum tyrannide defendentes, pacem cum ijs ineuntes, à quibus utilitates mercium maximas referre ſoliti ſint. Præterea ius bellicum hoſti ſeruauere, & fœderibus, quibus cum inimicis deuincitur fides, ſanxere: ita ut ardentißima bella extinxerint, cognoſcentesq; præliorum exitus incertos, mira dexteritate contentiones, & certamina diſſoluere. Vnde pax ipſa conſecuta eſt, nomine dulcis, & re ipſa ſalutaris. Nam ſociam ſibi libertatem conſeruauit, & comitem rerum omnium affluentiam connutriuit: neque ſolùm concordiæ, & tranquillitatis propriæ, ſed ſuaſores alienæ fuerunt. Sed de cuſtodia agrorum, & urbium conſulentes, opus eſt externos hoſtes, & internos perpendere: & ita urbem, & agros munire, ut tuti ſimus ab iniurijs. Hic, dij boni, quanta opus eſt, tum locorum, tum rerum peritia. Ego equidem maximas artes oratori neceſſarias ſemper iudicaui, ſed nunc maximè iudico, & eas in primis, quæ ad hominum ſalutem, & incolumitatem tuendam, & cōſeruandam pertinent. Cæterùm ea loca maximè tutanda ſunt, per quæ aditus hoſti patere poteſt, ne ulterius in perniciem noſtram progrediatur. Interdum uerò nocuit ea loca uelle tueri, quæ nimis eſſent ab imperio ſeparata: unde Quintius breui, & arguta oratione Achæos monet, ne uelint Zazinthum tenere, quod tangit Liuius decade quarta. De annona & alimentis cōſulenti neceſſaria eſt menſura omnium rerum, quarum uſus eſt in ciuitate, & earum

& earum quæ ex ipſo patriæ ſolo habentur, ut poſtea, ſi quid deſit, aliunde quæratur. Quærere autem res neceſſarias poſſumus aut à finitimis, aut ab exteris: quare beneuolos eos omnes habere opus eſt, à quibus quod nobis utile ſit, referamus: ne magna uis frumenti, magno etiam cum damno in urbem ueniat. Summa igitur commerciorum ratio habenda eſt, atq; hæc præcipua Romanorum *cura fuit.* Nuper *autem lata lex eſt, ut ob merces, præter admodum paucas, aliunde in urbem per mercatores inuectas nihil exigatur: uidimus enim propter bellum, quod cum* Turcis *habuimus*, Anconam, *&* Raguſium *omnes merces importari cepiſſe.* Maxima *uerò prætoribus & præfectis cura eſſe debet, cùm aliqua futuræ inopiæ ſigna tenent, ne frumentum ad alios tranſeat.* Dubitatum *uerò eſt à multis, an optime conſulant, qui in caritate annonæ frumentum ex agris unicuique ciuitati ſubiectis in eam ferri iubent, ita ut nihil aliò importari poßit: uerbi gratia, ſi frumentum, quod in agro* Patauino *naſcitur*, Patauium *importetur, & quod in* Veronenſibus *prædijs oritur*, Veronam *feratur.* Hanc *dubitationem ſapientißimus quidam* Dux *noſter facile ſoluit.* Audiuimus, *inquit, ad prætores ſcribens, iußiſſe uos frumẽtum omne, quod in agris ueſtris naſcitur, in urbes ueſtras inuehi, nec ullo modo uelle, ut quicquam ex eo tranſportetur: hoc etſi aliàs probaremus, nunc tamen uolumus nullo diſcrimine poſſe alias urbes ab alijs adiuuari, modò ne ad exteros frumentum tranſeat: imperium enim tanquam corpus unum eſſe debet: quare ciuitates tanquam membra iudicãda ſunt.* Quemadmodum *ergo membro membrum unius corporis opitulatur, ita unius imperij inter ſe ciuitates inuicem ſe adiuuare debent.* Vbi *uerò ſuſpicio, uel occaſio eſſe poteſt, ne in finitimos frumentum noſtrum perferatur, ibi ne importetur, cauere maximè debetis.* Sed *de imperio illo conſulentes, ſine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus ſtare poteſt,*

teſt, quod imperium rectè legem uocamus, conſiderare debent in legibus ciuitatum ſalutem poni: Lex enim diuinæ mentis ratio eſt, lex princeps, lex domina rerum, lex recti particeps, & obliqui expers ſapientia. Quemadmodum igitur unicuiq; animantium generi nobilius aliquid ſemper præeſt, ita homini non immerito aliquid præſtantius homine imperare debet. Cum uerò nullum animal homine ſit excellentius, reſtat ut uel diuina mens, uel diuinæ mentis ratio homini præſit: hanc nos Legem dicimus, in cuius maieſtate ſalus eſt ſita, & conſeruatio rerum. Quoniam uerò lex eſt animi medicina, ideo cum diuerſa ſit humanarum ſocietatum ratio, neceſſe eſt cognoſcere rerumpub. ſtatus, quot & quales ſint, ut ad ſingulos aptæ leges adhiberi queant. Aliæ enim leges paucis, aliæ multis, aliæ uni, aliæ nobilibus, aliæ popularibus uiris imponendæ ſunt. Quapropter rectè dictum eſt ab Ariſtotele in omnibus artibus, & ſcientijs quid in quaq; optimum ſit conſiderari oportere, tametſi neque id homines requirant, neque aſſequi ualeant. Emendare autem rempublicam iam inſtitutam, non minus eſſe arduum, quàm ab initio inſtituere: perinde ac ſiquis rectè id uelit addiſcere, quod prius perperam intellexit: ægrius enim id ageret, quàm ſi à capite ordiretur. Cùm igitur ſocietatum cauſa leges inuentæ ſint, neceſſe habet alias alijs accõmodari: unde opus eſt rerumpub. diſcrimina rectè tenere, & quid corrumpat unamquanq; ſocietatem ediſcere. Alia enim de cauſa regnum in peſſimam tyrannidem uertitur, atque alia ratione populi ſocietas diſſoluitur. Omnis autem ratio reipublicæ gubernandæ tres portiones habet ad quas ſapiens legum lator intendẽs, quid ſingulis cõmodum & oportunum ſit, conſiderare debet: hæ ſi rectè ſe habẽt, & rempublicam neceſſariò rectè ſe habere oportet: ſi differãt, differre quoq; rerũpub. ſtatus oportet. Prima portio eſt in conſultandis rebus poſita, altera in magiſtratibus collocandis, tertia eſt in iudicijs conſtituendis collocata. Ac prior illa autoritatem

tatem habet de bello, & pace, de ſocietate ineunda, uel diſſoluenda, de legibus ferendis, uel abrogandis, de morte, & uita, de bonorum publicatione, & rationibus repoſcẽdis. Media pars conſiderat, qui eſſe debeant magiſtratus, quam uim teneant, quomodo creandi, eligendiq́; ſint. Vltima uniuerſam iudiciorum rationem complectitur, de quibus ſuo loco dicendum eſt. Atq; hæc de legibus ſatis ſint. Legumlatorem autem nõ ſolum crimine, ſed criminis ſuſpitione carere decet, ita ut non modò eius leges, ſed mores pro legibus habeantur. Orator autem, qui de legum latione dicturus eſt, ut ad ſingulas rerumpub. conditiones leges accommodari didicit, opus eſt, ut cauſas corruptelæ, & mutationis omnium rerumpub. agnoſcat, & genera intelligat, quibus ſingulæ differunt. Hoc commodè ex quarto ciuilis ſcientiæ libro ex Ariſtotele elicere poterimus, quare illuc ſtudioſos remitto. Animaduertenda uerò eſt ſimilitudo ex intentione, uel remiſſione ſimi, aut aquilini naſi: nam unus eſt optimus reipublicæ ſtatus, & qui ab eo declinat, paulatim rẽpublicam corrumpit, ut ne reſpublica quidem uocari debeat. Id quidem uel relaxando, uel contendendo efficitur, quemadmodum de ſimo, uel aquilino naſo dicitur. Nam ut ſit ſimus, uel aquilinus, hoc modo, uel illo affectus eſſe debet: quòd ſi relaxetur, uel intendatur, eò deuenire paulatim poteſt, ut ne naſus quidem uocari poſſit. ſed hæc aliàs.

Rationem ſuadendi conſtitutam eſſe in iis, quæ pertinent ad felicitatem. CAP. XIIII.

NVNC quæ ſint res, ex quibus ſumi argumenta poſsint ad ſuadendum, diſſuadendum'ue illa, quę ſuprà nobis expoſita, enumerataq́; ſunt, quaſi initio repetito docebimus. Omnibus ferè, & in uniuerſum, & ſingulis quidam uidetur propoſitus finis, quo perſpecto, & mente concepto, aut perſequuntur, aut effugiunt. Atque hic eſt (ut ſummatim dicamus) felicitas ipſa, &

articuli, partesq́ felicitatis. Igitur exempli gratia accipiamus quid ſit felicitas, & ex quibus partibus conſtet, rudi, & pingui deſcriptione contenti: nam & ad felicitatem, & ad ea, quæ illuc ferunt, & ad ijs contraria, omnis ratio ſuadendi, & diſſuadendi confertur. Eſt enim omnibus propè inſitum hoc iudicium, ut ea fieri oportere arbitrentur, quæ felicitatem, aut partē eius aliquam afferant, aut quę conſummatiorem eam reddant, amplificent, & augeant. Contrà non fieri illa, quæ labefactare, aut impedimento eſſe, aut repugnare, aduerſariq́ uideantur rationi felicitatis. Sit igitur Felicitatis definitio hæc, proſperitas cum uirtute coniuncta: uel, fortunata rerum cum uirtute adminiſtratio, actio'ue: uel, ratio per ſe ſufficiens ad bene uiuendum: uel, uita pleniſsima uoluptatis ſumma ſecuritate, & præſidio nixa: uel, abundantia copiarum, & abſolutiſsima incolumitas corporis, cum poteſtate huiuſmodi, atque ui, quæ ad paranda illa, & conſeruanda ſufficiat. Ex ijs deſcriptiunculis aut una, aut plures ferè ab omnibus ſunt receptæ. Si ergo ea eſt natura felicitatis, neceſſe eſt eius partes intelligi, Bonum genus, Amicitias tum multorum, tum præcipuè bonorum, Diuitias, Sobolem & copioſam, & probam, Senectutem illuſtrem, & ualentem. Adijcienda ſunt, & corporis commoda, ualetudinem, formam, uires, magnitudinem, robur in certamen, gloriam, autoritatem, honores, deinde bonam fortunam, poſtremò uirtutem, & partes eius prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam, in hunc modum conſequemur, ut longè mūnitiſsimi, ac ſufficientiſsimi uideamur, ſi neq; illa, quę habentur intus, neq; ea, quæ extrinſecus parantur, deſyderabuntur in nobis: nam extra hęc nulla ſunt bona. Intus habentur quæ animo tribuuntur, & corpori. Externa dicuntur nobilitas, copiæ, amplitudo, clientelæ: pro-

pterea putamus adeſſe etiam oportere potentiam, atque fortunam, ita enim tutiſsima eſſe uidebitur uita.

DANIEL BARB.

NVnc quæ ſint res ex quibus ſumi argumenta. *Explicatis ijs, de quibus omnis ferè deliberatio inſtitui ſolet: reliquum eſt, ut propoſitionum copia abundemus, quibus communire argumenta in ſuadendo, uel diſſuadēdo ualeamus. Non enim ſatis eſt noſcere, quæ ueniunt in conſultationem: ſed opus eſt in ijs rebus uim inueniendi tenere. Si ſuademus legem ferendam, uel pacem incundam, uel pecuniam quærēdam, oportet ſcire, ex quibus propoſitionibus hæc omnia ſuadenda ſint. Quapropter Ariſtoteles nos docebit formas illas, ut ideas proprias generi deliberatiuo: ubi non poterimus non admirari ſummum Ariſtotelis iudicium, qui à communioribus more ſuo incipiens, eouſq; deſcendit, quouſq; res certas, & proprias inueniat: exempli gratia, Vergilius ab Italia ad Lauina littora, ab ijs Romam uenit, & paulatim contrahit quæ maioris ambitus erant. Ita hoc loco Ariſtoteles ab ijs, quæ uniuerſis generibus conueniunt incepit, dixitq; res cōtingentes, quæq; aliter fieri poſſunt, uniuerſæ oratoriæ arti ſubiectas: mox genera partitus, quæ unicuiq; conueniunt explicauit: inde generatim magis ad ſingula genera peruenit, & eorum partes diſtinxit: ac primum deliberatiuum genus cauſæ declarandum aſſumpſit, quod in quinq; illa diſtribuit. Nunc ergo ut ſciat quas propoſitiones ad hoc genus accōmodet, inquit, finem deliberantium. finis enim neceſsitatem inducit ijs, quæ ſunt ad finem: quoniam eo poſito, media quæruntur, at non omnia, ſed ea, quæ propria ſunt, & quæ eò tendunt, quò peruenire deſideramus. Cùm igitur finis omnium conſiliorum ſit, in quo ſunt cōmoda, & emolumenta: commoda uerò & emolumēta, communi felicitatis genere comprendantur: ideo de felicitate, deq; partibus eius dicendum eſt, atq; ita dicendū, ut non philoſophorum more ſub-*

 tiliter

tilliter, & accuratè: ſed oratorio communiter, & probabiliter loquamur, & ad uulgi ſenſum propoſitiones noſtras accommodemus. Quòd ſi quis reconditas optet de felicitate ſentẽtias, Ethicen quærat, ibi enim inueniet felicitatem eſſe homini propriam, ac propterea nõ eſſe in bonis exterioribus collocatam. Porrò externa bona ui ſæpe, ac fraude, atque alijs cauſis comparantur: unde fit, ut labore parata, timore custodita, dolore maximo amittantur, quæ res felices eſſe non ſinit. Felicitas igitur ſummum, ac precioſiſsimum bonorum omnium, in diuitiarum poſſeßione poſita non eſt, quoniam ijs abuti quandoq; poſſumus: ſummo autem bono male uti non licet. Accedit ad hæc per ſeſe maximè felicitatem ſufficere, nihil præter ſe amplius expetere, non in immenſum cupiditates noſtras trahere: ſed animi pacem, & quietem parare, quam nec copiæ, ut dixi, nec honores afferre poſſunt. Nam in nobis bonum ſummum ineſſe decet, honores alterius uoluntate proueniunt, & ſunt ſigna, non poſſeßiones uirtutis: nam præſtantiæ, & obſeruantiæ exhibendæ ratio eſt honor: quo fit, ut qui honorem cupit, & uirtutem fugit, is malus, & ambitioſus habendus ſit. Sed nec audiendæ ſunt blandißimæ illæ dominæ, quæ ſuis nos illecebris irretitos tenent, & iucunditatis ac ſuauitatis uitam plenißimam pollicentur: namq; in nulla corporis commoditate, in nulla ſenſuum delectatione ſummum bonum præcipuè collocandum eſt. Pulchritudo ad luxum, ſenſuum integritas ad ocium, robur ad iniuriam, ſanitas ad uitium ſæpe tendit: quare in ijs, quæ uera, & legitima eſſe felicitas poteſt? Quare pro pulchritudine temperantia, pro ſanitate iuſtitia, pro robore fortitudo, pro integritate ſenſuum prudentia eſt expetenda. Plato Academiæ locum ubi aër nocentior eſſet, elegit, ut nimis bonam corporis habitudinem, tanquam uitem luxuriantem inclementia cœli amputaret: Socrates uitioſa natura doctrina edomita caſtiſſimus, & continentißimus uixit: Democritus oculis ſe ipſum priuauit,

priuauit, ne à rerum contemplatione diſtraheretur: ac demum, nemo fuit ueræ gloriæ alumnus, qui uirtutem non prætulerit uoluptati. Quare neq; in ludo felicitas eſt collocata: non enim ſtudendum eſt, ut ludamus, ſed ludendum, ut ad ſtudia ſimus alacriores: atq; ut ab hac re me quàm primum expediam, non enim decet hoc loco aliunde res ſumere: Felicitas aut eſt conditio cunctorum bonorum aggregatione ſumma, quare hoc modo per ſe quidem felicitas plura in ſe habet, imo omnia continet, quæ uir bonus mallet habere, quàm non habere: aut eſt unum, & ſimplex bonum, quod inter omnia, quæ huiuſmodi conuenire poſſunt, obtinet principatum. Et hoc poſſumus affirmare, uirtutis actiones eſſe ipſa uirtute nobiliores: nāq; agēdo magis attingimus id, quod quærimus, quàm uirtute ipſa: quare ſi quis rectè felicitatem collocare uoluerit, eam non immerito uniuerſam in actionibus collocabit. Actiones enim uiri uirtute præditi neque laborioſæ, neq; moleſtæ ſunt, ſed ſummam pariunt delectationem, & facilimè fiunt: Sed in ijs Philoſophorum cura poſita eſt: nos cum Ariſtotele populares opiniones ſequemur, & eas adducemus felicitatis deſcriptiones, quæ paſſim iactatæ uendibiliores faciunt oratores. εὐδαιμονία felicitas, & bona fortuna, δαίμων enim fortuna eſt: εὐπραξία ſucceſſus proſper cum uirtute: Horatius εὐπράττειν rem bene gerere dixit. σώματα ſerui, nam qui ex Græcis elegantius ſcripſere, σώματα pro ſeruis accipiunt: ſic Plato, ſic Epigra. Σώματα πολλὰ τρέφειν. εὐγηρία ſenectam ualentem, ſic uertiſſet Horatius, & Vergilius. εὐγένειαν Vergil. Et pulchra faciet te prole parentem. Quoniam uerò in re facili non immoramur, ideo ſuperſedemus omnia commentari.

Definitiones partium ſingularum ex quibus felicitas conſtat. CAP. XV.

SED & partium quoque ſingularum, ex quibus illa, de qua diximus, beatitudo componitur, proden-

dæ definitiones uidentur. Bonum genus, ſiue Nobilitas, aut id quæritur, quod ad uniuerſam aliquam nationem, aut id, quod ad ſingulos pertinet. Si quod ad uniuerſum, illud cenſetur bonum genus eſſe, ſi ij, qui eam terram incolunt, indigenæ ſunt, ſi ſuo iure legibus'que utuntur, ſi uetuſtate præcellunt: ſi hi, qui principes gentis ſunt, clari, & inſignes habentur: ſi multi ex ea ciuitate profluxerunt uiri præſtantes ijs bonis, quæ homines admirantur. Genus uerò, quod laudatur in ſingulis, continetur his rebus, ſi nobilibus parentibus orti uideantur, ſi legitimis nuptijs procreati, ſi principes fuerint ciuitatis ſuæ, ſi opibus excellentes, ſi uirtute, atque ijs bonis ornati, quæ honeſta, & precioſa exiſtimantur, ſi ex ea gente, atque familia pręclari multi, atque illuſtres uiri, aut mulieres, iuuenes, aut ſenes prodierunt. Quæ nam uerò ſit liberorum tum copia, & fertilitas, tum bonitas, atque præſtantia, opinor neminem eſſe, qui neſciat. Sed tamen illæ aliquando in ciuitate uniuerſa inueniuntur, uti cùm iuuentus eſt multa, & prædita non modò commodis corporis, magnitudine, pulchritudine, robore, uiribusq; certandi: uerùm etiam bonis animi, temperantia, fortitudine, quæ duæ uirtutes præcipuè optantur in iuuene. Aliquando priuatim illa quæruntur in ſingulis, ut cùm filij, filiæq;, & numeroſa ſobole, & rectè inſtituta uidentur. Fœminarum uirtutes, quas natura corpori tribuit, ſunt forma, & magnitudo: quæ uerò habentur in animo, ſunt pudicitia, & diligentia in re familiari citra illiberalitatem. Illa certè ratio, quam ſumus ſecuti, ut hæc bona, & in uniuerſum & particulatim exponerentur, etiam hac parte omittenda non eſt, ut æſtimemus in deliberatione omnia, & quæ uirtutes in ſingulis tam uiris, quàm fœminis, & quæ uniuerſis ineſſe

uideantur,

uideantur. Nam ea ciuitas, in qua mulierum peruerſi ſunt mores, ferè dimidio felicitatis caret: cuiuſmodi Lacedæmoniæ perhibentur. Diuitiarum partes ſunt pecuniæ, copiæ, agri, uillæ, poſſeſsiones, multitudine, amplitudine, pulchritudine præcellentes: præterea ſupellex ſeruitiorum, pecoris, cæterarum rerum, numero, & apparatu præſtantium. Porrò hæc omnia firma, & certa eſſe oportet, & partim ad liberalitatem, partim ad utilitatem parata. Vtilia ſunt, quæ fructuoſa ſunt nobis: Liberalia appello, quorum liberalis eſt uſus, id eſt, quibus duntaxat fruimur. Fructuoſa ſunt, unde nobis prouentus, & reditus influunt. Illa uerò, quorum præter uſum ipſum ſupereſt nihil penſi, dicuntur ad fruendum expoſita. Certa autem, & tuta ratio poſsidendi illo fine cōtinetur, ſi quis eo loco, & modo poſsideat, ut habeat ijs rebus, quas poſsidet, utendi poteſtatem: id eſt, ut ſuo iure ſit, utrum uelit earum rerum dominus eſſe, nec ne: poſsitq; cùm libeat abdicare à ſe, atque alienare. Alienationem intelligo donationem, uenditionemq;. Certè ex uſu potius, quàm poſſeſsione cenſendus eſt diues: quia tractatio ipſa, atque uſus propriæ uidentur eſſe diuitiæ. Bonum uerò nomen, atque exiſtimatio ea re conſtat, ſi ab omnibus probi, & ſtudioſi habeamur: aut ſi tale aliquod ornamentum in nobis eluceat, quod ab omnibus, uel à pluribus deſideretur, quodq; à bonis, uel à prudentibus appetatur. Honor eſt ſignificatio eius opinionis, quæ de alicuius beneficentia, & liberalitate habetur. Sanè quāquàm iure eos potiſsimum honoramus, qui iam in nos benefici extiterunt: ſolemus tamen, & illos honoribus colere, qui benefacere poſſe iudicātur. Beneficium omne aut ad ſalutem, & uitam eius, qui accipit, pertinet, aut ad incrementum diuitiarum, aut ad aliquod eorum

bonorum, quæ facilè comparari non poſſunt, ſiue illa in ſe magna ſunt, ſiue habita loci, & temporis ratione, grandia: incidunt enim plerunq; cauſæ, ut aliquibus uel ob minimi acceptam beneficij gratiam, plurimum debere fateamur: quia beneficia non magnitudine tantùm, ſed genere, & occaſione penſantur. Partes honoris ſunt, ſacrificia, monumenta, commemorationes tam carmine quàm ratione alia celebratæ, præmia, delubra, præſidentiæ, ſepulturæ, imagines, publica alimenta, iam barbaricę illę aſſentationes, adoratio, admiratio: Poſtremò dona, & munera, quibus quis capitur, & quæ pretioſa uideantur ei, qui donatur. In munere duo ſunt, primo mancipium ipſum, deinde argumentum honoris: quapropter tam auari, quàm ambitioſi appetunt munera, quia in munere utrunque ineſt, quod uterque affectat. Eſt res ipſa, atque mancipium, quod uenit ex munere, atque id eſt auari, quòd gliſcunt: eſt honor, qui ſignificatur in munere, atque eum ambitioſi aucupantur.

DANIEL BARB.

SEd & partium quoque ſingularum, ex quibus illa, de qua diximus. *Quid eſſet felicitas, quotq; eius deſcriptiones haberentur, quæ receptæ, atque admiſſæ communiter eſſent, ac populariter ferè, dictum eſt: mox de partibus felicitatis agendum, & unaquæq; deſcribenda eſt. Primam eius partem* εὐγένειαν *dicit, id eſt, generis claritatem, & antiquitatem: hæc aut publica eſt, aut priuata, utraque in uetuſtate, atq; nominis amplitudine poſita eſt, locus autem à nobilitate ponitur, tum à Platone, tum à Demoſthene in Epitaphijs.* ἐγὼ, *inquit,* Demoſth. εὐγένεια τούτων τῶν ἀνδρῶν ἐκ πλείστου χρόνου, *& reliqua. Refertæ autem ſunt Pindaricæ Odæ ijs locis, qui à nobilitate ſumuntur. Cæterum nõ hominibus modò, ſed reliquis animantibus, & plantis, attributa eſt nobilitas, & generoſitas à* Poëtis,

Poëtis, quanquàm eſt differentia inter utrunq;: nam nobile dicitur, quod ex bono, & claro prodijt genere: Generoſum autem, quod à ſua natura non degenerat: ſic enim Ariſtoteles in primo de Natura animalium: Leo enim animal eſt nobile, & forte: Lupus generoſum, & ferox, & inſidioſum. Cicero autem Generoſum id uocat, quod altiori natura, animoq; ſit præditum: huius contrarium eſt, Humile: ſicut Nobili aduerſatur Ignotum. Philoſophus, niſi adſit uirtus, nobilitatem parui facit. Idem, inquit ille, Stemmata quid faciunt? & Plato indignatur, ſi quis ἑπτὰ πάππους dinumeret, ipſe uerò ignotus ſit, & uilis. Quàm uerò utilis locus eſt à nobilitate, patet in contentionibus, & controuerſijs, quæ ſæpe inter magnos, & principes uiros de præſidentia oriuntur: patet etiam in ſocietatibus contrahendis, in magiſtratibus creandis, in matrimonijs, in commendationibus, & demum in rebus alijs, in quibus tanquam optimum bonum cenſetur ipſa nobilitas, à qua propoſitiones uariæ ſumuntur, ut patet in ipſo Ariſtotele. Sequitur pars altera fœlicitatis, quæ εὐτεκνία, & altera, quæ πολυτεκνία dicitur. Has duplices facit Ariſtoteles, ut patet. Prudens animus memoria commendabit hos locos, ut cum ſermo inciderit, ad propoſitum eos reuocet. De Diuitijs autem Cicero loquens duas fecit partes, ex ijs enim aliàs ad uſum, alias ad uoluptatem ſpectare dicit. hac eadem utetur Ariſtoteles: nam alteram quoque facit: una enim ipſos utentes, altera ipſas diuitias intuetur. Νομίσματα hoc loco numos interpretarer. Perbelle autem uertit Hermolaus διαφερόντων, id eſt, præſtantium. διαφέρειν, id eſt, differre, propriè eſt præſtare, quoniam, qui præſtat, differt ab alijs. Ἀσφάλεια, non habemus uocabulū aptum quo uerbum hoc explicemus: eſt enim ſecuritas, ut ita dicam, abſque metu, quòd eripiantur nobis diuitiæ, quas poſsidemus. τοῦ τε δικαίου, Lampridius legit τοῦ δὲ, quod conſentit illi ἀσφαλεία. duo enim hoc loco deſcribit Ariſtoteles, & quid ſit eſſe in tuto, & quid ſit.

 proprium.

proprium. partes honoris θύσιαι. Vergil. In medio mihi Cæſar erit. & alibi, Illius aram. Μνῆμαι, monumenta, ut Olympici, & Iſthmici ludi: & cantus deorum laudibus referti. γέρα, decora, uel inſignia, ut arma Achillis in præmium Vlyßi data. τεμένη, propriè ſunt loca dijs ſacra, παρὰ τὸ τέμνειν, quòd abſciſa ſint à priuatis, & publicis donata, templa expono, uel delubra, quoniam templa omnia erant antè huiuſmodi arboribus conſita, quæ quanquàm noſtris temporibus ita ſe habent, ſunt tamen ad alium uſum accommodata, utpote humandis mortuis opportuna. προεδρίαι, num præſidentiæ? Publica alimenta, ut Ariſto. in Prytaneo, quemadmodum ponit Plato. ὑπεξαναστάσεις, aſſurrectio. Vergil. Et chorus aſſurrexerit omnis. Ex his elicimus res, ex quibus honor uenit, quaſdam eſſe cõmunes, quaſdam ſingulis nationibus proprias. Sacrificia, oblationes, quibus Græci mortuos honorabant, propria ſunt: Præſidentia, gradus, obſeruantia, ceßio loci, aſſurrectio, communia.

Definitiones partium felicitatis, quæ intrinſecus continentur. CAPVT XVI.

CORPORIS uirtus eſt Sanitas: Sanitatem intelligo, quæ morbis omnibus caret, quæque cum exercitatione, atque uſu coniungitur. Multi quidem ualentes ſunt, ut de Herodico dicitur, ſed huiuſmodi ualetudinem, ob quam ille ab omni ferè uſu abſtinebat humano, nemo in parte felicitatis habuerit. Pulchritudo diſcrimina ſentit ætatum, & ſuam quanque dignitas formæ perſequitur, ac pulchritudo quidem, quæ in adoleſcente requiritur, huiuſmodi eſſe debet, ut duratum, & utile corpus habeat ad labores, nec ad curſum modò, ſed ad omnem conatum, & exercitationem idoneam, præterea iucundo in primis aſpectu, & pleno uenuſtatis, & gratiæ, cum quadam etiam uenerationis, & ſeueritatis nota. Quamobrem quinquertiones idcirco pul-

cherrimi

cherrimi exiſtimantur, quia & robore, & uelocitate prę cellunt. Prouectæ uerò, & iam florentis ætatis utrunque proprium uidetur, & præſtare bellicis uiribus, & pollere forma: laus uerò formæ non ſolùm decore ipſo conſtat, & ſpecie, ſed etiam dignitate, & ueneratione, cum quadam ſeueritatis etiam nota. In ſene deprehenditur pulchritudo, ſi neceſſarios labores uiriliter ſubit, & robuſte tranſmittit. Deinde ſi eſt incolumi corpore, & uacuo illis incommodis, quibus ſolet ætas illa uexari. Robur eſt uis mouendi, rapiendique alterum quocunque libuerit. Rapere porro, mouerèque alium multis modis poſſumus, trahendo, trudendo, impellendo'ue, tollendo, premendo, atterendo. Quo fit, ut robuſtus intelligendus ſit is, qui aut generibus omnibus tribus, aut aliquibus mouere poteſt, & rapere. Magnitudinis uirtus in eo decernitur, quòd quis aut in longum, aut in altum, aut in latum excedat: ea tamen adhibita mediocritate, ne uſque adeo exuperet uaſtitas, ut agilitati corporis, & uirium defunctioni officiatur. Virtus, quæ à certaminibus ſacris Agoniſtica appellata eſt, tribus partibus conſtat: Magnitudine, Robore, Velocitate. Sed tamen qui uelox eſt, quodã genere uidetur robuſtus eſſe: nam Curſor dicitur, qui poteſt crura quadantenus impellere, & qui agitatu, & alternatione pedum fugaci uelociter, & longè ſe rapit. Luctator eſt, qui obnixu elidere poteſt, & nexibus premere. Pugil, qui cùm ferire ictu, tum propellere ualet, & trudere: Pancratiaſtes, qui utrique muneri ſufficit: Quinquertio, qui omnibus. Senectutem bonam intelligo, quæ ſerò in ſenium incidit, & quæ caret omni moleſtia: neque enim is bene ſeneſcit, qui celociter ſeneſcit: neque is, qui quanquàm non uelociter, tamen cum dolore, & calamitate ſeneſcit. Certè ſenectu-

tem

tem bonam faciunt uirtutes corporis, & fortunæ: quia ualetudinarius, & imbecillus ſenex, non poteſt eſſe ſine uexatione, atque moleſtia: quamuisq́ longæuus ſit, fortunatus tamen, & felix eſſe non poteſt. Non negauerim tamen nonnullam eſſe per ſe gratiam longinquitatis uitæ, etiam citra incolumitatem ſanitatis, & uirium: nam plerique reperiuntur, qui ſine commodis alijs, & uirtutibus corporis, ſpatio uitæ longiſsimo fuerunt. Cæterùm exquiſitior de his indagatio nihil ad ea, quæ nunc agimus, attinuerit. Amicitiæ multorum, & bonorum, quo nam deſcribātur, & contineantur fine, manifeſtum arbitror omnibus, modò intelligant quid ſit amicus. Eſt igitur Amicus is, qui facit eas res, quas iudicat bonas eſſe illi, quem diligit, & ipſius cauſa, quem diligit. Cui multi huiuſmodi ſunt, is multis abundare amicitijs exiſtimatur: cui uerò non tam multi, quàm probi atq; delecti, is amicitias habere dicitur bonas, atque præſtantes. Bona fortuna fruuntur ij, quibus eorum, quorum domina eſt, & conciliatrix fortuna, aut omnia aut plurima, aut maxima bona contingunt. Fortuna uerò cauſa eſt aliquādo earum rerum, quæ referri etiam poſſunt ad artem: ſæpiſsime earum, quæ nulla contineantur arte: quales ſunt, quæ natura proueniunt: poteſt etiam fieri, ut fortuito eius generis aliqua, & præter naturam eueniant. Ars eſt ſanitatis, & ualetudinis cauſa, pulchritudinis, & magnitudinis eſt natura. In plenum illa bona dicuntur à fortuna proficiſci, in quibus uerſatur inuidia. Eſt & interim Caſus eorum bonorum autor, & cauſa, quæ citra conſilium, & rationem occurrunt. Exempli gratia, ſi ex multis liberis, alij fœdi, deformesq́ habeantur, unus ſit è numero illo formoſus: Aut ſi cùm alij theſaurum non uidiſſent, unus offenderit: Aut ſi ſa-

gitta, quæ aliquem ferijſſet, citrà ceciderit à proximo, nec tetigerit: Aut ſi is, qui ſemper ſolus peregrè proficiſci ſit ſolitus, uenerit, nec in graſſatores inciderit: alij, qui ſemel ueniſſent, inciderint, interfectiq; fuerint. Huiuſmodi omnes exitus, euentusq; fortunati dicuntur.

Contraria eſſe ſeruanda diſſuadentibus. CAP. XVII.

DE VIRTVTIBVS animi, quia illæ in demonſtratiuo genere potiſsimum adhibentur, explicatio in illam partem differatur. Quæ nam res igitur habeantur, quas ſiue futuræ ſunt, ſiue iam ſunt, perſpicere eum oportet, qui ſuaſurus in conſilijs aliquid ſit, item quas quis diſſuaſurus, ex ſuperius dictis conſtare arbitror apertiſsimè: propterea quòd quibus ex locis aliqua res ſuaderi poteſt, ijſdem poteſt ex contrarijs diſſuaderi. Quare eodem fonte inuentionis ad ſuadendum, & diſſuadendum utemur.

DANIEL BARB.

COrporis uirtus eſt ſanitas. *Hanc Plato in Gorgia corporis ornamentum uocat, & alibi primum omnium bonorum corporis dixit, quam pulchritudo ſequebatur, mox uires, inde diuitiæ nulla fraude comparatæ. Exemplum autem quod ponit Ariſtoteles de Herodico, ab eodem Platone ſumitur in tertio de Legibus: Herodicus, inquit, cùm eſſet magiſter exercitandorum iuuenum, eſſetq; ualetudinarius, miſcens Gymnaſticam cum Medicina, primùm quidem ſe ipſum, deinde & poſteros multos affecit tædio: longam quippe ſibi mortem præſtitit: nam dum morbum, qui lætalis erat, ſubſequeretur, neq; curare, ut reor, poterat ſeſe, & medelæ ſtudio detentus, reliquis omnibus prætermiſsis, uitam in hac corporis indulgentia conterebat, male quidem affectus, ſi paulum à conſueto uictu diſcederet, ægre tamen moriens hac ſapientia ſuſtinuit ſe, ſenexq; è uita deceſsit. Egregiam ſanè palmam ex arte ſua retulit. De*

Forma

Forma uerò, & Robore idem Plato ſæpius: Duplicem, inquit, debere eſſe iuuenum diſciplinam: corporis quidem Gymnaſticen, animi uero Muſicen: ea duplex eſt, Saltatio, Lucta. Porrò Saltatio alia muſæ uerba imitatur magnificentiam ipſius libertatemq́; obſeruans: alia bonæ habitudinis, & formæ, tum corporis uniuerſi, tum partium eius & membrorum gratia, concinne flectit, & tendit omnia, ut concinnus undiq; motus per partes ſingulas diffundatur, & uniuerſum ſaltationis ordinem conſequatur. Luctationis autem genera illa, quæ Antheus, & Cercyrus in artificium inutilis pugnæ gratia deduxerunt, uel Epius, uel Amicus in pugilari cõcertatione, cũ nihil ad prælium conferant, digna non ſunt ſermone, ac diligentia noſtra, ſed quæ in uera lucta à collo, manibus, laterumq́; motione, uincendi ſtudio, rectoq́;, ac honeſto habitu adhibentur, & ad ſanitatem, uiresq́; conducunt, cùm ad omnia ſint utilia, prætermittenda minimè ſunt. Quid? nõne corporis habitus à quiete, ac otio labefactatur? ab exercitatione, & motu parte plurima conſeruatur? Sic equidem arbitror de animo eſſe dicendum, qui à rerum ſpeculationibus, ab optimis ſtudijs perficitur, & ſeruatur, & ab indocilitate, & imperitia corrumpi ſolet, et quæ ſequuntur. Fit autem mentio de Quinquertione, ſic enim Latini uertunt πεντάθλον, de quo ſubobſcura ratio eſt, quid ſentiant docti uiri. Epigramma eſt, in quo plerique tenent, ut ab ijs quinque artibus, Diſco ſcilicet, Curſu, Palæſtra, Saltu, & Iaculatione dicatur: inter hoc eſt Iulius Pollux. At Iſido. libro decimo & octauo, ubi de ludo gymnico, deq́; generibus gymnicorum loquitur, de hoc uerbo mentionem facit, & quinq; ponit genera Gymnicorum: Saltum, Curſum, Iactum, Virtutem, & Luctam: unde ferunt quendam regem tot filios habentem, quot ea genera ſunt, & totidem generibus de regno iuſſiſſe cõtendere. Virtutem uerò uocat Iſidor. uirium immenſitatẽ in labore, ac ponderе perferendo. Ariſtoteles hoc loco aliter ſentit: nam qui poteſt atte

teſt atterere premendo,uel detinere, Luctator dicitur: qui uerò trudere,ac propellere, Pugil: Pancratiaſtis, qui utriq; muneri aptus ſit: Quinquertio, qui omnibus. Plato huius rei mentionem facit per ſimilitudinem quandam in dialogo amatorio. Videris,inquiens,mihi tales dicere philoſophos eſſe,quales in certamine ſunt quinquertiones, ſi cũ curſoribus,& peltaſtis comparentur. Etenim illi curſoribus, & peltaſtis in eorum certaminibus inferiores ſunt,& ſecundum obtinent locum, reliquos uerò athletas uincunt. Gellius lib. I I. *Diagoras,inquit, filios habuit treis,unum Pugilem,alterũ Pancratiaſten,tertium Luctatorem. Sed in libris de legibus optime de huiuſmodi exercitijs dictum eſt à Platone. Illud pro tempore ſciendum eſt,facilè Iſidorum & Pollucem conſentire poſſe,ſi Diſcus,& Virtus idem ſignificent:nam in diſco uis & pondus requiritur, uirtus autem in ui & pondere ſita eſt. Ariſtoteles autem, & Plato non id agunt,ut rationem horũ uerborum quærant, ſed quiſq; de ijs,tanquam cognitis mentionem facit. Artemidorus autem de Inſomnijs quinque ludorum genera ponit. Et tamen adhibita mediocritate,ne uſq; adeo ſuperet uaſtitas,ut agilitati corporis, & uirium defunctioni officiatur. Hoc eſt,* ποιοῦτο μείζονι, *id eſt,tanta (ſi dici poteſt) maiori arte, ne faciat motus corporum ſegniores ob exceſſum, id eſt, ut poſſit uiribus corporis uti. Quanquàm uerò pulchritudo ſine magnitudine eſſe nõ poſſit,non tamen fit, ut magni omnes, & qui uaſto ſunt corpore, pulchri ſint, ut Catull. Nulla in tam uaſto corpore mica ſalis. Cæterum nec laudabiles ſunt ij,ob animi uirtutem, quemadmodum nec qui obæſo nimis, & pingui ſunt corpore. Latè enim diſtat à cerebro uirtus,quæ in corde reſidet, & diſperſa facilè imbecilla fit. De Amicitia latiſſimus campus eſt: nos in ſecundo aliquid afferemus. De Fortuna uerò, etſi quatenus oratori eſt ſatis, hoc loco dicatur: digrediar tamen aliquantum, & rem difficilem,& cognitione dignã,ut potero,breuiter explicabo.*

cabo. Fortuna igitur, & Caſus inter externas, & aduentitias cauſas collocantur ab Ariſtotele in ſecundo de naturæ principijs. Non enim dubitat, an Fortuna ſit & caſus, nec ne: non dubitat etiam an Infortunium ſit, & Bona fortuna: ſed probabili omnium conſenſione fortunam, & bonam fortunam concedit. Quanquàm uerò multa hoc modo admittuntur ab Ariſtotele, propterea quia ſic pluribus uideatur: ſi quis tamen ſe uerterit ad rationem, difficultas maxima eſt inuenire, quid dicẽdum ſit. Cæterùm id modò patet, quòd ſæpe accidit, ut ſi quis aliquid ſtatuat, illi aliter ac ſtatuerit, eueniat: quare quod præter expectationem, & animi propoſitũ cadit, Fortuitum id omnes appellant. Non eſt autẽ Fortuna aliquod cauſæ genus ſeparatum à natura, & mente, uel propoſito. Sed eadẽ uoluntas, quæ comparatur ad finem ſibi propoſitum, & adeptum, ſi comparetur ad finem, quem non præcupierit, Fortuna uocari ſolet: nam quod ſibi proponit, conſilio, & electione prouenit, quare Voluntarium dicetur idcirco, quia uoluntas eius rei cauſa eſt, ſi uerò ſecus, ac ſibi propoſuerit, cadat, Fortuitum appellabitur. Quare non mediocris error habetur eorum, qui Fortunam faciunt Deam ſupra rotundum, et uolubilem quendam lapidem, rerum humanarum moderatricem, & præſertim apud eos, qui puram, & ſinceram religionem ſeruant, qui omnia Deo opt. max. gubernatori, ac moderatori ex incredibili eius prouidentia tribuere debent. His expeditis, cùm Fortuna nõ ſit propria & legitima quædam cauſa, continuò ſequitur, alias eſſe huius certas, & meras cauſas, cùm nihil ſit, ut ait Plato, cuius non legitima quædã ratio, & mera cauſa teneatur. Sed humanæ imbecillitatis eſt, cùm proximas rerum cauſas ignoramus, omnem uim fortunæ, ſortiq; adſcribere: Cùm ergo huiuſmodi fortuna ſit, certè Proſpera fortuna erit, cùm quis aliquid ſibi agendum proponat, quod ubi egerit, inexpectatum aliud bonum conſequatur: & quoniam re poſita, cauſa quoq; ponitur, ideo ſequi

uidetur

uidetur ut proſperæ fortunæ caſus, & effectus, proſperam fortunam ut cauſam habeat. Diſtinguitur autem iuxta ea, in quibus reperitur, hoc eſt, iuxta effectus bonæ fortunæ: nam cùm rerum quædam ſint in nobis: quædam uerò extra nos poſitæ: fortuna felix eſt magis in ijs rebus, quæ ſunt in nobis ponenda, quàm in ijs quæ ſunt extra nos: nam in illis electio, uoluntas, propoſitum, & mens cernitur, in his caſus, & temeritas. Cæterum Caſus non idem eſt, ac Fortuna: quippe caſus in brutis, & ratione carentibus eſſe poteſt, fortuna non poteſt. Eſt alia Bonæ fortunæ diſtinctio ab eodem poſita, quæ ſumitur ex Euêtu. Duplex enim eſt Euentus, proprius eſt unus, aduentitius alter. Proprius eſt, bonum conſequi. Aduentitius eſt, malum non habere. Quare non modò Fortunatus eſt, qui aliquod ſummum bonum conſequitur, ſed etiam qui magnum euitat malum: quẽadmodum mihi euenit, qui è ſummo culmine in imum putei delapſus, planè illæſus ſtatim eductus ſum, ita ut nullum periculum maius, minori cum damno potuerit euitari. Nullus autem Fortunatus eſt dicẽdus, cui præter expectationem ſemel quicquam acciderit bonũ: neq; etiam adeo fortunæ ſocius eſt quiſquam, ut uel omni eius propoſito fortuitum aliquod eueniat bonum, uel cum aliquod fortuitum eius propoſito ſit annexum, illud ſemper ſit bonum. Sed inter hos medius eſt, qui ut plurimum præter expectationem bonos ſortitur euentus: nam neq; roſa una uer nitidũ, & floridius facit, neq; felix unus ſucceſſus aliquem fortunatum reddit. Sed quæ cauſa proſperæ, ac felicis fortunæ? An nulla eſt in homine cauſa proſperitatis eius, quæ ſit earum rerum, quarum non ſumus domini, quanquam extra hominem cauſa quædam latior, & communior habeatur? Quis enim habet in ſe cauſam, ut pulcher, ut nobilis, ut diues oriatur? Sed ſi cauſa quæratur proſperatis eius, quæ ſit rerum à nobis manantium, certè putandum eſt, eſſe uires quaſdam in homine, à natura inſitas, & impetus quoſdam, ac propenſiones, quibus du-

cimur abſq; ulla ratione ad ea facienda, quibus aliquod magnum, & inſperatum bonum ſuccedat. Hinc diuerſitas eſt *fortunæ: hinc eſt, quod idem uni commodum, alteri ſit incommodum: hinc dicuntur aliqui rotæ faſtigio ferri, aliqui uerò capite uitreo radios urgere duros.* Eſt igitur Bona *fortuna ratione carens natura, nam* Fortunatus *eſt, qui ſine ratione ad bonum impetu quodam fertur. hoc autem naturæ proprium eſt: in anima enim uis quædam ineſt, qua ferimur abſque conſilio in id, quod nobis poſtea profuturum eſt.* Vnde *ſi quis interroget quempiam, cur ita faciat:* Neſcio *dicet, ſed ita fert animus, tanquam qui à* Deo *aguntur, qui animi concitatione, ac furore aliquid faciunt.* Hinc *dictum illud,* Vbi *plus ingenij, fortunæ ibi minus: & econtrario,* Vbi *minus ingenij, fortunæ ibi plus eſſe: quoniam conſilio fortuna caret, & qui præuidet, quiq; deliberat, plurimis euentibus reſiſtit.* Sed Fortuna *eſt cauſa interdum earum rerum, quæ referuntur ad artem, interdum earum, quæ referuntur ad naturam.* Venenum *quiſpiam ſumit, præter expectationem ſanatur à diuturno aliquo morbo: huius fortuna refertur ad artem.* Naſcitur *pulcher aliquis, huius commodum & fortuna refertur ad naturam.* Atq; *hæc ſunt, quæ hoc tempore mihi de fortuna in mentem ueniunt.* Cæterùm *ſi pro rerum dignitate, ac ueritate loqui uolumus, & non uti oratorijs perſuaſionibus, nullum eſt bonum* Virtute *ipſa præſtantius: quam qui habet, rerum dominus, uel ſyderum, & fatorum imperator erit.* Diuitiæ *namq; ſplendorem afferunt nullum, eas cum ignauia poßidenti: neq; enim ſibi auarus, ſed alteri eas parat: neque item corporis forma, & robur, timido, ac perdito ullum afferunt ornamentum, quoniam ipſum dedecent, infamē reddunt, & ſecordiam patefaciunt: neq; honos, & is præſertim popularis adeo pretioſa res eſt, ut multi putant: honorantur enim multi ob ea, quæ breui tempore dilabuntur.* Quid *ſcientiæ* Dei *liberalitate hominibus elargitæ? Si pietas, ſi iuſtitia,*

ſi abſit

ſi abſit moderatio, non'ne callidos potius, quàm ſapientes red- dunt? Quare ante omnia, & poſt omnia uirtus ipſa eſt expe- tenda, habenda, exercenda: de qua ſe dicturum pollicetur Ari- ſtoteles in genere demonſtratiuo, nunc ex contrarijs locis mo- net hauriendas eſſe illas propoſitiones, quibus diſſuadere inten dimus: concludit quæ dicta ſunt, aperit, quæ reſtant dicenda, facilima lectio eſt.

Deſcriptio Boni, & enumeratio Bonorum, & eorum, quæ ef- ficientia ſunt, occaſionésue Bonorum. CAP. XVIII.

QVVM uerò ſit propoſitus deliberanti finis, utilitas, deliberat porrò de finibus nemo, ſed de ijs, quæ antecedunt, & conferuntur ad finem, atque ea quidem ſunt, quorum utilitas in actione uerſatur: quod autem utile eſt, bonum quoq; quoddam eſt, ne- ceſſarium puto deſcriptiones Boni ipſius, atq; Vtilis ge nerales quidem illas, & ſimplices, ſed tanquam elemen- ta quædam, atq; initia, afferēdas eſſe. Eſt igitur Bonum, quod ſua natura expetēdum eſt, & cuius gratia res quo que aliæ expetuntur, & quod omnia concupiſcũt, quæ ſenſum eius, & intellectum habent, aut concupiſcerent, ſi intellectum haberent. Item quicquid ratio, atq; mens cuiuſque rei tribueret, ſi ineſſet, & quicquid cuique tri- buit quacunq; in re inuenta, uerſataq; ratio, hoc eſt ſuum ſingulis bonum, & quo habito belliſsimè habent, & o- ptimè ſibi ſufficiunt. Immo ipſum eſt ratio illa per ſe ſufficiens, & quod conciliat nobis alia bona, atque con- ſeruat, ex quo ſequuntur non ſolùm illa quæ diximus, ſed etiam ea, quibus contraria, inimicaq; defendan- tur. Planè bifariam ſequi ſolent ea, quæ diximus: nam aut ſimul, aut ſeorſum, poſteriusq; ſequuntur. uerbi gra tia, prius addiſcitur, deinde ſcitur res, & tenetur: con- trà ſaneſcitur ſimul, & uiuitur. Tria quoque ſunt effi-

dentia: nam aliqua ita ut conualeſcentia ſanitatis, aliqua ut ſibi, aliqua ut exercitia, geſtationesq́ue, utpote quibus magna ex parte ſanitas comparetur. His conſtitutis, atq́ue ſubiectis, neceſſe eſt non modò bonarum rerum adeptionem bonam uideri, ſed etiam malorum euitationem: nam adeptionem bonorum euitatio concomitatur malorum, & euitationem malorum conſequitur uiciſsim indeptio boni. Eſt & conuerſio bonorum bona, hoc eſt, pro minori bono maioris ſuſceptio: Et malorum imminutio, id eſt, pro maiori malo minoris electio: quo enim ſuperatur minus à maiori, id in hoc adeptio eſt, in illo euitatio, atque depulſio. Virtutes quidem confeſſa bona uidentur, cum per eas homines bene inſtituti, compoſitiq́ue euadant: præterea efficientes ſunt illæ bonorum, conciliatricesq́ue: ſed de ſingulis, quænam quæque ſit, & qualis, priuatim ſuo loco dicendum eſt. Iam Voluptatem bonum eſſe quis dubitat? cùm eam cunctis animalibus naturæ inſtinctu uideamus deſideratam, & appetitam. Quapropter & quæ delectant, & quæ pulchra ſunt, neceſſe eſt bona exiſtimari: quia quæ delectant, efficientia ſunt uoluptatis. Pulchra diducuntur in ſpecies, ut alia ideo pulchra dicantur, quia delectant, alia, quia per ſe optantur, & expetũtur. Huiuſmodi (ut uerbo expediam) ſunt illa, Felicitas primùm: eſt enim Felicitas per ſe optabilis, & per ſe ſufficiens, & cuius gratia pleraque alia ſolemus expetere: deinde Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, Animi magnitudo, Magnificentia, & reliqui huiuſmodi habitus, quæ uirtutes animi appellantur. Item illa putanda ſunt bona, uirtutesq́ue, Valetudo, Robur, et Forma, & cætera talia, quia uirtutes corporis habentur. Et præterea multa bona ex ĳs proueniunt: uerbi cauſa, ex ualetudine proficiſcitur

ſcitur uoluptas, & uita. Quamobrem à multis optimum inter bona exiſtimata eſt Sanitas, quia duarum rerum eſſet efficiens, quas plurimi precioſiſsimas arbitrantur, uoluptatis, & uitæ. Deinde opulentum, & locupletem eſſe, in parte aliqua uirtutis ponitur: eſt enim Opulentia poſſeſsionis uirtus, & ex qua habenti plurima commoda oriuntur. Item Amici, Amicitiæq́: nam per ſe amabilis optabilisq́ amicus eſt, & præterea nobis multorum bonorum autor eſſe poteſt. Item Honores, & Gloria, quippe quæ & ſuapte natura grata, iucundaq́ ſint, & ad utilitatem quoq; maximè ualeant. Demũ ferè ſemper id ſequitur, ut ij, quos honore proſequimur, magna ex parte uideantur habere illas res, propter quas afficiuntur honoribus. Item uis dicendi faciendiq́: omnia enim huiuſmodi cauſæ bonorum ſunt. Præterea Ingenium, Memoria, Docilitas, Solertia, & reliqua id genus: huiuſmodi facultates omnes plurium bonorum effectrices habentur. Eodem modo ſcientiæ, artes´que omnes. Item uita ipſa, quoniam etiam ſi nullum aliud bonum conſequatur, per ſe tamen uita àmatur, optatur, expetitur. Poſtremo Aequum, & Iuſtum, utpote quod communiter expediat omnibus. Atq; hæc ferè ſunt bona indubitata, atq; confeſſa.

DANIEL BARB.

CVm uerò ſit propoſitus deliberanti finis utilitas. *Tractat de bono, id eſt, docet nos quonam modo copia propoſitionum comparetur, quibus aliquid bonum eſſe oſtendatur: ac primò rationem affert, cur tractare de bono ad hoc genus ſpectat. Ratio eſt hæc. De re illa neceſſariò tractandum eſt, qua declarata, facilius fit, quod quærimus: ſed Vtilitas quã præcipuè in genere ſenatorio quærimus, facilius apparebit, cùm de Bono agetur: de Bono igitur neceſſariò tractãdũ: utilitas*

enim ad bonum refertur, quia quod utile eſt, id etiam bonum eſt. Quare elementa, & propoſitiones de bono aſſumemus. Sed unde eſt, quòd Ariſtoteles *dixit,* Deliberat *porrò de finibus nemo, ſed de ijs, quæ finem antecedunt: cùm proprium electionis ſit, illud eligere, quod non ſit propter aliud eligendum: cumq́; præterea norma illa certiſſima ſit, ut propter quod res quæq; talis eſt, illud ſit magis tale: quò ſit, ut finis ſit magis eligendus, quando ipſe cauſa ſit, quòd eligamus ea quæ ad ipſum pertinēt.* Hæc *igitur ſunt, quæ obſcuriorem hunc locum efficiunt, ad cuius explicationem tenere oportet, quòd* Actio *uoluntatis communior, & fuſior eſt ipſa* Electione*: quoniam multa uolumus, quæ non eligimus, & nihil eligimus, quod non uelimus.* Quare *ſit ut* Electio, & Voluntas *multis modis differant: primùm enim in electione plura bona proponuntur, ex quibus unum ſeligimus, quando illa non conueniunt inter ſe.* Vnde Electio *eſt acceptio unius ex multis propoſitis bonis: ſed* Actio *uoluntatis non requirit bonorum multitudinem, aut collationem: ſed ſæpe rerum, quæ fieri non poſſunt,* Voluntas *eſt: ut uelle perpetuò uiuere, nunquam infirmari, ſemper iuuenem eſſe.* In Electione *quædam mentis adhibitio eſt, qua perpenditur, quid melius inter bona plurima iudicandum: collatio hæc* Conſilij *nomen indepta eſt: quare quod iam actu eligi poteſt, præconſultum eſſe debet.* Ex *his habetur* Eligibile *bonum eſſe quod fieri poteſt, ac per nos agi, quod cum alio bono collatum, præconſultum eſt, & prouiſum, ex ea parte, quatenus in eius perſecutione natus aptus eſt ferri appetitus.* Vnde Eligibile *neceſſario eſt, uel bonum, uel apparens bonum, & neceſſario non eſt finis, ſed eorum, quæ tendunt ad finem: quoniam* Electio *eſt, quæ antè conſulit, ſed nemo de fine conſulit, nemo quærit an* Pax, *an* Victoria *ſit bonum: ſed an pugnare, an expectare, an ita reſpondere, ſit bonum, ut pacem, aut uictoriam conſequamur.* Duplex *eſt* Bonum*: alterum quod ſimpliciter,*

& abſolute

& abſolutè bonum eſt, quod per ſe maximum, & maximè eſt expetendum, & propter quod alia eliguntur. Alterum, quod non eſt ſuapte natura bonum, ſed quoniam ad illud ultimum tendit. Iuxta hæc duo membra philoſophus duas dat Boni deſcriptiones inter ſe differentes, prior abſolutum reſpicit, poſterior comparatum bonum intuetur. Quæ autem ſequuntur, à perſonis potius, quàm ab ipſa boni natura ſumuntur. οὗ ἐφίεται, quod omnia appetunt. Triplicem hoc loco innuit Appetitum Ariſtoteles: naturæ, animæ, rationis. Appetitus naturæ, uis quædam in re quaq; inſita eſt, qua ſingulæ nulla ex deliberatione cauſa ſuſcepta in bonum deferuntur. Tendit ſurſum directis lineis flamma, deorſum ad perpendiculum terra, quia ita poſtulat eorum uis & natura, ut quæq; ſuo in loco incolumis conſeruetur. Habent autem animalia ſuos appetitus, & impetus, quibus res ſalutares, & delectabiles conſequuntur, nec ulla eſt uis quicquam apprehendens, cui non ſit appetitio coniuncta quædam. Apprehendit colores oculus, eoſdemq; appetit, ſi pulchri ſunt: delectatur auris harmonia, exhilaratur uis interior rebus ijs perceptis, quæ lætæ, ac iucundæ ſunt. Sed appetitus rationis ipſa eſt Voluntas, quæ nihil uult, niſi aliquid aliquo modo præcognitũ. Eſt igitur Bonũ, quod omnia concupiſcunt, quæ ſenſum eius, & intellectum habẽt, uel concupiſcerent, ſi intellectum haberent. Et illa ſunt bona, quæcunque mens ſua unicuique traderet: utputa expetit diuitias aliquis, diuitiæ illi ſunt bonæ. Poſitis ergo multis deſcriptionibus boni, facilè poſſumus uidere, quæ bona ſunt, tum propter ſe, tum propter aliud. Cæterùm in partes quatuor id ſecatur, quod eſt utile iuxta hoc bonum uniuerſale ac commune: namque utiles ſunt res quæ efficiunt, res quæ conſeruant, res quæ efficientibus, res quæ conſeruantibus bonum annectuntur: quoniam quod annexum eſt cum aliqua re, cum ipſa numeratur. Cæterùm annexio finis, ad id quod efficit, aliquan-

do ſimul fit, ut laus annexa eſt cum acquiſitione rerum laudabilium: acquirit enim uirtutes aliquis, quæ ſunt laudis effectrices, eodem tempore laudem refert, in qua finis egregius eſt collocatus. Aliquando autem fit poſterius: ſcientia enim quæ eſt finis, ſequitur diſciplinam, quæ efficit, paritérq; ſcientiam. Sed res efficientes tripartita ratione intelliguntur: quædam ex ſeſe, & ui ſua efficiunt, & hæ ſunt uel proximæ, ut cibus incolumitatis: uel remotæ, ut medicus: quædam uerò externa de cauſa, ut exercitatio corporis ſanitatem faciens. Cum igitur tribus his generibus efficientia diſtinguantur, neceſſariò habemus res utiles, aut eſſe bonas per ſe, ut alimentum: aut malas per ſe, ut uenenum. Sed ſint mala quædam, quæ feruntur ad bonum: & hoc dupliciter: uel quando quod prouenit bonum, maius eſt quàm malum, ut paruus labor, diuitiæ multæ: uel cùm à minori malo maius euitatur, ut abijcere merces, ut incolumis euadas. Cæterùm bona ex bonis parta ſimpliciter & abſolutè utilitatis nomine uocitantur: ſed quæ ex malis comparantur ſunt bona per mutationem & uicem, uel à maiori damno in minus, uel ab incommodo ad commodum. τὸ ὑγιαινεῖν & ualere, & conualeſcere ſignificat. πρᾶξις ad prudentiam, ποίησις ad artem pertinet, quanquam hoc loco non ſeparat Ariſtoteles: ſed Facimus ea propriè, quæ poſt opus remanent, ut ſtatua: ſed Agimus, quæ poſt opus non remanent, ut ſaltatio.

Quot conditionibus intelligatur quid bonum eſſe. CAP. XIX.

QVOTIES autem ambigua ſunt, quæ probare uolumus, unde id conſequamur, hi erunt loci. Rem cuius contrarium malum eſt, bonum eſſe oportet: & cuius contrarium hoſtibus prodeſt, ut ſi maximè prodeſt timere hoſtibus, utiliſsimum ſit ciuibus fortiter agere: omnino quæ aduerſarij optant, & quibus gau-

dent,

dent, his contraria conducere nobis uidebuntur. Quãobrem rectè illud Neſtoris apud Homerum legitur, Scilicet hoc Priamus uelit, hoc Priamoq́ creati. Quanquam hoc non perpetuum eſt, ſed maiori ex parte ſeruandum. Nihil enim uetat, quin fieri poſsit aliquando, ut eadem res ſit utrique aduerſario utilis: inde uetus adagium, Commune periculum congregat diſsidentes.

Item Bonum eſt, quod non peccat exceſſu: Malum contrà, quod peccat. Bonum eſt etiam, cuius quis gratia plurimum & ſumptus, & laboris inſumpſerit: apparet enim iam bonum eſſe, quod eo modo comparatum eſt, & quod ita conſecutus eſt quiſpiam, exiſtimatur finis, & quidem multorum finis: finem aut bonum eſſe neceſſe eſt. Atque hinc ducta ſunt illa apud Homerum, Et Priamum penes, & Phrygios ſtet gloria belli. Item illa, Turpe loco manſiſſe diu, uanumq́ reuerti. Hinc etiam tritum illud profectum eſt, Pro foribus hydriam. Bonum eſt etiam quod plurimi concupiſcunt, eò quòd dignum eſt, pro quo diſcrimina, & contentiones ſubeantur: nam quod omnes appetunt, dictum eſt ſuprà bonum illud ſummum eſſe: at quod plurimi appetunt, uidentur quaſi omnes appetere. Item bonum eſt, quod laudabile eſt: Nemo enim laudauerit rem non bonam. Bonum eſt & quod inimici, & mali homines laudant: uidentur ſiquidem ferè omnes fateri, quod fatentur uel hoſtes, & qui ob aliquam offenſionem à nobis alieni eſſe uidentur: quia res ea uſque adeo ſit euidens, & expoſita oculis, ut illi diffiteri non poſsint: quo quidem modo mali exiſtimantur ab omnibus, quos amici uituperant: contra cenſentur boni paſsim, qui uel inimicorum teſtimonio commendati. Quamobrem Corynthij ægrè tuliſſe Simonidis

uerſum, & proinde maledicti loco habuiſſe dicuntur, in quo Poëta ille ceciniſſet, Non conqueri illum de Corynthо. Præclara quoque & illa res habetur, quam prudens, bonusq; aliquis, aliqua'ue, plurimi feciſſe dicatur, & ante cæteras conſtituiſſe ad fouendum, & diligendum ſibi: quales in Vlyſſem Minerua, in Helenam Theſeus, in Alexandrum Deæ tres, in Achillem Homerus perhibentur fuiſſe. Huiuſmodi demũ omnia iudicantur bona fuiſſe, quæ potiora & optabiliora uidentur. Optabilius autem facimus ea, quæ dicta ſunt, & quæ inimicis obſunt, amicis proſunt. Item Poſsibilia. Poſsibilia porrò bifariam ſpectantur: quanquam enim Poſsibilia omnia intelliguntur, quæ quouis modo cõfici, & ad exitum perduci poſſunt: ea tamen præcipuè Poſsibilia appellantur, quæ ſunt factu facilia. Factu autem facilia ſunt, quæ ſine ullo labore, ſumptu, moleſtia, quàm breuiſsimo tempore abſoluuntur. Nam labores magni, & diuturni ſuſcepti, difficultatem operis atteſtantur. Item ſi res fiant ut uolumus, uolumus uerò aut nihil mali, aut quod minus abſit à bono: hoc autem conſequemur, ſi ea moleſtia, quam agendo aliquid ſubituri ſumus, aut ignorata à nobis, aut perquàm exigua fuerit. Item ſuæ cuique res, & quæ habentur à nemine, & quæ uehementer ſingularia, & præſtantia iudicantur: quia honores, gloriæq; hac uia maiores, & huberiores ſequuntur. Item quæ cuique conueniunt, ea quemque libenter expetere, & facere: hæc uerò ſunt illa, quæ tum digna maioribus noſtris, tum uiribus paria exiſtimantur. Item expetuntur quæ nobis deeſſe ſentimus: quamuisq; minima uideantur illa, hoc tamen ipſo quòd deſunt, digna eſſe arbitramur, quę aggredi, & conſequi ſtudeamus. Item expetimus, quæ

facile

facile confici, & peragi poſſunt: etenim poſsibilia ea ſunt, nõ modò quia factu facilia, ſed etiam iccirco, quòd plures, aut omnes, aut pares, aut impares, inferioresq́ nobis, ea comparare, & conſequi potuerunt. Item ea, quibus & amico gratificari, & inimico offenſionem offerre poſſumus. Item expetuntur ea, quæ fiunt, & optantur ab ijs, quos ſuſpicimus, & admiramur. Item ea, in quæ nati, quorumq́ periti, expertiq́ ſumus: nam in ſua quiſque arte putat ſe facilimè omnia facere. Item expetuntur ea, quæ mali non expetunt: ſunt enim maiore laude digna, quæ cauentur, & declinantur à ſontibus. Item ea, quæ concupiſcimus: non ſolùm enim iucunda uidentur nobis ea, quæ cupimus, ſed etiam meliora. Planè ea quiſque maximè ſequitur, quæ amat, quibus oblectatur, quibus afficitur: Bellicoſi, & contentioſi, uictoriam: ambitioſi, honores: auari, diuitias, & cæteri ſuas quiſque libidines. Et de Bono quidem, atque Vtili, unde ſumendæ ſunt ad faciendam fidem probationes, hactenus diſſeruiſſe ſit ſatis.

DANIEL BARB.

QVOTIES autẽ ambigua ſunt, quæ probare. *Diuidit bona duas in partes: Alia enim dicit eſſe, quæ cùm bona ſint, ab omnibus ſine dubio bona eſſe iudicantur: Alia uerò, quæ in dubium, bona ſint nec ne, ueniunt. Sed cùm de certis, & conſtantibus bonis iam dictum ſit, quo nam pacto quiſq; abundare dicendi copia poſſit, nunc ad explicanda ea, quæ ſunt ambigua, uenit, & locos eos proprios nobis oſtẽdit, quibus probare ambigua, & inconſtantia ualeamus.*

Quamobrem rectè illud Neſtoris apud Homer. legitur, Iliados primo, Scilicet hoc Priamus gaudet, Priamiq́ iuuentus. *Vnde Verg. Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ. Hunc locum Fabius uertit.*

Item

Item bonum eſt,quod non peccat exceſſu. *Virtus enim in medio poſita eſt, unde* παραφρονεῖν *apud Græcos deductum eſt, & de illo dicitur, qui plus ſapere, quàm deceat, uelit. Peccat exceſſu, qui talis eſt, ut præter cæteros ægregiè ſe præbeat ſapientem: & exceſſu ille malus eſt, à quo dicitur Summum ius ſummam iniuriam eſſe. atque hinc ducta ſunt illa apud* Home. *ſecundo Iliad. Priamum penes, & Phrygios ſtet gloria belli. & illud etiam in eodem libro, Turpe loco manſiſſe diu, uanumq; reuerti. Hæc loca maximè ſunt hortantibus propria, hortationes ad genus deliberatiuum referũtur omnes. Ad hoc facit prouerbium illud, Pro foribus hydria. Aliqui dicunt argumentum eſſe à contrario: nam ſi habere urceum plenum pro foribus facilè eſt aſſequi, & ob id non adeo gratum: ergo à contrario gratum erit, quod reconditum eſt, aut remotum, ita ut multo labore comparatum ſit. Sed Ariſtoteles non loquitur de illa re, propter quam multos labores, & multa tulimus impendia, iam enim per* Homerica *exempla id patefactum eſt: ſed loquitur de adeptione finis: quare ſic intelligitur, ut puto, ut ſi quis à longe aquam petiiſſet, cumq; eſſet ante ædes, ipſam caſu aliquo fracto urceo diſperdiſſet, non'ne merito quereretur, hem per longum iter aquam ſeruaui, modò in portu, aquali urceo fracto, ipſam perdidi?*

Bonum eſt etiã quod plerique cõcupiſcunt, & quod dignum eſt pro quo diſcrimina. *Vt de Helena dicitur. Contrà cenſentur* Boni *paßim, qui uel inimicorum teſtimonio laudantur. Verg. Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat.*

Præclara quoque & illa res, quam prudens. *Hunc locum Pindarus tangit ultimo hymno Olympiadum. Sed exemplum Simonidis non habemus.*

Plane ea quiſq; maxime ſequitur, quæ amat, quibus oblectatur, quibus afficitur: bellicoſi, & contentioſi.

Horat.

Horat. Circum pulpita pugnax. & reliqua.

Hactenus quibus rebus utile eſſe probemus, quod conſulimus, nunc quibus probemus utilius. CAP. XX.

QVIA uerò plerunque deliberationes huiuſmodi ſunt, ut quoniam utraq; ſententia ciuitati commoda, atque utilis uideatur, quæras utrum potius ſit faciendum: maximè ſequens uidetur, exponere, & docere, quibus rebus & maius bonum, & maior utilitas contineatur. Ergo illud habetur Excedens, & Superans quod tantum, ultraq; eſt: Exceſſum uerò Superatumq;, quod inſitum eſt, & continetur in illo priore, & quod Maius eſt ſemper, & quod Plus intelligitur æſtimatione Minoris: Magnum uerò, & Paruum, Multum, & Paucum penſantur habita ratione magnitudinis plurium. Ea quidem res, quæ excedit, & ſuperat, habetur Magna: contrà dicitur Parua, quæ ſuperatur, & ceſſat: eodem iure Paucitas, & Multitudo cenſentur. Igitur cùm huiuſmodi ſit deſcriptio Boni, ut ipſum per ſe, non alterius gratia nos trahat, & quod appetatur ab omnibus, aut quod appeteretur ab omnibus, ſi fuiſſent mentē, & rationē indepta, & quod facultatem habeat efficiendi, conſeruandiq; ea, quæ nobis expediunt, & ex quo utilitates noſtræ omnes cōſequantur: id uerò cuius beneficio omnia comparantur, Finem eſſe conſtat. Finis porro eſt cuius gratia cæteræ res habentur. cùm igitur Bonum ipſum huiuſmodi auxilijs, rationibusq; nitatur, neceſſe eſt, quæ plura uno, paucioribus'ue aliquibus ſunt, eadem uno illo, paucioribusq; adiectis maiora, melioraq; fieri: nam ea, quibus quantulacunq; acceſsio facta eſt, proculdubio ſuperant: ea uerò quibus facta non eſt, tanquam inſerta in illis, & comprehēſa ſuperantur. Item ſi maximum aliquid uincatur à maximo,

mo, ipſa quoque continentur in maximis, eandem rationem ſequentur. Contrà quoque ſi ea: quæ continentur in maximis, altera exceduntur ab alteris, etiam maximũ excedetur à maximo. Exẽpli gratia, ſi maximus uir eſt maxima muliere maior, etiam in uniuerſum uiri mulieribus erunt maiores: & ſi uiri mulieribus maiores in uniuerſum ſunt, etiam uir maximus erit maxima muliere maior: nam generum ipſorum exceſſus exceſſibus rerum, quas comprehendunt, proportione, & ratione reſpondent. Item illud eſt maius, ex quo ſequitur aliquid, nec retrorſus ualet. Sequuntur autem res aliquando ſimul, aliquando deinceps, atque poſterius, interdum poteſtate: nam uſus, utilitas'que ſequentis poſita eſt in uſu præcedentis. Simul ſequitur ſanitatem uita, Vitam contrà non ſequitur ſanitas. Deinceps, poſterius'que ſequitur diſcentem ſcientia. Poteſtate in ſacrilegio continetur furandi & rapiendi uoluntas: nam qui ſacra depopulatur, facilè creditur, ab priuatorum rebus non habere abhorrentes manus. Itẽ de duobus maioribus aliquo, illud eſſe maius neceſſe eſt, quod magis excedit: quia à quo magis exceditur, ea res quam utrumque uincit, ab eodem exceditur, id à quo minus ea res uincitur. Item maius eſt, quod maioris boni nobis eſt opifex: ſic enim intelligitur ea natura, quæ efficiens eſt, & procreatrix maioris boni. Item id bonum maius habetur, cuius efficiens maius eſt: nam ſi res, quæ ualetudinem parit, maius, & præſtantius bonum eſt, quàm res, quæ uoluptatem tantum: erit quoque ualetudo ipſa maius, & præſtantius quiddam, quàm uoluptas. Item maius eſt, quod per ſe optatur, quàm quod per ſe non quæritur: uerbi gratia, maius bonum eſt ſalus, & uires, quàm ſalutaria i-

pſa: quia

pſa:quia alterũ propter ſe nõ petitur, alterũpetitur, quo ipſo redolet naturã boni. Item maius bonum eſt finis, quàm quod finis non eſt:quia finis quod nõ eſt,alterius gratia expetitur:quod uerò finis eſt,ſua cauſa deſideratur.Quamobrẽ minus bonũ eſt exercitatio,quia bonæ habitudinis gratia quæritur. Item illud eſt maius,quod minus eget alterius, aliorum'ue ope: quippe quòd ſibi per ſe ſufficiat:certè illud minus indiget,quod paucioribus,& facilioribus auxilijs indiget.Itẽ quod ſine altero non eſt, aut eſſe non poteſt, minus bonum habetur quàm quod eſt, & poteſt ſine illo eſſe. Plus enim ſibi ſufficit quod non indiget altero: quo fit, ut maius bonum hoc, quàm illud eſſe uideatur. Item primordium, quàm quod primordium non eſt, & cauſa, quàm quod cauſa non eſt, eadem ratione intelligitur eſſe præſtantius: nam ſine primordio, & cauſa alterum illud conſtare non poteſt. Item quod ex nobiliori cauſa profectum eſt, uidetur maius quoque, & nobilius eſſe,& è conuerſo de duobus illud eſſe anteponendum principium, ex quo effectus præſtantior oritur: & ex cauſis duabus eam eſſe maiorem, quæ maioris boni cauſa eſt. Cæterum intelligi poteſt ex ſupradictis utrunque uerum eſſe, hoc eſt, non modò principium eo,quod non principium ſit, maius eſſe:ſed è contrario quoq;, quod non principiũ ſit,poſſe maius eſſe principio.Nam finis, q̃q; principium non eſt,efficacior ferè uidetur eſſe principio. Atq; hoc poteſt exẽplo rei aliquando geſtæ declarari.Leodamas cùm Calliſtratũ accuſaret,contendebat, plus peccaſſe qui malum conſilium dediſſet, quàm qui male feciſſet.Ex aduerſo Callias,qui Calliſtrato patrocinabatur, defendebat, grauius deliquiſſe, qui feciſſet, quàm qui malum conſilium dediſſet. Non enim fi-

cri

eri potuiſſet, quod factum eſt, niſi fuiſſet, qui conſilium ferret ad exitum: nam conſilia omnia inſtituuntur ad actionem, & opus. Item rarius quod eſt, cenſetur maius, quàm quod paſsim habetur: puta aurum, quàm ferrum. Quia ſcilicet minore in uſu aurum, quàm ferrum habetur. Poſſeſsio uerò omnis precioſior eſt, atque præclarior, quo difficilior eſt, & uehementius ardua. Contrà quoque aliam rationem ſpectanti uideri maius poteſt, quod eueniri, haberi'que uulgò poteſt, quàm quod inſolenter, & raro: cùm eiuſmodi rei utilitas latius pateat: nam ſaltem hoc ipſo res infrequens ab expoſita, & uulgari ſuperatur, quòd huius crebrior, & ferè quotidianus eſt uſus: unde illud eſt à Pindaro uſurpatum non ab re, Optimam eſſe aquam. Item difficilima quæque facilibus anteponuntur: ut enim quæque res plurimas, aut maximas habet cauſas difficultatis, ita perquam rariſsima inuenitur. In diuerſum quoque reciprocat ratio, cum diſputatur, facilia interim difficilibus oportere anteferri, utpote quæ haberi poſſunt, ut uolumus. Item illud maius eſt, cuius contrarium quoque maius eſt, & cuius priuatio itidem maior. Itidem uirtus non uirtute, & uitium non uitio maius: nam hæc ad finem pertinent, illa non pertinent. Item ea maiora ſunt, quorum opera honeſtiora, turpiora'ue ſunt, & quorum uirtutes, & uitia ſunt maiora, opera quoque maiora eſſe neceſſe eſt: quales enim cauſæ ſunt, atque principia, tales quoque euentus, atque effectus habentur: è cotrario etiam cuiuſmodi habentur effecta, eiuſmodi eſſe cauſas, & principia conuenit. Item quarum rerum exuperantiæ optabiliores, præſtantiores'que, ipſæ quoque optandæ, & expetendæ ſunt magis: uerbi gratia, ſi exquiſitiſsimè uidere præ-

ſtantius

ſtantius eſt, quàm acerrimè olfacere, ipſe quoque ſenſus uiſus præſtantior erit, quàm ſenſus olfactus. Et ſi amicos colere præſtantius eſt, quàm amare diuitias, amicitiarum cultus præſtantior erit habendus, quàm amor diuitiarum: idem & uiciſsim commeat, ut ſcilicet meliorum rerum exuperantias meliores, & pulchriorum pulchriores inuenias. Item ea meliora cenſentur, quorum deſideria meliora, honeſtiora'que ſunt: nam maiores res uehementius appetuntur. Contrà quoque rationem eandem ſequenti rerum meliorum, honeſtiorum'que deſideria & meliora, honeſtiora uidentur eſſe. Item, quarum rerum ſcientiæ præſtantiores, & nobiliores habentur, ipſas quoque res præſtantiores, & nobiliores eſſe: nam qualis quæque ſcientia eſt, huiuſmodi eſt ea res, atque ueritas in qua ſcientia illa uerſatur. Habent autem rerum, quas tractant, omnes ſuas quæque præceptiones: quare & in diuerſum proportione ſeruata neceſſe eſt præſtantiorum, & nobiliorum rerum præſtantiores, nobiliores haberi ſcientias. Item quod à prudentibus omnibus, uel multis, uel pluribus, uel ab optimo quoque iudicaretur, aut iudicatum eſſet bonum, malum'ue, neceſſarium eſt ita eſſe, aut ſimpliciter, abſolute'que, aut quatenus rationem & prudentiam in iudicando ſunt ſecuti. Hoc uerò eſt rebus alijs quoque commune: nam & quid, & qualis & quanta quæque res ſit, optimè & ſcientia, & prudentia finiunt, & ita eſſe oportet ut faciunt. At hoc ſuprà quoque oſtendimus, cùm deſcriberemus Bonum eſſe, quod peteretur, & optaretur ab omnibus, ſi omnia rationem & prudentiam caperent. Ergo ſi uera ſunt hæc, apertè conficitur, maius id futurum & præſtantius bonum, quod prudentia, ratio'que prætulerit. Item id melius, quod ha-

betur à melioribus: hoc uerò aut ſimpliciter uerum eſt, aut quatenus meliores ſunt. Ad hoc exemplum, Melior eſt fortitudo, quàm robur. Item, Illud eſt melius, quod meliores optant. Rurſus'que hoc aut ſimpliciter uerũ eſt, aut quatenus meliores ſunt, in hunc modum. Iniuria affici, quàm afficere potius, quia partem illam iuſti anteferrent. Item melius eſt, quod plus delectat, quàm quod minus: nam uoluptatem perſequuntur omnia, & quicquid appetunt, uoluptatis appetunt gratia: quæ conditiones à nobis in definitione Finis, & Boni ſunt poſitæ. Plus uerò delectat, quod poteſt indolentiorem, & diuturniorem uoluptatem afferre. Item quod pulchrius, quàm quod minus pulchrum habetur: nam pulchrum omne aut propter uoluptatem petitur, aut ſua ui, & dignitate nos trahit. Item maiora ſunt bona, quorum ſibi quiſque, aut amicis uult opifex, & autor eſſe. Contrà maiora ſunt mala, quæ ſibi quiſque, aut amicis cauet. Item diuturna non diuturnis, ſtabilia non ſtabilibus anteponuntur, quia utrorunque uſus, atque utilitas maior habetur: diuturnorum ex tempore, ſtabilium ex uoluntate: nam uolentibus uti magis ſuppetunt quæ ſtabilia, & firma ſunt magis.

Ex coniugatis quoque, & ſimilibus caſibus colligi, & ſequi poteſt alia ratio maioris, hoc modo: Si fortiter agere, potius & optabilius eſt, quàm temperatè: fortitudo quoque potior, optabilior erit, quàm temperantia: & fortem eſſe præſtabit, quàm temperatum. Item quod omnes expetunt melius quàm quod non omnes: & quod plures quærunt, quàm quod pauciores: cùm enim id bonum eſſe ſtatuerimus, quod cunctæ res appetunt, illud eſſe maius bonum oportet, quod magis appetitur. Item quod aduerſarius præfert, quod

inimicus

inimicus,quod iudex,quod ij inter quos iudex eſt conſtitutus: nam alia ceu uulgo probata, & imperitis contemnuntur: hæc plurimi æſtimantur, quia peritis placent, & ijs, qui rerum potiuntur. Item maius eſt interim,quod expoſitum,& communicatum eſt omnibus: nam abiectio quædam, & uilitas uidetur non habere ſectatores. Interim illud eſt præſtantius,quo uel nemo, uel pauci participant: rariora enim cùm ſint, præclara eſſe oportet. Item maius eſt,quod laudabilius uidetur: quia quæ commendantur magis, neceſſe eſt pulchritudine,& honeſtate præcellere. Item quorum maius eſt pretium,maiora cenſentur: nam pretium,indicaturaq; uidetur eſſe quædam dignitatis, & amplitudinis ſignificatio. Item, maiora ſunt, quorum iactura maior eſt. Item,quæ maiora ſunt rebus in confeſſo magnis & arduis: aut quæ magna, & ardua uideantur, ea quoque ſi diſtrahantur, & dirimantur in partes, adhuc tamen maiora reperiuntur, & uehementius ardua: in hunc enim maximè, modum, rerum exceſſus, & excellentiæ intelliguntur. Quapropter Homerus perſuaſiſſe, inquit,Meleagro uxorem,ut proſiliret in bellum,recenſendo quæ,quot, & quanta hominibus mala eueniant, quorum captæ ab hoſtibus ciuitates, expugnatæq; fuerint,trucidari populos, urbes incendi, liberos in ſeruitutem agi. In contrarium quoque plerunque idem oſtenditur per acceſsionem, ſiue exaggerationem, ut Epicharmus facit. Primùm per diuiſionem illam in partes, ita per exaggerationem magnitudo, & exuperantia rerum oſtenditur, deinde priuatim peculiare eſt exaggerationis, ut ea res, quò omnia referuntur, magnarum rerum uideatur eſſe principium. Cùm uero ea, quæ difficiliora, rarioraq; ſunt, maiora quoque

eſſe oporteat, ſpectandæ ſunt occaſiones, ætates, loci, tempora, facultates, utpote quarum rerum æſtimatione, negotia magnitudinem, & difficultatem accipiant: nam in eo rerum magnitudo bonarum, iuſtarum, honeſtarum, & his contrariorum oſtenditur, in quo quis aliquid ſupra uires, aut ætatem, aut aliorum conſuetudinem fecerit: aut ſi eo modo, eo loco, eo tempore fecerit, ut præcipuam aliquam admirationem habere uideatur. Hinc nititur epigramma illud in uictorē Olympiæ ſacro certamine, Tegæam ex Argo piſces nanque anteferebam, Vimineum geſtās his humeris calathum. Quam rem & Iphicrates commendaturus, expoſuit, Ex quibus hæc initijs fuere. Eſt & natiuum aduentitio, & aliunde quæſito præſtantius, utpote quod difficilius habeatur. Vnde Poëtæ dictum, Memet, inquit, ipſum docui. Item, magnæ alicuius rei pars maxima: quem locum Pericles attigit, cùm dixit in funere, Iuuentutem è ciuitate ſublatam, perindeq; id eſſe, ac ſi de anno uer detractum fuiſſet. Item, quæ maiore aliqua neceſſitate ſunt uſui, qualia ſunt quæ opportuna ſunt ægris, & ſenibus. Itē, ex duobus, quod fini ſit propius. Item, quod nobis utile eſt, optatius, quàm quod alijs. Item, quod ſimpliciter utile eſt, quàm quod aliquando. Item, præſtantius quod fieri poteſt, quàm quod non poteſt: quia alterum ad nos attinet, alterum non attinet. Item, quæ uitæ metam attingunt, quàm quæ ſunt eminus poſita: nam quæ penes finem ſunt, uidentur magis redolere naturam, & rationem finis. Item, ea quæ in ueritate, quàm quæ in opinione, & oſtentatione uerſantur. Equidem in oſtentatione uerſari, intelliguntur ea, quæ ſi latêre, & ignorari debent, non fierent alioquin. Quapropter affici beneficio, quàm afficere uideri poteſt optatius

pratius:quia beneficium accipere omnes uolunt, etiam nemo ſi hocunquam intellecturus ſit: dare uerò, & benefacere, niſi hoc reſciatur, non uidentur omnes uelle. Itē, præſtantiora ſunt, quæ homines eſſe potius, quàm uideri deſiderant: quia huiuſmodi uidentur magis ad ueritatem accedere. Quamobrem nonnulli paruam eſſe rem Iuſtitiam putant, quia uideri malunt iuſti, quàm eſſe: in cōtrarium, Valetudinem magnam rem eſſe, quia malunt eſſe, quàm uideri ualentes. Item, illud eſt maius, quod plures in uſus ſufficit: uerbi gratia, ſi qua res ſit, quæ ad uiuendum, & ad bene uiuendum utilis habeatur, aut ad uoluptatem ſimul, & honeſtatem. Quapropter duæ res ſunt ferè, quas homines ſolent maximas, & præſtantiſsimas iudicare, Abundantia copiarum, & Sanitas, utpote quæ uel ſolæ uideantur prærogatiuas illas tuliſſe, quas quærimus. Item illud eſt maius, quod dolore cum careat, eſt etiam cum uoluptate coniunctum. Nam ſimul utrunque plus eſt, quàm ſi ſeorſum ſingula habeantur. Quare uoluptas bonum, & indolētia: cumq; duæ res ſint, ſi accedat una, & ſuperueniat altera, neceſſe eſt conſtituat totum maius. Item maiora ſunt, quæ cum adſunt, non ignorantur, quàm quæ ignorantur, & latent, quia talia uidentur eſſe propiora ueritati. Quò fit, ut locupletem eſſe, quàm uideri, ſit potius. Item, earum aliis ſolum quippiam habetur, aliis comitatum. Quamobrem non fuerit oculi amiſsi iactura par duobus, quorum alter unum, alter duos haberet: nam Cocles, & qui unum hebebat, earum ſibi ſolum quidem illum & precioſum habebat. Ergo ex quibus locis ſumi poſſunt probationum indagines, & ad faciēdam fidem ſuadendo diſſuadendoúe, hactenus expoſuiſſe & diſſeruiſſe ſit ſatis.

DANIEL BARB.

QVia uerò plerunque deliberationes. *Explicatis his primordijs, & elementis, ex quibus oratori facultas ſubminiſtratur probandi, quæ bona & utilia ſint omnibus, & ijs, quæ bona, & utilia uideantur: quærit modò de duobus utilibus, utrum uitilius: deq; duobus propoſitis bonis, utrum melius eſſe iudicandum ſit: & copiam propoſitionum, quibus id oſtēdamus, diuinus* Rhetor *nobis affert.* Et *quoniam de comparatione mentio ſit, priuſquam aggrediatur, quæ ſibi dicenda inſtituit, nonnulla tangit, quæ pertinent ad comparationem: cuiuſmodi eſt, Scire quid ſit Magis, & quid ſit Minus: quid ſit id, quod* Exceſſum, *etiam quid ſit id, quod* Excedens *uocatur: repetit autem quædam, quæ dicta ſunt antea, ut tota ratio comparandi melius habeatur, ſed ad hanc tractationem uniuerſam tertius* Topicorum *liber utilis eſt: in cuius exordio* Ariſtoteles *hoc dicit,* E' *duobus uerò, aut pluribus propoſitis utrum expetibilius ſit, uel melius, decernendum ex ijs locis eſt. Illud prius teſtatum ſit, in hoc tractatu conſideranda nobis eſſe, non quæ multum diſtant, nec quæ inſigni aliquo diſcrimine ſeparata ſunt. Nullus enim in controuerſiam reuocat,* Felicitas *an* Diuitiæ *magis quærendæ ſint: ſed ea, quæ proximè poſita ſunt, & in quibus ambigitur, utri eorum accedere plus oporteat, propterea quòd exceſſus in altero ſuper alterum nullus animaduertitur.* Quamobrem *conſtat, ſimulatq; prærogatiua, quæ uel una, uel plures in talibus commonſtratæ ſunt, approbari à mente protinus, utrum illas habuerit, ut hoc uidelicet, potius priuſq; ſit.* Quare *opus eſt, ut qui diligentiſſimè omnia pertractata uidere cupiunt, illuc ſe referant, unde omnis deducta eſt oratoria uis:* Pulcherrimus *certè, & copioſiſſimus eſt liber is, & maximè dignus ut memoriæ commēdetur, cum ad* Oratores, Poëtas, Philoſophos, *& ad omnes in omni genere eruditos ſpectet.* Quoniam *uero* ὑπερέχον, *id eſt, excedens*

eſt,excedens:& ὑπερεχόμενον,id eſt,exceſſum,è numero comparatorum habentur: ſunt enim quædam abſoluta, id eſt, ab alio ſoluta: quædam comparata, id eſt, ad aliud uel cum alio parata: ideo ſimul ponuntur ex artis præcepto: cùm alterum propter alterum cognoſcatur. ad hæc ſemper bonum,uel malum addendum eſt,ut puta ſi excedens eſt quod tantum habet, quantum id quod exceditur, & amplius quippiam: ergo excedens bonum, uel excedens malum tantum habebit,quantum id bonum, uel quantum id quod exceditur malum, & reliqua huiuſmodi. In definitione maioris eſt uerbum ἀεὶ in ueteribus, & manu ſcriptis: ſed correctiones quædam, quæ circumferuntur, legunt, δεῖ, quamuis autem nil immutetur ex utraque lectione,poſterior tamen magis arridet.

Penſantur habita ratione magnitudinis plurium. Quatuor propoſuit Ariſtoteles, Magnum, Paruum, Multum, & Paucum: hi duobus primis reſpondent: nam Magnum,& Paruum dicitur, & eſt ad magnitudinem multorum: quod ita intelligendum eſt, quòd non modò ex hac definitione notatur, & percipitur mutua quædam horum inter ſe comparatio, ſed & propria ratio magnitudini attributa eſt,quando additur illud Plurium: nam ſi quis alium excedat, non ſtatim dicendus eſt magnus: ſed ſi multos, & eoſdem mediocris ſtaturæ homines,exceſſerit,ita ut ſit ratio quædam magnitudinis & paruitatis determinata, per quam poſſit aliquis magnus dici, uel paruus,tunc ita dicetur.

Eodem iure paucitas,& Multitudo cenſetur. Reſpondet alijs duobus, Multum, & Paruum eodem iure cenſetur, id eſt,dicitur:& eſt,πρὸς τὸ πλῆθος,id eſt, ad multitudinem plurium, ita ſubintellige.

Leodamas cum Calliſtratum accuſaret. Ἐπιβουλεύειν non modò eſt conſilium quærere,ſed inſidioſum cõſilium quærere.

Item rarius quod eſt, cenſetur maius, quàm quod paſsim. *Græcè ἀφθονὸν legitur, quod uerbum innuit aliquid eſſe uile, ut nemo ipſum appetat, ita ut ſit extra inuidiam: licet aliás eſſe extra inuidiam, ſit excellenti uirtute, ac gloria inuidiam ſuperaſſe. Quod igitur rarius eſt, ut aurum, cenſetur maius, quàm quod paßim, ut lignum, aut ferrum, ἀχρηστότερον, cum quadam indignatione profertur, nam contrà fieri deberet, ut maior ferri, quàm auri uſus eſſet.*

Ex coniugatis. *Aliter Cicero ac Ariſtoteles Coniugata uocat. nam Cicero hæc appellat Coniugata, fortis, fortiter, fortitudo: Ariſtoteles duo nomina abſtracta, duo concreta, duo aduerbia, ut prudentia, ſapientia: prudens, ſapiens: prudenter, & ſapienter: idem ex ſimilibus caſibus dicit.*

Quæ etiam ſi dirimantur. *Duos enumerat, & hos inter ſe repugnantes, locos amplificandi: Alterum ex partium, & plurium rerum commemoratione: Alterum ex earundem compoſitione. Diuerſa autem de cauſa uterque locus rem uidetur amplificare, nam qui ſumitur ex partium diſtractione, multitudinem infert, ex qua exceſſus innuitur ſummus: qui uerò ſumitur ex compoſitione, idcirco res amplificat, quia uidetur eſſe initium, & cauſa multarum rerum: quod enim compoſitum eſt, eas res continet, ex quibus compoſitum eſt: unde fit, ut ratione continentiæ magnum aliquid uideatur afferre. Exemplum primi ſumitur ab Homero, qui perſuaſiſſe Vxorem dicit Meleagro, ut proſiliret in bellum, atque uſam fuiſſe huiuſmodi loco, Accede, inquiens, ad bellum, & nos defende, neſcis enim quanta his mala impendent quorum urbes capiuntur, trucidantur gentes, incenduntur tecta, liberi, ſerui, uxores captiuæ fiunt. Hæc enumeratio rem maiorem, & ampliorem facit, quàm ſi uno uerbo dixiſſet, uaſtantur urbes: his ergo uerbis uirũ ſuum ad bellũ hortabatur: unde Ouid. Cõiugis Oenidæ uerſus in arma prece eſt. Apud Liuiũ frequens*

enumeratio

enumeratio eſt, & ea præſertim, quæ ab Homero *ponitur: ſed exemplum ſecundi loci ſumitur ab* Epicharmo*, de quo* Plato *in* Theæteto*:* Et *ſummi poëtæ, inquit, utriuſque poëſis, & Comœdiæ quidē* Epicharmus*,* Tragœdiæ *uerò* Homerus. Epicharmus *ergo amplificans abſolutè dixit, tyrannum, uxorem, & filios interfecit: hoc enim compoſitum caput eſt multarum rerum: nam tyranni morte ciues præſenti malo liberantur: morte autem uxoris, & filiorum futuræ oppreſsionis timore leuantur libertas, lex, concordia, quies, & alia multa bona pariuntur.*

Nam in eo rerum magnitudo bonarum. *Vnde deliberanti ſit utile: & iuſtarum, unde in iudicijs quoque commodum ſit: honeſtarum, unde poterit laudari: & his contrariorum, id eſt, turpium rerum, inutilium, & iniuſtarum, unde facultas erit perſuadendi, accuſandi, & laudandi.*

Aut ſi eo modo, eo loco, *& reliqua. Vnde epigramma in uictorē ſacri carminis poëtæ* Simonidis *eſt,* Tegæam *ex* Argo *piſces namque anteferebam, Circa humeros calathum uimineumq; tenens.* Eundem *uictorem commendauit* Iphicrates*, dicens ex quibus initijs tantam gloriam ſit conſequutus. Simili loco uteretur is, qui de rebus deq; imperio* Turcharum *ſcriberet, oſtenderetq; quo nam modo paſtores inopes, & abiectos, uel latrones potius, in tantum gloriæ, regniq; peruenerint, ut iam minari uniuerſo terrarum orbi non dubitent.*

Et natiuū aduentítio. *Hermogenes tamē putat maius quod ſtudio, quàm quod natura comparatur. Cōtrà eſt* Ariſtoteles *&* Pindarus*: nam* Pindarus*,* Per me *inquit didici.* Et *imitatores coruos appellat: unde* Horatius Seruum *pecus eoſdem nominat.* Ariſtoteles *autem primo primæ philoſophiæ, tria hominum genera ponit, atque illi qui ex ſe diſcit, plurimum laudis dedit: minus ijs qui alio docente: nihil ijs, qui neque ex ſe, neque ex alijs quicquam diſcerent.*

Quamobrem nonnulli paruam eſſe rem iuſtitiam putant. *Prouerbium, Parua & exigua eſt iuſtitia: quo ſignificatur non multum prodeſſe ſi iuſtus ſis, & probus, niſi talis etiam uidearis, & quanquam ueritas opinione ſemper eſt præferenda, tamen cùm res ipſa abeſt, optima eſt opinio. pro hoc lege Platonem in primo de Rep.*

Quo fit, ut locupletem eſſe, quàm uideri ſit potius. *Si hoc modo interpretemur, nullus meo iudicio ſenſus elegans, & politus: ſed δοκέω, ſignificat etiam ſtatuo, ſancio aliquid pulchri in philoſophia: unde philoſophorum dogmata. Si ergo dicamus melius eſſe diteſcere, quàm aliquid pulchri inuenire in philoſophia, rectius forte dicetur. Hoc enim minus notum eſt, ac minus peruulgatum: illud expoſitum eſt, & in promptu. Ἀγαπητόν, licet hoc uerbum de unico dicatur filio, ipſum tamen ad quamlibet rem transfert Ariſtoteles, & dupliciter intelligitur: uel unicum eſſe, ut tibi ſoli id accidat, præterea nemini: uel tibi ſoli quidem, ſed ita, ut alij etiam ipſo minime careant: utrunq; tangit Ariſtoteles, dum dixit, Carum alijs ſolum quippiam habetur, alijs comitatum. His expoſitis breuiter quidem colligit Ariſtoteles quæ dicta ſunt, & ad alia ſe præparat.*

Ad conſilium dandum caput eſſe Noſſe remp. & mores ciuitatis. CAP. XXI.

MAXIMVM uerò illud & potentiſsimum puto cùm ad perſuadendum, tum ad bene conſulendum, Noſce rerump. ſtatus, mores, leges, utilitates: Nam omnium ferè animi utilitate inflectuntur. Vtilia porrò exiſtimantur, quibus retinetur incolumitas ciuitatis. Iam uerò in quaq; rep. dominantur ea, quæ principes ſtatuũt: hæc autem tot ſunt, quot rerump. formæ. Ac formas quidem accepimus quatuor, quæ populi, quæ paucorum, quæ optimatum, quæ unius poteſtate regerentur. Quapropter placita interim ea dominãtur,

quæ parti placent ciuitatis, interim ea, quæ uniuerſa ciuitas ſciuit. Popularis ſtatus eſt, in quo imperia conferuntur ſorte. Paucorum, in quo magiſtratus cenſu atque habitu pecuniarum leguntur. Optimatum, in quo honores diſtribuuntur iure, & diſciplina. Diſciplinam intelligo, eum ordinem, qui legum inſtitutionibus continetur. Vbi enim legum autoritate geruntur res, Optimatum reſpu. dicitur: & qui legum dicto audientes ſunt, in optimatum rep. imperant. Ita neceſſe eſt uideri Optimos, qui in huiuſmodi reipub. genere honoribus præferuntur: unde etiam dictus eſt Optimatum ſtatus. At unius imperium eſt, quod oſtenditur uel nomine, hoc eſt ubi ex omni multitudine unus præcipuè dominatur, & imperat. Cæterum quàm plurimum refert ordine quodam demãdatum ſit imperium, an paſsim & nullo. Nam ſi ordine certo, appellatur Regnum: ſi incerto, Tyrannis. Fines quoque ſingularum accommodatos, & proprios ignorare non oportet: nam ſolùm res illæ poſſunt in optionem uenire, quæ inſtituuntur ad finem. Placet igitur in populari ſtatu finem eſſe Libertatem: in Paucorum potentatu, Diuitias: in Optimatum rep. Diſciplinam, & Leges: in Tyrannide, Cuſtodiam. Vniuſcuiuſque igitur ciuitatis conſuetudines, iura, commoditates perdiſcendæ, tenendæq; ſunt, utpote in quas res omnia omnium conſilia, & deſideria accommodanda, conferendaq; ſinit. Quia uerò ad faciẽdam fidem, non ſolùm probationes, & demonſtrationes ualent, ſed etiã mores, & inſtituta eorum, qui dicunt: nam plurimum intereſt, qualem eſſe audientes putent eum, quem audiunt: credunt enim omnes facilime ei, quem uirum bonum eſſe, aut amicum, aut utrunq; arbitrantur. Neceſſarium maximè eſt, ſuos cuiuſq; reipub. mores perſpectos

ſpectos, & exploratos habere. Nam potentiſsima ratio perſuadendi eſt, quod à quoque probetur, quod quiſque ſequatur inducere. Atque hæc quidem uolenti, ex eiſdem adminiſtrabuntur locis. Planè mores hominum & inſtituta, ex propoſito cuiuſque, & uoluntate deprehenduntur. Propoſitum autem omne, uoluntasque referuntur ad finem. Ac de genere quidem Deliberatiuo, quibus rationibus ſuadere poſsimus ea, quæ uolumus ſiue futura, ſiue præſentia. Item quibus ex locis omnis argumenti uia ad probandam conſilij noſtri utilitatem inueniatur. Item quemadmodum mores ciuitatum, & iura perdiſcere, & callere poſsimus, ſatis pro tempore dictum eſt: nam ad exquiſitiorem huiuſmodi rerum commentationem alius à nobis in libris de Rep. conſtitutus, & delegatus eſt locus.

DANIEL BARB.

MAximum uero illud, & potentiſsimum puto. *Peruentum eſt iam ad finem generis deliberatiui, & copia nobis maxima eſt ſuppeditata earum propoſitionum, quibus rem perſuadere, uel à contrarijs diſſuadere ualeamus, non quẽadmodum Philoſophi, ſed quemadmodum Oratores: ex ijs ſcilicet, quæ in opinione hominum collocantur. Expedit autem maximè, ut poſita, & probata re, quam uolumus ex ijs propoſitionibus, quæ maiori parti uidentur, ut exempla uirorum ſubijciamus, & oſtendamus quibus bonum, & quibus malum euenerit, cùm fecerint, uel non fecerint, quæ nos fieri, uel non fieri perſuaſimus: unde hiſtoriæ notitia plurimum nos iuuat. In primis autem conſulenti, & deliberanti confert notitia rerump. morum, legum, & eorum, quæ unicuique ciuitati prodeſſe poſſunt: nõ enim omnia omnibus utilia ſunt, ſed propria unicuique reipub. commoditas eſt, quæ ipſam conſeruat. Quare fieri non poteſt, ut quis rectè conſulat, niſi optimè callcat*

leat rerump. ſtatus, & quid unumquenq; deceat. Non enim *ignorantia cuiuſdam artis, uel diſciplinæ ciuitates deſtruit, ſed inſcitia boni, & iuſti, quæ pernicioſiſſima eſt & priuatis, & publicis rebus.* Namque *ignorantia boni efficitur, ut quiſque ignoret ita ſuo animo moderari, ut ratio ipſa poſtulat, quæ regina eſt, & in regno animæ legitimum principatum tenet.* Q*uapropter qui hæc neſcit, etiam ſi cæteris in rebus doctiſſimus, & eruditiſſimus habeatur, inſcius tamen cæcus, & ignorans eſt iudicandus. Sed ut ad rem ueniamus,* Q*uoniam pro incolumitate, & ſalute ciuitatis omne conſilium impendi ſolet, opus eſt modos, & genera publicæ adminiſtrationis omnia cõſiderare: nam cùm multæ ciuitates conditæ ſint, multæq; etiam euerſæ, quæ omni ciuilis uitæ conditione uſæ ſunt, factæ interdũ è minoribus maiores, interdũ è maioribus minores, peiores etiam ex melioribus, & contrà neceſſe eſt harũ mutationũ cauſas iudicare, ut ijs cognitis cõſilio noſtro prodeſſe cadẽti patriæ ualeamus.* Q*uoniã uerò in legũ obſeruatiõe poſita eſt rerump. ſalus, ideo his præcipitur qui leges condunt, ut prouideant, & leges huiuſmodi ferant, quæ libertatẽ, prudentiã, amicitiam pariant, & libẽtiſſime à populis ſuſcipiãtur, perinde ac ſi medici non ſolùm ſanitati, ſed uoluptati infirmorũ ſtuderẽt.* D*uæ uerò ſunt cauſæ, quæ plures efficiunt rerumpub. ſtatus, eosq; diuerſos: altera eas partes intuetur, ex quibus eſt ciuitas cõſtituta: altera eos homines, quibus imperij ſummum ius demandatur.* Ex *ijs colligitur tum maximè principes rerump. formas quatuor eſſe,* Popularem *ſcilicet, eamq; in qua pauci dominantur,* Regiam, & Optimatum *adminiſtrationem: tum alias eſſe harum generum partes plures.* Nam Popularis *quidem ſtatus ſpecies una eſt, cùm omnes æquales ſunt in rep. diuites, & pauperes: propterea quòd omnium ſit æqua libertas.* Alia *eſt, cùm ij, qui paruum, certum'que poßident cenſum, obtinere honores, & magiſtratus in rep. poſſunt, & multitudinis ſtatus*

tus uocatur: cùm uerò omnibus ad honores patent aditus, & ex lege dominentur, alius modus eſt popularis uitæ, modò aliqua ex cauſa non ſint obnoxij. Item & alius modus eſt, cùm omnibus habilitas eſt ad honores, modò ciues habeantur, & lege permittatur. Demum non eſt alia curæ popularis ſpecies, niſi ea, in qua cùm decreta populi legibus præualent, omnibus patet honorum uia. Sed Paucorum ſtatus quatuor generibus inuenitur. Primo, cùm qui magnum habent cenſum dominantur, & qui paruum, obediunt. Altero, cùm filius patri ſuccedit in adminiſtratione. Tertio, cùm lex non dominatur, & filius patri ſuccedit: quæ ſpecies tyranno ſimilis peßima iudicatur. Vltimo, cùm qui paruum habent cenſum, ad magiſtratus habiles ſunt, & qui regunt, ſocios & collegas eligunt uel ex diuitibus uel ex nobilibus: nam cùm poſſunt eligere ex ijs eos, qui uirtute præditi ſunt, optimatum ſtatus efficitur, in quo uel primis diuites, uel utriſque etiam populus copulatur. His poſitis in uno quoque genere uidendum eſt, quid utile ſit, quid noxium, quid mutet, quid conſeruet, quid augeat, quid imminuat, quid faciat, quid euertat reſpub. & ciuitates, ut pro tempore conſilium rectè dari poßit. Hæc omnia in libris de Rep. tum à Platone, tum ab Ariſtotele ſunt expoſita breuiter, & diligenter.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Definitiones Virtutum, & Vitiorum. CAP. XXII.

POST hæc de Virtute & Vitio, Honeſto & Turpi diſſerendum uidetur. Quas ad res eorum animi, qui laudant, uituperantúe, dirigitur omnis intentio. Cæterùm dicendo hæc, exponendóque, interim aliud quoque, quaſi non hoc agentes, conſequemur: uidelicet, ut eam quoque rationem obiter explicaſſe uideamur, quæ cùm inter tria probationum genera ſecundo loco à nobis ſuperius repoſita, collocatáque ſit,

commen

commendationem habebat eorum uitæ, qui cauſas agerent, aut pro quibus: nam eadem ratione concilientur animi iudicum exiſtimatione uirtutis tum erga oratorem, tum erga eum, pro quo dicet orator. Sed quia interim negligentius, interim magno ſtudio hæc materia laudis, & artificioſè tractatur, nec ſolùm in Deos, & homines cadit, ſed eſt aliquando aliorum animalium (etiam carentium anima) eadem ratio inueniendarum propoſitionum ſeruanda erit in his: quod ut facilius conſequantur, qui uolunt, ſubijcienda ſunt illa à nobis, ceu in modum exempli. Honeſtum eſt quicquid ſua ui; & natura nos alliciens laudabile eſt: aut quicquid ex numero bonarum rerum coniunctam quoque uoluptatem habet, idcirco quia bonum eſt. Quamobrem ſi huiuſmodi eſt natura honeſti, neceſſe eſt Virtutem in genere honeſtorum poſitam, & conſtitutam eſſe: nam cùm bona res ſit Virtus, laudabilem quoque oportet eſſe. Eſt igitur Virtus, ut uidetur, bonarum rerum conciliatrix, & conſeruatrix facultas. Item facultas benefica multarum, & grandium rerum immò uerò omnium per omnia. Habet autem partes uirtus, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, Magnificentiam, Magnanimitatem, Liberalitatem, Manſuetudinem, Prudentiam, Sapientiam. Neceſſe uerò eſt maximas illas haberi uirtutes, quæ ſunt utiliſsimæ alijs: quando præſertim ea eſt uirtutis definitio, ut ſit benefica. Atque hanc quidem ob cauſam, Iuſtos, & Fortes uiros præcipuis honoribus homines proſequũtur, quòd alteri proſunt in bello, alteri in pace ſunt utiles. Tertio loco liberales, utpote qui pecuniam erogent libenter; nec pro ijs rebus anxiè altercentur, &

certent,

certent, quas alij ſummopere concupiſcunt. Iuſtitia itaque uirtus eſt, per quam ſua cuique tribuuntur, & eo modo, quo præſcripta lex uult. Iniuſtitia autem eſt, per quam alienis aliena tribuuntur, & non quomodo lex imperat. Fortitudo eſt, per quam magnæ res geruntur in ſuſceptione periculorum, ita ut lex iubet: & per quam paretur, obtemperaturq́; legibus. Timiditas in contrariam rationem exponitur. Liberalitas eſt, in uſu pecuniæ munificus animus. Illiberalitas in diuerſum accipitur. Magnanimitas eſt, magnarum rerum, & excelſarum beneficentia. Contrarium Puſillanimitas. Magnificentia eſt in magnitudine, & amplitudine ſumptuum poſita excellentia. Paruificentia, & Modicitas contrarij habitus. Temperantia eſt, per quam, ita ut lex præcipit, domitæ cupiditates habentur: cui Intemperantia aduerſatur. Prudentia eſt uirtus intelligentiæ, & rationis, per quam in conſulendo delectus haberi poteſt bonorum, & malorum, quæ pertinere diximus ad felicitatem. Ac de Virtute, & Vitio, partibusq́; eorum, uniuerſali quadam annotatione, quoad locus hic poſtulabat, ſatis dictum uidetur.

DANIEL BARB.

POſt hæc de uirtute, & uitio: honeſto, & turpi diſſerendum uidetur. *Dicturus Ariſtoteles de genere demonſtratiuo, cauſam latenter affert, quamobrem poſt locos deliberandi, ad eos tranſeat, qui ad commendationem, uel uituperationem perſonarum ſpectant. Propoſitio cõprobanda eſt. De Virtute & Vitio, Honeſto ac Turpi dicendũ eſt. Ratio, nã qui laudant, & qui uituperant (quibus rebus demõſtratiuũ genus cauſæ continetur) ad hæc animũ, mentemq́; dirigunt, ut uel uirtutem*

uirtutem damnato uitio laudent, uel honeſtum dedecore im-probato, ſequantur. Cùm uerò deliberanti neceſſarium ſit publicos habere mores, quia ratione illa bonus uidetur, & facile perſuadet: ideo poſt deliberatiuũ allatum eſt demonſtratiuum genus, in quo apparẽt ij loci, à quibus, qui nam boni, & morati ciues, & qui mali, ac perditi habendi ſint, edocemur. Rectè igitur Herm. *interpretatus eſt illud, συμβαίνει γὰρ cũ dixerit.*

Interim aliud quoque quaſi non hoc agentes, conſequemur: *Nam ſimul ac oſtenſum fuerit, quid laudandum, quidue ſit uituperandum, cõtinuò noſcemus & illud, quod initio poſitum eſt inter tria probationum genera: Commendationem ſcilicet uitæ eorum, qui dicunt, & eorum, pro quibus dicitur, & Vituperationem aduerſariorum: nam ratio eadem quæ alios bonos oſtendit, nos quoque frugi, & probos uideri faciet, propterea quia ex eiſdem aſtruitur locis. Laus eſt illuſtris boni, quod in aliqua re ineſt, cùm amplificatione ſignificatio: ab* Honore *hoc differens, quòd præſtantibus, & excellentibus bonis debetur honos, qui ſibi ſolius uirtutis eſt præmium. Laus uerò rebus & mediocribus, & infimis, nec Dijs, & hominibus tantùm attribuitur, ſed rebus alijs quibuſcunq;: unde Ariſtotelis mens eſt, peruulgatas, & communes propoſitiones afferre, quibus non ſolùm uirtutes, & uitia, quæ uoluntaria ſunt, ſed alia quoque bona, & mala, cuiuſq; rei, amplificari, uel imminui poßint. Vnde hac de cauſa dictum eſt,* Eadem ratio inueniendarum propoſitionum ſeruanda eſt in ijs. *Id eſt, in rebus inanimis, uel animalibus ab homine differentibus, in quibus nulla uirtus, nullum ineſt uitium: ſed aliqua bona adſunt, quæ commendari, uel mala, quæ uituperari poſſunt: ut celeritas in equo, ſagacitas in cane, proceritas in quercu, uarietas in prato, fertilitas in agro, & huiuſmodi alia, quarum rerum commendatio iactatis, & cõmunibus propoſitionibus amplificatur: ideo Ariſtoteles dixit,* In mo-

dum exempli. *Non enim oblitus eſt ſe Oratoribus, non Philoſophis præcepta dare, ita ut ij loci honeſtum etiam id eſſe probent, quod non ſit re uera, ſed uideatur honeſtū. Vniuerſa uerò huius generis explicatio ita tractatur, ut de honeſtis primùm agatur, in qua re breuiter uirtutum omniū deſcriptiones collocātur: mox de locis ex quibus demōſtrationes ad laudem, & uituperationem ducantur, ac demū præcepta quædam laudis præclara, & amplificandarum rerum rationes ponantur, quibus poſitis, ei quoq; parti ſatis factū eſſe dignoſcemus, quæ differentiam inter rem laudabilem, & ſuaſibilem quærit, & huiuſmodi alia, quæ præclarā excutiunt huius generis notionē. Egit autē Ariſtoteles de ijs primum, ex quibus abſolutè ſuadetur omnibus, mox ad particulares locos deſcendit.*

Honeſtum eſt quicquid ſua ui, & natura nos alliciens, laudabile eſt: aut quicquid ex numero bonarum rerum coniunctam quoque uoluptatem habet, idcirco quia bonum eſt. *His uerbis emendatur Græcus codex, ut uideri poteſt ex ipſis, & ſenſu ipſorum. Ex duabus his Honeſti deſcriptionibus, ſuaſibilis magis eſt ultima, uerior prima: quippe Honeſta multa ſunt, quæ uoluptatem in ſe nullam habent. Tanta autem uis eſt harum deſcriptionum, & demum omnium, quæ ab Ariſtotele ponuntur, ut ex ijs omnia, quæ ſequuntur, conſentanea maximè uideantur; nam ſi quis aliquid honeſtum eſſe probare uoluerit, primùm deſcriptionem, uel definitionem honeſti collocabit, mox eam rei ſuæ applicabit, & ita inueniet illam rem eſſe honeſtam. Exemplum, Virtutem probo eſſe honeſtam. Quod nos allicit ſua ui, & laudabile eſt, id honeſtum eſt: Virtus, huiuſmodi eſt, ut ſua ui nos alliciens, laudabilis habeatur: Virtus igitur honeſta eſt. Similis ratio eſt in demonſtrandis partibus ijs, quæ uirtute continentur, quanquam & ratione illa omnes partes honeſtæ ſint, quia uirtus honeſta eſt. Iuſtitia,*

Prudentia, Temperantia, Fortitudo, *& reliqua uirtutum genera honeſta ſunt, quia & nomen, & ratio uirtutis omnibus ijs conuenit: nomen quidem, quoniam dicimus,* Iuſtitiam *eſſe uirtutem,* Fortitudinem *eſſe uirtutem, & alia eodem modo.* Rationem *uerò, quia per uirtutem iuſtitia, fortitudo, & reliqua ſunt honeſta: rectè igitur dictum eſt, ex honeſti deſcriptione oſtendi omnes uirtutes honeſtas eſſe.* Adnotanda *uerò eſt* Rhetoris *induſtria, qui à communioribus ad propria peruenit.* Cõmuniora *uoco ea, quæ magis continent:* Propria *uerò, quæ cõtinentur.* Honeſtũ *itaq; communiſsimum eſt, cõmunius autem* Virtus, *proprium uerò ſpecies quæq; uirtutis.* Longũ *autem eſſet de ſingulis uirtutibus pertractare. quid longum? imo & ſuperuacaneum hoc loco: quare pauca quædã de ijs dicemus, quæ ad* Ariſtotelem *intelligendum pertinent.* Ac *illud primum eſt, quod in uirtute definienda ponitur, quòd* Virtus *eſt (ut uidetur) bonarum rerum conciliatrix, & conſeruatrix facultas.* Δύναμις, Hoc *uerbum non eodem accipitur modo hic, quo in* Ethicis *acceptum eſt, cum pari forma de uirtute ſermo eſſet.* Tria *enim ibi eſſe in anima dixit,* Affectionem, Habitum, Facultatem. Virtutem *uerò eſſe negauit affectionem, aut facultatem: habitum eſſe conceſsit.* Quare *per facultatem hoc loco uim intellexit, inquiens uirtutem eſſe uim, quæ & præberet, & conſeruaret bona: uirtus enim oculorum præbet ut uideat, eadem & conſeruat. & lege in fine huius capit.* Cæterùm *illud notum eſſe debet, quòd actio nulla uel uirtutis commendationem, uel uitij deteſtationem habet, niſi ſit in poteſtate eius, qui agit.* Eſſe *autem in poteſtate intelligo à uoluntate prouenire.* Voluntas *enim nulli ſubiecta ſua ui operatur, & agit.* Quo *fit, ut neque laudari, neque uituperari meritò uideantur ea, quæ naturæ impulſione aguntur: neque enim damnatur ignis, quod res calore abſumat, nec laudatur, quòd luceat, & calefaciat.* Sed *cùm in ho-*

mine appetitio ſit quædam, quæ ſenſum impellat, & propterea ſemper in contrariam partem deducat, ac recta ratio poſtulat, unde cùm difficultate, ac labore appetitio illa rationis directionem ſequatur, neceſſe eſt ut optima conſuetudine agendi rationi parere, atque obtemperare diſcamus. Vnde uirtus emanat, rectus quidem habitus, qui noſtras metitur actiones, quæ propterea bonæ ſunt, quia menſura illa bona eſt, aut bona eſſe uidetur, quia conſeruatrix eſt, & conciliatrix rerum bonarum. Menſuram uoco, uel rationē, uel legem rerum omnium dominatricem. Sed interdum uirtutes in eo, in quo inſunt conſiderantur, interdum ad alios referuntur, nam uis illarũ ad alios homines pertinet. Et hæ huiuſmodi ſunt, ut præſtantiores à nonnullis, & aliquando iudicentur, nec eandem ſemper, & cum omnibus excellentiæ, & opportunitatis rationem ſeruant. Fortitudo præſtantior eſt belli tempore, quàm in pace. Iuſtitia ſemper eadem iudicatur, æquè in pace, ac in bello eligenda. Liberalitas, & Magnificentia indigentibus gratior, quàm non indigentibus. Iuſtitia rurſus æquabilitatem unicuique ſeruans, ab omnibus expetenda eſt, quare ſemper & ab omnibus æquè commendatur. Illud autem inter Liberalitatem ac Magnificentiam intereſt, quòd quanquam utriuſque munus in diuitijs abſumatur, illuſtrior tamen eſt magnificentia: ita ut magnificentia ſine liberalitate eſſe non poßit, liberalitas ſine magnificentia poßit. unde Cicero, Qui tantas, inquit, pecunias propter magnificentiam liberalitatis repudiauit. & alibi, Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, & adminiſtratio. Quis igitur dubitat, quin Magnificentia ſit ſplendor quidam ex ſumma liberalitate profectus? quare in ædibus regijs, in epularum ſumptibus, in funeribus, & ſepulchris, in magnis apparatibus, & publicis ædificijs maximè conſpiciatur. Contrarium

trarium autem huius uirtutis non eſſe inuentum nomen in Ethicis dicitur. Sed hæc aliàs. Ponit autem Ariſtoteles uirtutis partes, eaſq́; ordine præfinitas oſtendit. Studioſus autem, & diligens, propoſitiones & ſententias aliunde petitas inueniet, ut occaſione nata diſertus & eloquens eſſe uideatur: ut cùm de uirtute loquetur, Semper cum uirtute uiuit, qui cum uirtute moritur: Virtus eſt ordo & ornamentum cuiuſque rei, & ſanitas, & pulchritudo, & incolumitas animorum. Sine uirtute omnis poſſeßio turpis, quanto plus diuitiæ coluntur, tanto minus colitur uirtus. Hæc cum à Deo ſit, mala eſſe non poteſt: à bono enim non niſi bonum. Vnde rectè Socrates in Apollog. Nulla enim, inquit, alia de cauſa circumcurſo, niſi ut uobis omnibus tam iuuenibus, quàm ſenioribus perſuadeam, non tantum uel corporum, uel opum, uel aliarum rerum curam eſſe tenendam, quantum animorum ueſtrorum, ut eorum cultu, & decore nihil putetis antiquius: id paßim affirmans, quòd non ex opibus uirtus, ſed ex uirtute opes, & bona omnia, tam publice, quàm priuatim proueniunt. Vnde alibi in Euthy. Beatiores, inquit, uos ob uirtutes arbitror, quàm ob imperium ſuum regem illum magnum. Atque alia huiuſmodi, quæ communibus locis maximè opportuna ſunt. Eadem ratio de Iuſtitia, Fortitudine, Modeſtia: & alijs, ut Prudentia induſtriæ parens. Prudens illico ſe ad finem conuertit. Prudens non ſtatim aſſeuerat. Fortitudo eſt uoluntatis robur, uirtutum tutela, uitiorum expultrix, periculorum ſapiens expugnatrix. Temperans agnoſcit ſuos poſt epulas: lætus eſt ſemper, & ualens, pauco impendio multa lucratur. Temperantia magnum uectigal: & huiuſmodi alia, quæ ad inuentionem pertinent. Nam qua ratione ſingula tractare deceat, in ſecundo Ariſtotel. edocebit. Non longè autem à Platone diſceßit Ariſtot. in Virtute

oratorio more definienda. Nam Virtus, *(inquit Socrates in Men.) ut ex tuis uerbis coniecto, eſt comparandorum bonorum facultas.* Vis ea eſt in Græco Virtutis uerbo, *ut ait Plato in Cratylo, quæ oſtendat uirtuti nihil eſſe impedimento, & quaſi ſemper fluat: nam Vitium quòd uix eat, interpretatur: nam cùm animus ægrè ad res ipſas accedit, tunc malus uulgò dicitur.* Propriè *autem ac maximè notatur in* Timore *difficultas hæc procedendi:* Timor *enim eſt quoddam quaſi durum animi uinculum. Cùm igitur uirtutis contrarium* Prauitas *ſit,* Prauitas *autem ab eo dicta uideatur, quòd praue, & ægrè eat: conſequens eſt, ut* Virtus *facilem agilemq́; progreſſum, deinde ſolutum & expeditum animæ probæ impetum declaret. Vnde qui uirtute præditus eſt, ſine labore, expeditè, ac cum uoluptate operatur. quæ res optimi iam & comparati habitus certiſſima ſunt argumenta. Deducta uerò non ſunt adhuc à Latinis, neque à Græcis nomina ulla, quæ à uirtute* Virtute *præditum uocabulo uno declarent. Sed & illud etiam aduertendum eſt, ne orator occultas, & abſconditas de uirtute ſententias afferat, quæ à multitudine nón admittantur: cuiuſmodi eſt illa* Platonis *in libro de* Republ. *ſecundo,* Virtutis *præmium eſſe ebrietatem perpetuam. Poſitis* Virtutibus, *& declaratis,* Vitia *per ſe patent: quippe quia eadem contrariorum regula eſt.*

Alteri proſunt in bello. *Monet hæc lectio, ut ita etiam legamus in Græco, & hoc refertur ad fortitudinem, alterum ad iuſtitiam.*

Eo modo quo præſcripta lex. *Quia quis poſſet, quæ ſua non ſunt, poßidere.*

Non quomodo lex imperat. *Quia poſſumus proditorũ bonis à ciuitate donari: nec iniuſtè aliena poßidere, quæ iure nobis donata ſint.* Illiberalitas, *id eſt, auaritia: ſic enim in*

Ethicis

Ethicis uertitur; ἀντιλοιδορία. φρόνησις uerò, eſt prudentia. Sed omiſſa eſt Sapientiæ, & Manſuetudinis definitio. Sapientia eſt diuinarum, & humanarũ rerum cognitio. Manſuetudo eſt lenitas quædam, cum quis iræ moderatur. Cætera ſunt facilima.

De Honeſtis, & Turpibus, ex quibus tanquam ex locis, duci poſſunt demonſtrationes ad laudem, & uituperationem. CAP. XXIII.

EXPOSITIS his, reliqua non eſt difficile conſequi: manifeſtum eſt enim, tam ea, ex quibus proficiſcitur uirtus, bona eſſe oportere, quia in uirtutem inſtituta, & collata uidẽtur: quàm ea, quæ ex uirtute proficiſcuntur. Hæc autem ſunt & ſigna uirtutis, & opera. Cùm igitur ſigna, & huiuſmodi omnia, quæ pertinent ad bonas actiones, aut perpeſsiones honeſtas, bona eſſe neceſſe ſit: relinquuntur fortitudinis opera, & ſigna, & quæ fortiter geſta, adminiſtrataq́ue ſunt, bona eſſe, & honeſta oportere. Similem in modum, & iuſta, & iure facta, quanquam non ſunt ſemper honeſtæ perpeſsiones: ſiquidem ſola hæc uirtus eſt, in qua non quicquid iuſtum eſt, uidetur etiam honeſtum, & pulchrum eſſe. Eſt quidem iuſtum, puniri flagitioſos, & ſontes: ſed iure puniri, turpius eſt, quàm iniuria. At in cæteris uirtutibus quicquid bene fit, & ſecundum uirtutem, idem & pulchrum, & honeſtũ eſſe neceſſe eſt. Item honeſta ſunt, quorum præmium honor eſt: & quorum præmium honor eſt atque laus, longè præſtantiora ſunt, quàm ea quorum præmium pecunia eſt. Item illa præclara ſunt, quæ quis agit nullo emolumento captus, & aliena potius cauſa, quàm ſua. Iam illa ſumma ſunt quæ quis pro patria facit, deſpecta rerum ſuarum utilitate. Item quæ natura ſunt bona. Item quæ nobis bona non ſunt: nam quæ bona ſunt nobis, uidentur cupiditate emolumenti

ſuſcepta. Item illa, quæ in mortuos potius redundare, quàm in uiuos poſſunt: nam quę quis ſua cauſa facit, uidetur ad uitæ utilitatem conferre. Item quæ honeſtatis ipſius gratia ſuſcipiuntur: nam hæc noſtra cauſa minus uidebantur fuiſſe ſuſcepta. Item quę proſunt alŋs, nõ nobis, qui beneſacimus: ſunt enim iuſta ea beneficia, quæ non recurrunt in benefacientem. His ſua contraria ſunt, & quorum nos pudet, inhoneſta eſſe ſolent, & turpia. Planè non modò qui dicit, aut facit, ſed etiam qui dicturus, aut facturus eſt turpia, uerecundia, & pudore ſuffunditur. Vt Sappho effinxit, cùm Alcæus diceret, Eſt tibi nunc aliquid quod dicam, ſed pudor obſtat. Cui Sappho, Si ueniens quicquam cuperes rectumq́ bonumq́, Nec miſcere malum timuiſſet lingua, nec ullus Tingeret ora pudor, ſed libera cuncta tuliſſes. Item ea honeſta ſunt, quorum cauſa homines, etiam ſaluis rebus, & integris labant, æſtuantq́: quia in ŋs rebus ferè omnes ſolicitè, anxieq́ uerſantur, quę ad honores, & gloriam pertinent: inter uirtutes uerò & actiones illæ honeſtate, & pulchritudine ſuperant, quæ à nobilioribus, præſtantioribusq́ debentur. Exempli gratia, quia uirilis ſexus, muliebri præſtãtior eſt, uirtutes quoq; & actiones uiriles, mulieribus præferũtur. Item illæ uirtutes excellentiores habẽtur, quæ plus alŋs, quàm his, quibus inſunt, uſui, & adiumẽto eſſe ſolẽt. Quare ius, & iuſtitia honeſtiſsimæ res iudicantur. Item ulciſci honeſtius, quàm redire in gratiã cum inimico. Eſt enim æquiſsimũ, ut iniuria laceſsitus reponere iniuriã ſtudeat. Quod uerò æquum eſt, honeſtũ quoq; eſſe neceſſe eſt. Fortis item animi eſt, non pati ſe uinci: & uictoria quoq;, atq; honores inter præcipua uitæ honeſtamenta collocantur: nã quæ fructu ipſo, & utilitate non petuntur, optabiliſsima, &

pulcherrima

pulcherrima eſſe exiſtimantur, & præterea uirtutis magnitudinem, excellentiamq; demonſtrant. Item inſignia, & honeſta ſunt monuméta, atq; memoriæ, & quę magis illuſtres, magis etiam pulchræ, honeſtæq; ſunt. Magis illuſtres autem uidētur illæ, quæ tempus, quod finem hominis, inſequitur ferunt & per quas ſolus honor, non etiam utilitas petitur. Item pulchriora ſunt, quæ quis præcipua, & ſolus habere uideatur: utpote quæ facilius, diutiusq; in memoria hominū, & cōmemoratione uerſentur. Itē iudicantur ampliora, honeſtioraq;, quæ ſine fructu poſsidentur, quia ad liberalitatem collata, & conuerſa creduntur. Item pulchri, & laudabiles ſunt, ſui cuiuſq; mores, & inſtituta. Signa quoq; atq; indicia earum rerum, quæ à quoq; probantur, honeſta, & laudabilia uidentur eſſe. Exempli gratia: Honeſtum eſt apud Lacedęmones capillum nutrire, & colere, quippe quòd ingens ille argumētum ſit atq; indicium libertatis: Non enim facile eſt colentibus, & nutrientibus comam deſcendere in opus ullum ſeruile, aut illiberale. Item artem nullam ignobilem, ac mercenariam exercere: Eſt enim liberi hominis, non uiuere aliȷs.

DANIEL BARB.

EXpoſitis his, reliqua non eſt difficile conſequi. *Mens Ariſtotelis eſt, tractare de ijs rebus, quæ honeſtæ dicuntur, licet Virtutes non ſint, propterea quòd aliquo modo uirtutes attingant, aut præcedentes, aut comitantes, aut conſequentes: hinc enim maxima oratori ad dicendum uis, & facultas ſuggeritur, quando ad uirtutum amplificationem maximè ſpectent. Præcedit ergo uirtutem intelligentia, & uſus rerum, quippe quoniam ex ijs uirtus efficitur, & comparatur, actio autem illuſtris comes eſt, iucunditas item ab opere & in opere poſita, nunquam à uirtute diſcedit, ſubſequuntur etiam*

ſigna, perpeßiones, & alia quæ ab Ariſtotele tanguntur, ſigna ſunt: ut, ſi iuuenis in riſum profuſus non ſit, ſed moderatus: ſi non ambulet interim celeriter, interim tardus: ſi firmus, & conſtans eſſe uideatur in ijs omnibus, quæ agit.

Hæc autem ſunt & ſigna uirtutis, & opera. *Ex hac lectione, & ex emendatiori codice legendum eſt,* τὰ δὲ σημεῖα τῆς ἀρέτης καὶ τὰ ἔργα, Cum igitur ſigna, & huiuſmodi omnia, quæ pertinent ad bonas actiones, aut perpeſſiones honeſtas, bona eſſe neceſſe ſit. *Lampridius meus ſic exponebat, Cùm igitur ſigna, & huiuſmodi omnia, quæ boni uiri labores, & dolores ſunt, honeſta ſint.* Relinquuntur fortitudinis opera. *Vt uictoria, multorum ſalus, & huiuſmodi, quæ ſunt fines. Sic enim exponerem, ut differret ab eo, quod ſtatim dixit,* Et quæ fortiter geſta, adminiſtrataq́; ſunt: *ut hic tangat ea, quæ ad finem ſpectent, hoc eſt, quæ propter finem fiunt. Multæ autem uirtutis actiones meritò laudantur, multæ etiam immeritò: quare cautus, & prudens ſis, ne cùm uideas pecuniam effundi, continuò liberalem, aut magnificum putes eum, qui effundat. Semper uerò in cœlo eum collocabis, qui opera in bello fortia, & præclara feciſſe dicetur. Sed in omnibus demum iuſtè metiri omnia decet, neq; in operibus tantùm, ſed in perpeßionibus, & doloribus, id obſeruabis. Carnifici quiſpiam iuſtè datur, hunc laudare non decet: alius pro patria occiditur, quem qui non laudat, ingratißimus omnium iudicabitur. Actiones igitur, perpeßionesq́; omnes, quæ honoris cauſa uel aguntur, uel ſuſtinentur, laudabiles maximè ſunt. Quare defunctos potius, quàm uiuentes laudandos eſſe Plato exiſtimat, & iure quidem affert, ſi non aliud, ſaltem quia uiuenti utilitas potius, quàm gloria præponi uidetur. At uerò magnam, & egregiam laudis com-*

mend

mendationem indepti ſunt, qui omnibus inſitam huius lucis cupiditatem, mortis honeſtate permutare uoluerunt, ut potius in bello fortiter mori, quàm in patria ſuauiter uellent uiuere. Quare æquum eſt, ut quam gloriam in uita adamauerint, eam mortuis reddamus: & quem fructum patriæ tanquam matri optimæ reddidere, eundem illis patria reſtituat. Laudarem profectò eos, qui pro patria occubuere: ſed piger ſio, timens ne longitudo hæc orationis importuna huic loco eſſe uideatur. Reliqua in Ariſtotele ſunt facilia. Carmina autē Sappho nō ſunt ab Hermolao Latinitate donata, nos ibi reddidimus. in eorum fine legitur περὶ τῶ δικαίω, *quæ uerba in uetuſto codice non ſunt. Illud autem, quod in Græco dicitur* πεποίηκεν, *rectè declaratur à Platone in Conuiuio: Scis, inquit, uerbū Facere latè diffundi: nā generatim Facere cauſa eſt, qua ſingula in lucem ueniunt, & fiunt quæ antè non erant. Quapropter omnes cuiuſq; artis actiones effectiones ſunt, et artifices omnes Poëtæ, id eſt, factores appellantur. Vides tamen quòd non uocantur Poëtæ, ſed alias appellationes ſortiti ſunt. Ex hac uerò communi acceptione unde eſt deſumpta particula, quæ circa muſicam, carminaq; uerſatur, hæc totius nomen ſibi uendicauit, quare Poëſis, id eſt, effictio, hæc ſola uocata eſt, qui'ue hanc particulam ſunt adepti Poëtæ, quaſi effictores, & eorum opera Poëmata dicta ſunt.*

Eſt enim æquiſsimum, ut iniuria laceſsitus, reponere iniuriam ſtudeat. *Hoc neque Chriſtianis, nec Platonicis conſentaneum, ſed uulgo parcatur.*

In opus ullum ſeruile. θητικὸν *Homeri uox. Libertatis autem ſignum nutrire comam apud Plutarchum.*

Quatuor loci laudis præclari. CAP. XXIIII.

AD laudem quoq; & uituperationem proxima deriuatione uirtutum, & uitiorum utendū: hoc

modo

modo, ut pro cauto, & cunctatore, meticuloſum, & inſidiatorem: pro rudi, & imperito, bonum: pro ſtupido, manſuetum uocemus: atq; ita ſemper in ſingulis deflexione uerborum, à finitimis, atq; appoſitis uitijs ſubijcienda eſt molliſsima interpretatio uirtutis & laudis: ut pro iracundo, & furioſo, apertum, & ſimplicem: pro ſuperbo, magnificum, & ſplendidum interpretemur. Demum uitia ſumma nomenclatione uirtutum attenuanda, honeſtandaq; ſunt: ut quod temeritas ſit, nos fortitudinem appellemus: & quod prodigalitas uideatur, id nos liberalitatem eſſe dicamus: nam & hoc facile credetur: & præterea ſumma ratio uidetur, ad fallendos audientium animos: ut qui alacriter, & promptè ſolet pericula adire, cùm non eſt opus, alacrius, & promptius adeat, cùm tempus, & ratio poſtulat. Item, ut qui paſsim omnibus elargitur, in amicos quoq; liberalior ſit, atq; profuſior: Videtur enim quidam uirtutis exceſſus, erga omnes mortales beneficũ, & liberalẽ eſſe. Sciendum tamẽ eſt, intereſſe ubi quicquam laudetur: nam ut Socrates dicebat, Nõ eſt difficile laudare Atenienſem Athenis. Ea uero præcipuè dicenda, laudandaq; ſunt, quæ ab his, qui audiunt probari, & precioſa exiſtimari intelligemus, eaq; ceu recta, & uera potiſsimum aſſerẽda. Vt ſi apud Scythas habeatur oratio, ſi Lacedæmone, ſi inter philoſophos, dicantur eorum omnium cõſentanea moribus, & inſtitutis. Omninoq; illud eſt obſeruandum, ut quæ illis ita probata, precioſaq; ſunt, etiam honeſta, & recta eſſe demonſtrentur: quod quidem, quia ſit quædã precioſo, & honeſto uicinitas, facilè conſequemur. Item illud in laude uerſatur, ſi quid iure, & conuenienter factum demonſtretur: uerbi gratia, Si ij, quos laudamus, digna maioribus ſuis, digna re
bus

bus antè geſtis feciſſe dicantur. Nam præteriti quoq; honores, & dignitas maiorum, uidentur ſplendorem quendam, & ornamẽtum, uitæ eius, qui laudatur, afferre. In diuerſum quoq; laus ſæpe conſtat, uidelicet ſi quid citra expectationem factum oſtẽdetur: ut ſi quis in magna aliqua ſecundiſsimaq; fortuna moderatus, & æquabilis fuerit: aut in aduerſa excelſus, & conſtans: aut ſi maior quiſpiam factus, ſummiſsiorem, & tractabiliorem habuerit animum: huiuſmodi eſt illud Iphicratis, ut oſtendatur uidelicet, ex qualibus, in quales euaſerint: huiuſmodi etiam epigramma illud in uictorem Olympiæ, quod nos attulimus ſuprà, Tegæum ex Argo piſces namq; antè ferebam. Huiuſmodi quoq; eſt, quod apud Simonidem legitur, Fratribus atq; marito, & patre ſuperba tyrannis. Cum uerò laus ex actione proueniat, proprium autem uiri probi, ſtudioſiq; ſit iudicio, ac propoſito agere, enitendum eſt, ut eum quem laudare ſuſcipimus, oſtendamus ea, quæ agit, non impetu, ſed conſilio agat. Planè hic locus ita tractari utiliſsimè, & commodiſsimè poterit, ſi is, de cuius laude dicetur, demonſtrabitur hoc ſæpiſsimè feciſſe: atq; in hoc quidem opere toto uſq; adeo diligenter uerſari conueniet, ut etiã ea, quæ caſu, & fortuitò euenerunt, ad conſilium referantur, & iudicio ſuſcepta fuiſſe monſtrentur. Nam ſi multa, ac ſimilia proferemus, quæ conſilio, & ratione facta erunt, facilè conſequemur eo argumento, ut ea quoq;, quæ caſu acciderunt, à uirtute, & conſilio profecta eſſe uideantur. Eſt autem Laus magnitudinem uirtutis oſtendens oratio. Neceſſe igitur eſt eiuſmodi eſſe actiones oſtendi. Commendatio uerò non ad uirtutem, ſed ad opera pertinet, actionesq; uirtutis. Quæ autem circum ſunt, conferunt, & adhibentur ad fidem,

ut no

ut nobilitas, diſciplina: eſt enim conſentaneum, naſci bonos ex bonis: & talem eſſe quenq;, qualiter inſtitutus, educatusq; eſt. Quare & eos, qui bene agunt, laudare ſolemus. Opera uerò parti habitus ſigna ſunt: alioquin eos etiam commendaremus, qui nihil egiſſent, utiq; ſi crederemus eos tales eſſe, qui poſſent. Cæterùm gloriatio ac felicitatio inter ſe quidem eadem ſunt, ab his uerò diuerſa. At quemadmodum felicitas uirtutem, ſic felicitatio & gloriatio complectuntur hæc.

DANIEL BARB.

AD laudem quoq; & uituperationem proxima. *Fabius libro tertio hæc omnia ferè tangit, ubi de laude, ac uituperio tractat.* Ponuntur autem ab Ariſtotele quatuor inſignes loci, *quibus tum laus, tum uituperatio præclarè inſtruitur.* Primus *ducitur à proxima uirtutum, ac uitiorum deriuatione, & diuiditur in tres partes: nam uel exceſſu, uel defectu, uel affinitate quadam uitia uirtutum, uel uirtutes uitiorum ſpeciem quandam præbent. Quare cùm uirtutem infirmare, aut lenire uitia ſæpe oratori contingat, locus is opportunus erit. Quanquam nos admonet Cicero, cernendum eſſe diligenter, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutem uidentur imitari: nam & prudentiam malitia, & temperantiã immanitas in uoluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem malitia animi, & uerecundiam timiditas. Stupidus, quem Græci* ἀνάλγητον *diunt, manſueto ſimilis eſt. Verg. O' nunquam dolituri. Alterum huius partis exemplum continetur ijs uerbis:* Atq; ita ſemper in ſingulis deflexione uerborũ. *Hoc enim fit in exceſſu uitiorum, ut pro iracundo apertum, pro ſuperbo magnificũ quēpiam*

piam uocemus. Vltimum uerò, quod eſt tertium, expreſſum eſt hoc modo: Demum uitia ſumma nomenclatione uirtutum attenuanda. *Sed exempla quæ* Fabius *ponit, exceſſum & defectum, non affinitatem reſpiciunt: quæ autem à* Cicerone *dicuntur, affinitatem quoq;, & imitationem addunt.* Locus *is &* Horatio, *&* Lucretio *non neglectus, ſumptus eſt ab ijs, qui amant, aut oderunt: amantes enim uitia imminuentes, uirtutis nomine illa uocant: qui autem oderunt, uirtutes proxima uitiorum deriuatione labefactant. Nam faciunt homines plerunq; cupidine cæci,* Et *tribuunt ea, quæ non ſunt his commoda uerè.* Horatius *autem,* Amatorem *quod amicæ* Turpia *decipiunt cæcum uitia, aut etiam ipſa hæc,* Delectant *ueluti* Balbinum Polypus Agnam, Vellem *in amicitia ſic erraremus: & iſti* Errori *nomen uirtus poſuiſſet honeſtum.* Non *modò autem à uirtute animi ad uitia, & contrà deuenimus: ſed etiam in corpore, ut teſtantur* Lucretij *uerſus, id cernitur.* Alter *locus eſt, uidere ubi quicquam laudetur.* Intereſt *enim, ut inquit* Fabius, *ubi quicquam laudetur, & uituperetur: unde* Socrates *in* Mexeno, Facilè, *dicit, eſt,* Athenis Athenienſem *laudare: nullus enim eſt, qui non libentiſſimè bene audiat.* Tertius *locus à conſentaneis, & non conſentaneis ſumitur.* Conſentaneum *eſt, ut res talis eueniat, qualia ſigna quæ illi oſtendunt.* Conſentaneum *enim eſt, ut expectationi reſpondeamus, quam ob generis nobilitatem concitauimus, & digna maioribus noſtris faciamus.* Sed *& laudabiliſſimum quoque eſt, ſi quid extra expectationem factum ſit.* Citra *expectationem facere tribus contingit modis.* De *ijs loquor, quæ laudanda ſunt, ac primùm ſi quis in proſpera maximè fortuna moderatus ſit, & æquus, cuiuſmodi fuit* Archedice Hippiæ *filia, quæ ex rege orta, regis ſoror, regis uxor cùm eſſet, non elato, & ſuperbo, ſed benigno, ac miti animo fuit, quam* Simonides *Epigram*

pigrammate commendauit, ut Thucydides libro ſexto hiſtoriæ ſuæ ſcribit, Cicero citra expectationem quoq; ſi quis in aduerſa fortuna celſo, & erecto ſit animo, cuius exemplum eſt Iphicratis dictum. Ac demum ſi quis maior euaſerit, & ad ſtatum peruenerit ampliorem, ſummißior, & tractabilior fuerit: cuiuſmodi eſt epigramma illud Simonidis ſuprà dictum, Tegæum ex Argo piſces namq; antè ferebam, & reliqua.

Cùm uerò laus ex actionibus oriatur. *Quartus hic locus, & ab Ariſtotele ita tractatur, ut prius eius neceßitas oſtendatur, poſterius tractandi ratio declaretur. Propoſitio comprobanda eſt. Qui laudat neceße eſt, ut oſtendat opera eius, quem laudat, non caſu, aut fortuna, ſed conſilio, & iudicio facta eſſe. Ratio, quoniam uiri præditi, & ornati uirtute, conſulunt prius, quàm quicquam agere inſtituant: ex actionibus autem laus omnis ortum ſuſcipit, & incrementum: quare hæc tria ordine collocantur, Electio, Actio, Laus. Ex electione actio, ex actione laus profecta eſt, non eodem tamen modo: electio enim actionis effectrix, laudis uerò actio eſt excitatrix. Quicquid autem laudabile, quicquid uituperabile eſt, id omne huiuſmodi eſt, propterea quòd à uoluntate ortum habet. Quare fit, ut neq; fortuita, neq; uiolenta in hoc genere reponantur.*

Planè hic locus ita tractari. *Docet Rhetor, quo nam modo tractandus hic locus, cùm raró fiat, quæ caſu, & temeritate proueniant, ſæpius autem quæ conſilio. Qui laudat, cùm actiones laudet, oportet ut frequentes & multas eſſe actiones oſtendat, ita enim caſum, & temeritatem uitabit: & illud etiam commodum reportabit, ut illa quoq; conſilio facta eſſe uideantur, quæ caſu euenerint. Oportet igitur oſtēdere quàm plurima facta conſilio, & ratione feciſſe: nam hæc uirtutis magnitudinem oſtendunt, in qua uera laus poſita eſt: nam Laus*

eſt

eſt oratio magnitudinem uirtutis oſtendens, ut etiam dicitur in tertio libro, & per eadem uerba hæc eadem quæ ſequuntur ab Ariſtotele *explicantur.* Declarat *Ariſtoteles uim nominum quorundam, quæ ad hoc genus pertinent. Laus primum eſt, deinde* Commendatio, *poſt* Felicitatio, & Gloriatio: *ſic enim* Cicero *uertere uidetur: quanquàm* Hermolaus *hunc locum non uertit. Eſt uirtus, eſt uirtutis opus, eſt copia bonorum externorum. Virtus laudatur: Laus enim eſt oratio uirtutis amplitudinem oſtendens:* Opus *commendatur:* ἐγκώμιον *enim eſt operum commemoratio illuſtris: nam rectè facta commendamus: unde geſta pro patria fortiter, & prudenter recenſentur in encomijs. Sed quæ circum ſunt, id eſt, externa bona, ſumuntur ad finem: nam in toto quaſi contextu, ut ait* Cicero, *hæc erunt maximè illuſtranda, quemadmodum quiſq; generatus: fortes enim fortibus creantur, ut ait* Horatius.

Quemadmodũ educatus. N*am ſemel imbuta recens, &c.* Q*uemadmodum inſtitutus moratusq; fuerit. cùm ergo commendatio ſit operum, meritò eos, qui agunt, laudamus: Actiones enim & opera ſigna ſunt uirtutis, & habitus: nam nullum eſt indicium uirtutis ſatis idoneum, niſi actio. Quòd ſi ſciremus abſque operibus aliquem eſſe uirtute præditum, eum certe laudaremus.* Hunc *igitur in modum ſeſe habet laus, commendatio, uirtus, actio, & copia bonorum externorum: ſed felicitatio & gloriatio (idem enim ſunt inter ſe, ut ait* Ariſtoteles*) ita ſe habent ad laudem uel commendationem, ut felicitas ad uirtutem ſe habet. Cùm ergo felicitas ita ſe habeat ad uirtutem, ut uirtus contineatur ſub felicitate, & felicitas uirtutem contineat, maius enim & fuſius bonum eſt felicitas, quàm uirtus: neceſſariò ſequitur, ut beatio, gloriatio & felicitatio, ſiue aliud nomen reperitur, laudem contineat, & commendationem. Eſt enim* μακαρισμὸς καὶ εὐδαιμονισμὸς *illa omnium gentium conſenſu in alicuius laudem, benedictio-*

m nemq;

nemq;, ut ait uulgus, illuſtris confeßio, qua oſtenditur in felicitatis apice aliquem meritò conſtituendum eſſe. Laus *ergo uirtutem extollit*, Commendatio *actiones, quæ ſunt uirtutis indicia, recenſet:* Gloriatio, *&* Beatio *hæc faciunt, quæ laus & commendatio facit, & amplius precationes, uota, & quaſi hoſtias addit: ita ut quemadmodum laus uirtutem amplificat, ita gloriatio ueluti laus felicitatis habeatur: ut rectè dici poßit,* Gloriatio *eſt felicitatis amplitudinem declarans oratio: atque hoc eſt quod dicit Ariſtoteles,* Gloriatio *uerò, & felicitatio inter ſe quidem conueniunt, id eſt, idem ſunt: his uerò, id eſt, laudi, & commendationi non conueniunt, quia ſcilicet maiori ſunt ambitu, quod explicatur per collationem.*

Sed quemadmodum felicitas uirtutem, ita felicitatio, & gloriatio continent hæc. *Id eſt, laudẽ, & commendationem. Hunc ego in modum interpretor hunc locum, nondum ab alio (quod ſciam) ſatis explicatum.*

Eadem eſſe quæ ſuaderi, laudarique ſoleant.

CAPVT XXV.

TOTVM autem hoc demonſtrationis genus habet commune aliquid, ac ſimile ſuaſorijs. Nam quæ illic ſubijciuntur ad ſuadendum, hic mutato tantum genere, & flexu dicendi, conferri ſolent ad laudem Igitur ſi teneamus ea, quæ fieri, & ſequi uirum bonũ oporteat, & qualem eſſe quenq; neceſſe eſt, ea & ſubijcere tanquam præcepta quædam, & monitus licebit: & ad laudem dictione paulum uerſa cõferre. Si dixeris, Non oportet fidere bonis, quæ ex fortuna, ſed quæ ex nobis ipſis pendẽt: ad monitionem ualet. Si autem dixeris, Non fidit hic iudices fortunæ bonis, ſed ijs auxilijs, quæ ſibi ipſe comparauit: laudem & cõmen-

dationem

dationem habebit. Quamobrem laudaturi conſiderare debent, quid conſtituant, admoneantq́. Suaſuri contrà ſpectare debent, quid laudent. Certè dicendi formã contrariam eſſe neceſſe eſt: nam qui ſuadet, prohibere uidetur: qui uerò laudat, non uidetur prohibere: conuerſa, & immutata ratione dicendi.

Amplificationem eſſe in genere demonſtratiuo peculiarem, & quomodo conſtet. CAP. XXVI.

ADHIBERE autem oportet multa quibus augeatur, & amplificetur oratio: puta, Solus fecit, Primus fecit, Cum paucis fecit, Hoc potiſsimum fecit: ſunt enim hæc omnia ad ornamentum, & magnitudinem rerum, quæ laudantur, accommodata. Quibus in omnibus & temporum ratio exponenda erit, & commemorandæ opportunitates: plane faciunt illa, ut quid ſupra ſpem, aut expectationem factum eſſe uideatur. Explicandum eſt etiam, quoties quid benefecerit: nã & magna res uidebitur eſſe, quæ ſæpenumero egregiè ſuſcepta, confectaq́ fuerit, & per ſe à conſilio facta, non caſu. Item illud uehementer facit ad laudem, ſi præcipui aliqui honores, eius gratia, quẽ laudamus, inuenti, & excogitati dicantur. Aut ſi commendatio ulla in illum primo conſtituta monſtretur, publico aliquo monumẽto, cuiuſmodi ſtatuæ illæ ſunt, quæ Hippolocho, Harmodio, Ariſtogitoni, Athenienſes publicè poſuerunt. Similis ratio in cõtrarijs quoq; ſeruabitur. Quòd ſi ex perſona eius, cuius proſequimur laudes, non multa erunt, quæ ſuppetunt nobis, faciendus erit ad comparationes gradus, quod & Iſocrates faciebat, tum conſuetudine ductus, tum deſuetudine ueras cauſas in iudicio ac foro dicendi. Cęterùm qui comparationibus utitur, debet quos laudat comparare præſtantibus uiris:

amplificatur enim, & uehementer ornatur uita eorum, qui claris hominibus, clariores, & præſtantiores eſſe dicuntur. Proprium porrò laudis eſt, res amplificare, & ornare, utpote quod in magnitudine quadam, & exceſſu ſit poſitum. Exceſſus uerò honeſtamentū quodam, & lumen uidetur eſſe uirtutis eorum, qui laudantur. Proinde etiam ſi minus clari futuri ſint ij, quibus conferre, & comparare poſſumus, non tamen omittendæ ſunt comparationes. Nam qualiſcunque exceſſus uidetur ſignificare uirtutem. In plenum, communibus locis, qui competere poſſunt omnibus cauſis, & in omnem quæſtionem incidere, generi demonſtratiuo accommodatiſsima eſt Amplificatio: nam cùm res geſtæ, quæ in confeſſo ſunt, in materiam eius generis cadant: cumq́ nudæ illæ, atque inornatæ duntaxat accipiantur ab oratore: reliquum operæ eſt, ut ueſtiantur, ornenturq́ adhibita amplificando magnitudine, atque ſplendore. Vt uerò Amplificatio peculiariſsima eſt generis demonſtratiui: ita Vſus exemplorum in conſilijs plurimum poteſt, cùm plerunq́ uideantur futura præteritis reſpondere. Enthymemata uerò in forenſi cōflictu efficaciſsima, atque aptiſsima iudicantur. Neq́ id tamen à ratione remotum eſt: nam genus iudiciale, nō mera iudicatione, & expoſitione facti abſoluitur, ſed quia incerta res ſit, de qua iudicium conſtituitur, & admittitur, neceſſaria eſt tum cauſæ, tum rationis adiunctio. Nunc quoniam traditum eſt, quibus ex locis omnis ferè laus, & uituperatio proficiſcatur, & quas res intueri debeant, qui laudare ſtatuunt, aut uituperare, item quibus in rebus, commendatio, & deformatio poſita, collocata'que ſit, ſatis dictum uidetur: omnis enim hæc ratio etiam in uituperatione tantùm in

diuer

diuerſum conſtabit:quibus enim ex rebus laudem con=ſtituimus, ex contrarijs rebus erit uituperatio com=paranda.

DANIEL BARB.

TOtum autem hoc demonſtrationis genus. *Idem in tertio dicitur. Et Fabius idem uſurpat. Vt autem amplio rem nobis ad dicendum pateſaciat uiam, docet demonſtrati=uum genus à deliberatiuo adiuuari poſſe, & id ob quandam ſimilitudinem, quæ inter utrunque cadit: quod etiam confir=mat ordinem Ariſtotelium, quo genus hoc poſt deliberati=uum poſitum ſit: unde dicitur, totum hoc genus habere ali=quid ſimile ſuaſorijs, quia plerunque eadem illic ſuaderi, quæ hic laudari ſolent.* Communis forma eſt utrique generi dictio diſpar. *Communis forma, quoniam utrunque in ijſdem uerſa=tur:* Dictio diſpar, *quoniam dictione mutata, laus in perſua=ſionem, & contrà perſuaſio in laudem tranſit: hoc modo, Non debet is, qui aliquando moriturus eſt, ſpem ponere in his bo=nis, quæ aliquãdo pereunt. id ſi hoc modo proferas, conſilium eſt. At ſi dicas: Plato cùm ſe aliquando moriturum noſce=ret, in his bonis ſpem noluit ponere, quæ aliquando pereunt: laus eſt.*

Adhibere autem oportet. *Agit de amplificatione, quæ propria eſt huius generis: eadem dicit Fabius eodem loco. Omnia per ſe clara ſunt ſatis.*

Quod & Iſocrates faciebat, tum conſuetudine du=ctus. *Semper Ariſtoteles aliquo modo tangit Iſocratem: nam ut ait Cicero, & Fabius, Itaque ipſe Ariſtoteles cùm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret, quòd ipſe ſuas di=ſputationes, à cauſis forenſibus, & ciuilibus ad inanem ſermo=nis elegantiam tranſtuliſſet, & quæ ſequuntur. hoc eſt, ut puto, διὰ τὴν συνήθειαν τοῦ δικαιολογεῖν. nam Iſocrates, ut ait Fab. nitidius, & comptius, & palæſtræ magis, quàm pugnæ*

accommodatus, omnes dicendi ueneres ſectatus eſt: nec immeritò, auditorijs enim ſeſe, non iudicijs comparat: ita ut aptior ad componendum, quàm ad agendum ſit iudicatus. Sed hæc aliàs. Cùm uerò declarati ſint loci rerum honeſtarum, & explicata ſit ratio comparandi, & amplificandi ea, quæ ad laudem pertinent: reliquum eſſet, ut de turpibus, de uitijs, de imminuendis rebus, & uituperãdis ageretur: ſed id facilimum eſt ex contrarijs locis aſſumere, quoniam contrariorum eadem eſt diſciplina. Hæc igitur hactenus de genere demonſtratiuo ſint dicta ex Ariſtotelis ſententia.

DE GENERE IVDICIALI.

Tria eſſe accipienda, item expoſitio primi, quid ſit iniuriam facere. CAP. XXVII.

ABSOLVTIS duobus generibus cauſarum, tempus eſt ad rationem Iudicialem, quæ accuſatione, & depulſione continetur, proficiſci: docereque, quemadmodum ad eam quoque partem accommodari cõueniat inuentionem rerum, & ratiocinationem. Tria ſunt igitur perdiſcenda, accipiendaque ab oratore. Primum, quę nam, & quot res ſint, quarum cauſa homines propenſi ad alienam iniuriam uideantur. Alterũ quemadmodum ipſi affecti, paratiq́; id eſt, quo animo pati iniuriam ſoleant. Tertium qualibus, & quem habentibus animum inferant. Ac primum quidem finiamus, quid ſit, Iniuriam inferre. Ergo is infert iniuriam, qui contra ius uolens alterum lædit. Ius duplex eſt: Alterum Proprium: Alterum Commune. Proprium appello, ſuum ciuitatibus ſcriptum, quo illæ gubernantur. Commune eſt generale uiſum, quod ſine ſcripto cõſenſu omnium gentium conſtat. Is dicitur Volens facere, qui prudens, ſciensq́; & non coactus facit. Planè quan-

quàm non quæcunq; uolentibus nobis eueniunt, In ijs etiam conſiliū, & optionem noſtram præceſsiſſe neceſſe eſt: contrà tamē ualet, ut ea in quibus conſiliū noſtrum, & optio anteceſsit, ſcientibus quoq; & prudentibus nobis inſtituta, aut profecta eſſe uideantur: Quia nemo poteſt eligere, aut optare, quod ignorat. At res, quarū cauſa homines conſtituunt contra ius lædere, & praua inhoneſtaq; facere, duæ ferè capitales, & peculiares habentur: Malicia, & Incontinentia: nam quibus quiſq; affectus, & obuolutus eſt uitijs, ſiue uno, ſiue pluribus teneatur, in ea re, cuius gratia uitioſus eſt, iniurius quoq; atq; iniuſtus euadit: Auarus in pecunia: Intemperatus in uoluptatibus corporis: Timidus in ſuſceptione periculorum: Mollis, & delicatus in deſidia, nam diſcriminis ſocios præ metu deſerit: Ambitioſus in petitione honorum: Concitati, & propenſi ad iracundiā, iraſcendo: Contentioſi, ut uincāt: Crudeles, ut ulciſcantur: Inſipientes, & ſtolidi nocent, quia iuſti, & recti rationē ignorant. Idem in cæteris qui obnoxij ſint animaduerti poteſt, uti in his rebus, & earum rerum cauſa, quæ ſingulis uitijs, cupiditatibusq; ſubiectæ ſunt, omnes immoderatè, & impotenter uerſentur. Cæterùm quia hæc partim demonſtrata ſunt eo loco, ubi de uirtutibus agebatur: partim demonſtrabuntur eo, ubi de affectibus animi proceſſu tractabitur: omiſsis his, tria illa exponere ingrediemur, uidelicet, Quarum rerum cauſa, & Qui homines, & Quibus iniuriam inferant.

DANIEL BARB.

ABſolutis duobus generibus cauſarum. *Quoniam & qui demonſtrant, & qui deliberant, ſuas iam tenent propoſitiones, quarum copia, quæ uolunt, probare poſſunt: æquum eſt, ut & iam qui uerſantur in foro, ſuo debito*

non fraudentur: quare abſoluta iam deliberatiua, & demonſtratiua cauſa, ad iudicialem peruenit Ariſtoteles: huius nos ſpeciem quandam ante oculos collocabimus, ut uno quaſi intuitu uis eius pateat uniuerſa. Propoſito igitur iudiciorum fine, reliqua inueniemus: finis enim ad ſe trahit, quæcunque ad ipſum pertinere poſſunt. Iudicialis finis eſt æquitas, æquitas depulſione oſtenditur, depulſio accuſationem ſequitur, accuſatio de iniurijs conficitur: in iniuria eſt, is qui agit, is qui patitur, & res ipſa: in agente & patiente ſunt cauſæ, & res ipſa quoque ad aliquem finem tendit, ſiue ſit commodum, ſiue uoluptas. Et quoniam non modo iniuriam illatam criminari debet orator, ſed etiam augere, & amplificare, ideo, poſtquàm Ariſtoteles oſtenderit, quid ſit iniuriam facere, quibus de cauſis iniuriæ fiant, quæ ſint illæ cauſæ, quid uoluptas, quæ ſint uoluptatem afferentia, qui quales'ue homines iniuriam facere ſoleant, quibus, qualibus'ue hominibus iniuriæ fiant, quid ius, & quid iuſtum, & quotuplex utrunque ſit, quid ſit iniuria affici, & demum quid, & quale æquum, bonum'ue ſit: poſtquàm inquam hæc omnia declarauerit, ac quaſi ædificium forenſis cauſæ ſuperſtruxerit, de amplificandis iniurijs, & contumelijs, perinde ac de ornamentis eius in fine loquetur. Atque is ordo eſt totius generis iudicialis, ut ſciamus elicere propoſitiones, tum ex efficiente, tum ex patiente, tum ex iniuria ipſa. Nam ex efficiente propoſitionum copia quod uolumus, oſtendemus, cùm cognouerimus, quæ nam, & quot res ſint, quarum cauſa homines ad iniuriam proni ſunt. Ex patiente, cùm ſciuerimus, quomodo affecti, & parati ſint homines quibus uis, iniuria'ue infertur. Ex actione uerò, & iniuria ipſa, ſi notauerimus, quibus actionibus lædantur proximi: quid iuſtum, quid'ue iniuſtum ſit, & huiuſmodi alia, quæ intentiones, & depulſiones criminum, æquo, &

bono

bono declarant. Atq; hæc totius cauſæ forenſis deſcriptio eſt. Sunt nonnulli è Græcis præcipuè, qui hoc loco ſecundum Rhetoricæ librum incipere affirment: quæ res, quàm conſentanea ſit, illi iudicent. Nos uidimus primum librum argumentationi dicatum, alterum affectibus, ultimum orationi. Scimus etiam tria genera eiuſdem rationis, & ordinis non oportere diuelli. Videbimus etiam clarius Ariſtotelem loquentem, ſuosq; libros diuidentem: neq; ſolùm hoc primo libro tractantem, quæ ad artificioſum genus pertinent ſed quæ ad eam partem adiungi poſſunt, in qua de inartificioſis rebus agitur, de tormentis, quæſtionibus, tabulis, decretis, & huiuſmodi, quæ à cauſa oratori deferuntur: quare non eſt neceſſe ijs contradicere, qui rem per ſeſe claram in dubium reuocant. Agitur ergo de accuſatione, & depulſione. Eſt autem depulſioni accuſatio præponenda, tum quia non defendimus, niſi eos, qui accuſantur: ſignum eſt, quòd tacitè accuſari, aut accuſatione dignum ſe putat, qui nemine accuſante, ſe ipſum defendit, tum etiam quia certa, & determinata ſunt loca intentionis, & accuſationis, & res, quaſcunq; defendimus, ad arbitrium accuſantis defendimus: nam qui accuſat, præfinit ea, quæ tueri, ac depellere debemus. Eſt autem Accuſatio uehementiſſima res in rep. idcirco quia uel innocentes accuſari à malis ſæpe ſolent: maximè uerò neceſſaria, quia cùm non accuſantur iniqui, maximum tam illis, quàm bonis damnum infertur. Vnde accuſatores à Socrate laudantur, & eos etiam, qui uel parentibus, & cognatis non parcunt: modò crimina ſint proximorum, & patriæ ſaluti, & incolumitati ualde contraria. Verùm de accuſationibus, & inſcriptionibus, deq; aduocatis, & iudicijs, quomodo in ius uocandum ſit, & de ordine iudiciorum, iniuriarumq;, referti ſunt Iuriſperitorum libri, ad quos interdum confugere oratores debere moneo, ut & actoris, & rei, iudiciſq;, & patroni munus

 agnoſcant.

agnoſcant. Sed nos ad Ariſtotelem. Proponit ergo Ariſtoteles, quid agendum ſit, ubi quid egerit, oſtenſum fuerit: Abſolutis, inquit, duobus generibus cauſarum, tempus eſt, ad rationem iudicialem, *& reliqua.* ποιεῖσθαι τοὺς συλλογισμοὺς, *uel nos facere ſyllogiſmos, id eſt enthymemata, uel fieri ſyllogiſmos, quoniam ratiocinatio maximè competit cauſæ iudiciali: unde* Hermolaus *dixit*, Doceretq́ quemadmodum ad eam quoq́ partem accommodari conueniat inuentionẽ rerum, & ratiocinationem. Tria ſunt igitur perdiſcenda. P*roponit de quibus agendum eſt, ac dixit tria eſſe, quorum alterum ad agentem, alterum ad patientem iniuriam, tertium ad ipſammet actionem ſpectat: ex omnibus uerò docebit elicere propoſitiones. At ut omnia expoſita ſint, declarat hac prima parte, quid ſit iniuriam inferre, dicitq́;*, Iniuriam *eum inferre, qui contra ius uolens alterum lædit.* Hac *definitione poſita eius partes ordine declarat:* Diuidit *ergo ius in commune, & proprium.* Proprium *intelligit ſcriptam legem:* Commune, *quod omnes concedunt, & admittunt: ut, parentum obſeruantia, bonorum amici congratulatio. Sed tu de* Iu*ſtitia, &* Iure *lege primum* I*nſtitutionum, & rubricam primam* Digeſti *ueteris.* De V*oluntarijs autem, &* I*nuoluntarijs rebus diffuſius tractat* Ariſtoteles *in* Ethicis *libro tertio: ibi enim, de* Electione, V*oluntario, &* V*oluntate agit: hæc enim ſunt principia uirtutum, in his laus, in ijs poſita eſt uituperatio.* Nam *quæ inuiti, & nolentes agimus, aut uenia, aut miſericordia interdum digna ſunt: quæ uerò ſponte, ac electione facimus, præmio, uel pœna mereri ſolent.* Violentum *autem eſt, cuius principium aliunde uenit, ita ut is qui agit, aut patitur, nihil ſui habeat, nihilq́; conferat.* Conferre *autem aliquid ſui homines poſſunt, uel agendo, uel patiendo, cùm inclinatione aliqua feruntur in id, quod uel agunt, uel patiuntur. quapropter* V*iolentum omne illud eſt,*

quod

quod contra propenſionem, & appetitionem rerum fieri ſolet. Quòd ſi metu pœnæ, aut ſpe maximi præmij quis aliquod facinus egerit, is certe, quanquam uim quandam pati uideatur, uoluntate tamen quadam tacitò conſentit. Sed lege tu ſecundum Codicis rubricam x x. de ijs, quæ ui, metus'ue cauſa geſta ſunt. Sed cùm è malis turpiſſima quædam ſunt, quædam uerò non inſigni turpitudine notantur: fortè ueniam meretur is, qui cum grauiſſima paſſurus eſt damna, aliquid agit minus decenter. Sed mors ſemper magnis criminibus præferenda eſt. Iudicare autem quid pro quoq; patiendum, aut eligẽdum ſit, difficile eſt: at difficilius, ut inquit Ariſtoteles, ubi ratum id fuerit in ſententia permanere. Sed hæc melius ſuo loco, ubi etiam de ijs, quæ per ignorantiam fiunt, & de ijs, quæ ſponte fiunt pertractatur, & declaratur, an ea quæ irati, aut incenſi libidine agimus, ſpontanea ſint, nec ne. Hoc autem loco ſummatim, & per capita probabiliter agit. Quibus declaratis, oſtendit duas eſſe res, quarum cauſa homines conſtituunt contra ius lædere, & praua, inhoneſtáq; facere. Dicitq; eas eſſe Malitiã, & Incontinentiam. κακίαν uertit malitiam Cicero in tertio de Finibus, & turpes actiones, quæ oriuntur è uitijs: quas enim Græci κακίας appellant, uitia malo, quàm malitias nominare. & in Tuſcul. Virtuti contraria eſt uitioſitas: ſic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν uocant. nam Malitia certi cuiuſdam uitij nomen eſt, Vitioſitas omniũ. Malitia enim, ut inquit aliàs, eſt uerſuta, & fallax nocendi ratio: & malitia, quæ uult uideri ſe eſſe prudentiam, ſed ab ea diſtat plurimum. Vitioſitas ergo habitus eſt, aut affectio in tota uita inconſtans, & à ſeipſa diſſentiens, ut idem Tullius definit. Duæ igitur actionum turpium cauſæ ſunt, ut inquit Ariſtoteles, Prauitas, & Incontinentia: hanc rem probat, & probatam dimittit, oſtenditq; inductione omnia peruerſè acta

ad has

ad has cauſas referri oportere.

Crudeles ut ulciſcantur. πικροὶ *enim appellantur, qui uin-dictæ cupidi ſunt.*

Septem eſſe cauſas rerum humanarum.

CAP. XXVIII.

PRIMVM igitur enumeranda ſunt illa, quæ ſolent ab hominibus expeti: item ea, quorum euitandorum cauſa iniuſtè aliquid, & inhoneſtè inſtituunt facere. Nam certe conſtat eum, qui accuſare quempiam in iudicio conſtituit, ſcire & conſiderare debere, quot & quantæ ſint in aduerſario cauſæ, ut earum rerum gratia deliquiſſe uideatur, quarum cupiditate ſolet alter alterum lædere. Contrà, reum qui ſe tueri uult, intelligere, & exponere oportere, quot & qualibus cauſis, atq; ſuſpicionibus uacet, ut eius culpæ, cuius inſimulatur, uideri non poſsit affinis. Planè quicquid agimus, aut per nos ipſos agimus, aut non per nos ipſos. Earum uerò rerum, quas nõ agimus per nos ipſos, alias neceſſariò, alias fortuitò agimus. Ex ijs autem, quas neceſſariò agimus, alias ui agimus, alias ſponte naturæ. Ita fit, ut omnia, quæ aguntur à nobis, triplici genere contineantur, Fortuna, Vi, Natura. Et earũ rerũ, quas ipſimet gerimus, quarũq; opifices, & autores ſumus, quaſdam cõſuetudine facimus, quaſdam appetitione. Appetitio autem duplex eſt, una rationis compos, altera expers. Voluntas quidem eſt appetitio boni, cum ratione coniuncta: quia nemo uult, præterquàm quod ſuſpicatur bonũ eſſe. Expertes rationis appetitiones ſunt, Iracũdia, Concupiſcentia. Quò fit, ut ſeptem in uniuerſum cauſæ colligantur, unde omnis humana oritur, ac proficiſcitur actio. Fortuna, Vis, Natura, Cõſuetudo, Ratio, Iracundia, Cõcupiſcentia. Nã diſtribuere cauſas rerũ, quas homines

mines agunt,per ætates,aut habitus,aut huiuſmodi aliqua ratione partiri, & ſuperuacaneum, & ambitioſum puto.Quamuis enim accidat,& iracundos,& libidinoſos eſſe adoleſcentes, non tamen id agunt ætatis cauſa: ſed impetu appetitionum earum, quibus obnoxia eſt ætas illa.Item cùm diuites,pauperesq́; delinquunt,non ſunt in cauſa diuitiæ ipſæ, & paupertas:ſed libido, atq; cupiditas. Nam cùm accidat, ut pauperes ob indigentiam alienas opes concupiſcant, & diuites ob eam licentiam, in qua conſtituti ſunt, uoluptates minime neceſſarias perſequantur,neceſſe eſt,ut cauſa,& origo peccandi, non in paupertate, aut diuitijs,ſed in cupiditate, & libidine animi poſita,collocataq́; ſit.Eædem cauſæ habẽtur,propter quas iuſti, iniuſtiq́; agunt ea, quæ agunt. Similiter cæteri,qui ea,quæ faciunt, dicuntur per habitus aliquos facere. Quæcunq; enim geruntur à nobis, aut cõſilio & ratione gerũtur,aut impetu & affectione. Cęterùm quidam mores,& affectiones ſecundum quas agunt,habent bonas: quidam contrà malas. Sanè euenit illud neceſſariò, ut cuiuſmodi habitus ſint,eiuſmodi quoque actiones ſequantur: Temperatus enim beneficio eius uirtutis,qua eſt præditus,de uoluptatibus rectè ſentit, & bonas præterea cupiditates habet: Intemperatus è contrario,de eadem re peruerſe ſentit, & prauas cupiditates habet. Quamobrem huiuſmodi ratio diuidendi abdicanda tota eſt:conſiderandum tamen,quales quenq; mores perſequantur. Nam ſi candidus quidem,aut niger, magnus, aut paruus ſit aliquis, non eo ualet, ut certum ullum experimentum, aut ſignificatio morum illius, & uitæ ducatur,At ſi iuuenis, ſi grãdior natu, ſi ſenex, ſi iuſtus, aut iniuſtus eſſe dicatur, habebitur ſtatim apertum diſcrimen, & efficax argumentũ

ad mo

ad mores. Idem intelligetur ex rebus,quæ extrà ſunt poſitæ,quæq́ hominibus forte contigerunt,ea mutare, atq́ conuertere hominum mores, & inſtituta uiuendi ſolere:ut puta diteſcere,uel paupertate laborare. Intereſt etiam cùm quis fortunæ utitur ſecundis uelis, aut cùm aduerſis premitur. Verùm hæc poſterius exponentur: Nunc reliqua abſoluamus.

DANIEL BARB.

PRimum igitur enumeranda ſunt. *Quoniam neceſſe eſt mittere in plurimas ſuſpiciones eum, quem accuſamus, aut ab eiſdem eripere eum, quem tuemur: ratio poſtulat, ut ſciamus quot, & quantæ ſint, uel non ſint in aduerſario cauſæ, ut earum rerum cauſa deliquiſſe uideatur. Ad hoc igitur oſtendendum ſeptem eſſe cauſas rerum humanarum declarat, Fortunam, uim, naturam, conſuetudinem, rationem, iram, cupiditatem. Poſtea uerò hanc eſſe idoneam cauſarum diuiſionem probat, dum eos increpat qui per habitus, uel ætates diſtribuunt: quandoquidem reliquæ omnes cauſæ ad aliquam, uel aliquas harum ſeptem deduci queant. De habitibus præterea uel moribus iis,qui ætates ſequuntur, non negligenda tractatio eſt,quanquam per hæc cauſæ diuidi minimè debeant:magni enim refert,qua uitæ ratione,quáue ætate aliquis fuerit:quare in ſecundo libro,ubi de affectibus egerit, de moribus aget:hoc autem loco ſatis eſt has enumeraſſe humanarum actionum cauſas.*

Quarum cupiditate ſolet alter alterum lædere. τοὺς πλησίον,*proximos uertiſſet Tullius.*

Planè quicquid agimus. *Hic agit de cauſis efficientibus, & mouentibus:inferius aget de cauſis,quæ fines habentur.*

Nam diſtribuere cauſas rerum. προσδιαιρεῖσθαι *dixit Ariſtoteles,nam illud* πρὸς *Latini commodè uertunt etiam. Digreditur hoc loco Ariſtoteles & defendit cauſam ſuam,nonnulli enim*

nim ex ijs qui Rhetoricam *docebant, alias ſuperaddebant diuiſiones cauſarum, quod ſuperfluum iudicat* Ariſtoteles.

Aut huiuſmodi aliqua ratione partiri. ἢ ἀλλ' ἄτ]α, *id eſt, uel diuidere ſecundum alia, quæ in actione hominum ſunt conſtituta, ſiue paupertatem, & ſiue diuitias, quod ſtatim dicitur.* Item cum diuites, pauperesq́. Neq; *iuuentus, neq; ſenectus neq; habitus, nec quicquam aliud, præter ea ſeptem connumerata, cauſa eſt cur aliquid fiat: nam primæ & præcipuæ cauſæ iniquitatis ſunt ſeptem, aliæ nec ueræ, nec legitimæ ſunt.* Non *enim adoleſcentes idcirco intemperantes ſunt, quia in ea ætate ſint, ſed quia natura ſunt uel cupidi, uel iracundi: nec diuites, aut pauperes mali ſunt, propterea quia huiuſmodi ſit eorum fortuna, ſed uniuerſa uis ad mores eſt referenda: ad mores inquam, quos anima ex paupertate, uel diuitijs contrahit. Similis ratio de habitibus dicenda eſt, ad conſilium enim referuntur. Quare concludimus, has cauſas eſſe omittendas, aut ad priores referendas.*

Aut ratione geruntur, aut impetu, & affectione. πάθος *Ariſtoteles inquit, & intelligit* ἐπιθυμίαν, *id eſt, cupiditatem.*

Quamobrem huiuſmodi ratio abdicanda. *Reuertitur Ariſtoteles ad id, unde digreſſus eſt. Sed in omni iniuſtitia, ut inquit Cicero in Officijs, & reliqua, in primo lib.*

Definitio rerum, quæ à fortuna, natura, ui, conſuetudine, ratione, iracundia, concupiſcentia fiunt.

CAPVT XXIX.

ERGO Fortuita appellantur, quorum cauſa indefinita eſt, quæq́ nullius finis inſtitutione proueniunt: demum quæ neq; ſemper, neq; ferè, neque ordine ullo fieri ſolent. Atq; hæc omnia manifeſta, apertaq́ ſunt ex definitione Fortunæ. Naturalia dicuntur, quorum adiunctæ cauſæ ſunt, atq; in ipſis rebus inſertæ ordinatæq́. Proinde aut ſemper, aut plerunq; eodem modo pro

do pro

do proueniunt,quæ à natura proueniunt. Nam de his, quæ præter naturã interim proficiſcuntur, nõ eſt uehementer quærendum,utrum ipſa quoq; ad naturam aliquã,aut aliã cauſam, adiungi referriq́; poſsint:quanquã uideri poteſt huiuſmodi quoq; effectuũ cauſa eſſe fortuna. Vi facta intelligũtur,quæ cõtrà,quàm cupimus, aut cõtra rationẽ conſilij noſtri facere cogimur. Conſuetudine fieri uidentur, quæ idcirco facimus, quia sæpenumero fecimus. Cõſilio & ratione prouenire dicũtur, quæ cùm ex ijs bonis ſint, quæ ſuperius expoſita ſunt à nobis, non ſolùm conducere uidentur, ſed etiam eo animo facta ſunt, ut conducant: aut ita ut finis, aut ita ut res ad finẽ inſtitutæ, atq; collatæ.Dixitq́;, eo animo facta ſunt,ut conducant: quia intemperati alioquin facere ſolent aliquando quæ conducant: Sed quia non eo animo faciunt, neq; ad eam finem, ſed ad uoluptatẽ actiones ſuas omnes inſtituunt, non poſſunt uideri ratione,aut conſilio facere. Furore animi,& per Iracũdiam facta uidentur,quæ fiunt uindictæ reponendæ cupiditate. Differt autem ab Animaduerſione Vindicta, quod Animaduerſio conſtituitur gratia eius, in quem animaduertendum eſt: Vindicta uerò gratia eius, qui uindictam infert, uidelicet ad explendam libidinem ulciſcentis. Quænam autem ſint ea, in quibus iracundi uerſentur, aperiemus eo loco, ubi affectus explicabuntur. Per Concupiſcentiã agi intelligũtur, quæ uidentur iucũda eſſe, & uoluptatem afferre. Planè id in quo quiſq; educatus, aſſuetusq́; eſt, iucundum eſſe, ac uoluptarium oportet: ſunt enim multa, quæ tametſi ſua natura procul ſunt, atq; adeo aliena à uoluptate: ſi tamen in conſuetudinem admittantur, grata eſſe incipiunt, & fieri cum uoluptate. Sed ut hæc omnia breuiter complectamur,

plectamur,

plectantur, quæcunque per nos fiunt, aut Bona ſunt, aut uidentur bona: Voluptaria ſunt, aut uidentur uoluptaria. Cùm autem ea, quæ per nos facimus, uolẽtibus nobis, & ſponte facta dicantur, quæ uero non per nos aguntur, neque ſponte, neque uolentibus nobis intelligantur facta: neceſſe eſt ea, quæ ſponte fiunt à nobis, aut bona, & uoluptaria eſſe, aut bona, & uoluptaria uideri. Nam Malorum, aut quæ mala uideãtur, depulſionem, item plurium malorum in pauciora translationem, inter res iucundas, & uoluptarias pono: Maioris quoque mali deriuationem in minus, inter bona, & utilia colloco: quia hæc quoque optari, & expeti ſolent. Eundem ad modum, & euitatio moleſtarum rerum, aut earũ, quæ uideantur moleſtæ: item Alleuatio, uel Commutatio in genere uoluptatum conſtituendæ reponendæque ſunt.

DANIEL BARB.

ERgo fortuita appellantur. *Definit oratorio modo cauſas enumeratas, ac primùm de Fortuitis agit. Qui ergo caſu malè agit, uel bene, is nec ſemper, nec parte plurima id agit: nec huius iniquitas permanet, nec finis eius certus, & præfinitus habetur: ratio, quia fortuita omnia huiuſmodi ſunt, ut raro & temere eueniant. Contrà autem ſe habent, qui natura quicquam efficiunt: certa enim eſt ratio naturæ, certus & finis: & quæ natura fiunt, frequentiſſimè fiunt. Violentæ autem coactæq; actiones arbitrium quidẽ ſapiunt, certo enim tempore abſoluuntur, & rem certam oſtendunt: & licet initium earum ſit illata uis, uoluntarium tamen redolent. Sed certæ, & conſilio confirmatæ actiones finem habent certum, huncq; uel iucundum, uel utilem. de utilibus dictum eſt in genere ſenatorio. Iucunda, & uoluptatem afferentia hoc tractatu paulo inferius abſoluentur. De More, de Ira, de Cupiditate iam patet ex Ariſtotele: omnes enim qui aliqua ex ijs cauſis ad*

ſis ad iniurias impelluntur, uel ad utilitatem, uel ad uoluptatem oculos inijciunt. Si quis autem uoluerit accuratius, & copioſius de ijs certior fieri, is ad philoſophorum fontes accurrat, inde hauriet eorum propoſitiones, & oratorio more ipſas quantum fieri poterit, ſuaſibiles, & uendibiles facere ſtudebit.

Quid ſit Voluptas: & quot, qualiaque ſint uoluptatem afferentia. CAP. XXX.

PERDISCERE igitur oportet tum numerum, tum genus rerum, tam earum, quę utiles habentur, quàm earũ quæ iucundę ſolent eſſe, & uoluptatem afferre. Ac de utilibus quidem indicatum eſt ſuprà, cùm de ſuaſorijs ageretur. nunc de iucundis dicamus, & afferentibus uoluptatem. Cæterùm finiendis illis huiuſmodi adhibendus, & cuſtodiendus eſt modus, ut definitiones illæ admittantur à nobis, quæ neque affectata ſubtilitate, neque obſcuritate nimia laborent. Illud itaq; ſit initio conſtitutum, Voluptatem eſſe quandam animæ commotionem ſubitam, cum uehementi, & manifeſta propenſione inclinatione'ue accipiendi, perueniendiq; in ſuam cuique naturam. E diuerſo ratione in contrarium ducta intelligitur Dolor. Quòd ſi ea eſt natura uoluptatis, erit Voluptaria res efficiens eius affectionis: contrà res Moleſta corruptrix uoluptatis, & contrariæ inſtitutionis, & propenſionis efficiens. Quapropter neceſſe eſt Voluptarium, & Iucundum ferè ſemper eſſe, uerſari in eo, quò ſua quenque ducit, trahitq; natura: præſertim ſi ea, quæ ſecundum naturam fiunt, abſolutionem, perfectionem'que adhibito uſu acceperint. Etenim per ſe Iucundum eſt, quicquid in conſuetudinem eſt receptum: nam quod in conſuetudinem abijt, ferè inſitum, ac natiuum efficitur. Eſt enim conſuetudinis uis naturæ perquàm ſimilima: quia quod

ſæpe

ſæpe,& frequenter fit, proximum eſt ei, quod ſemper, & perpetuò prouenit. Frequenter fiunt, quæ ex conſuetudine, ſemperq́ à natura proueniunt. Item Iucundum eſt, quod non extorquetur ui, nam uis præter naturam eſt. Proinde Neceſsitas omnis ingrata, moleſtaq́ eſt. Vnde rectè cecinit Poëta quidam, Omnia, quæ cogunt, eſſe moleſta ſolent. Quo fit, ut Curæ, Solicitudines, Studia, poſtremò omnis inquies animi, atque intentio, moleſtiam afferant: quia neceſsitatem, & uim habere uidentur, niſi conſuetudine molliantur, atque ita iucunda, & grata incipiant eſſe. E contrario delectat Inertia, Remiſsio, Securitas, Ioci prę terea, Quies item, & Somnus, atque id generis cætera: quia hæc nullam habent neceſsitatem adiunctam. Item, Iucũdum eſt, in quod cuiuſq; cupiditas fertur. Eſt enim Cupiditas, Concupiſcentia'ue, appetitio iucundarum rerum, & afferentium uoluptatem. Concupiſcentiarum uerò aliæ ſunt expertes rationis, aliæ cum ratione coniunctæ. Voco Rationis expertes, quæ nulla præcedente exiſtimatione ſuboriũtur, & irruunt: cuiuſmodi ſunt cupiditates omnes naturales, ceu ex corporis deſiderio proficiſcentes: qualis eſt appetentia cibi, fames, & ſitis, & priuatim ſua ſingulis eſculentis auiditas, & in uniuerſum cupidines, incitamentaq́ gulæ omnia. Sed & ea quoq; naturalis cupiditas eſt, quæ ad rem ueneream pertinet, ac poſtremò ad omnes titillationes ex tactu. Naturalis eſt & uoluptas odoramẽtorum olfactui, & cæterarum rerum, quæ ad lenocinia ſenſuum, oculorũ, aurium, comparantur. Cum ratione cõiunctas intelligo cupiditates illas, quæ ex perſuaſiõe aliqua recepta proficiſcuntur: multæ enim res ſunt, quas & ſpectare, & poſsidere optamus, uel audiendo, uel aliqua ratione

alia inſtigari, perſuaſiq́; . Cùm uerò uoluptas omnis, oblectatioq́; poſita ſit in affectione quadam, tanquam perturbatione ſenſus: imaginatio autem, uiſio, cogitatio'ue ceu tenuis quidam ſenſus, & ſubobſcurus ſit: cùm item ſemper accidat, ut qui meminit, aut ſperat, imaginetur, & cogitet rem illam, quam meminit, aut ſperat: neceſſariò efficitur, uoluptates quoq; illas haberi, quas capiunt, qui uehementer recordantur, & ſperant: quia recordatio illis, & ſpes uice ſenſus eſt, & quodam quaſi ſenſu continetur, & conſtat. Proinde uoluptates omnes trifariam percipiuntur: Senſu, cùm res adeſt: Memoria, cùm præterijt: Spe, cùm futura eſt. Nam præſentia ſentiuntur, præterita recordamur, futura ſperamus. Ac præterita quidem ſolent eſſe iucunda, non ſolùm ea, quæ iucunda erant tunc, quum præſentia habebantur: ſed etiam plerunque, quæ grauia, & moleſta extiterunt, modò fortunatus, aut honeſtus exitus fuerit. Hinc illa orta ſunt uetera, Labores meminiſſe defunctos iuuat. Seruato exacti dulce eſt meminiſſe pericli. Poſt incõmoda, & ęrumnas memoria ipſa pœnarum, & rerum cum diſcrimine aliquo, aut dolore geſtarum oblectat: cauſa ea, quòd iucundum eſt, uel non habere malum. In ſpe poſitas uoluptates intelligo earum rerum, quæ ſi adeſſent, delectare, aut prodeſſe uehementer, uel ſaltem ſine ulla moleſtia uiderentur: omnino earum rerum, quæ, cùm habentur, delectãt, ferè iucunda eſt tum ſpes, tum recordatio. Quare iraſci quoque ipſum oblectat, quod & Homerus oſtendit, cùm inquit, Iracundiam eſſe dulciorem melle. Nemo quidem iraſcitur ei, quem ulciſci non poteſt: nam ijs, quorum poteſtati longe impares, atque inferiores ſumus, aut nunquam, aut leuius ſubiraſci ſolemus. Ac ferè

omnes

omnes quidem cupiditates aliqua oblectatio ſequitur. Siue enim recordamur ea, quæ olim conſecuti, adepti'que fuimus: ſiue ſperamus ea, quæ aliquando conſecuturi, adepturiq́ꝫ ſumus: utique aliquam ſemper uoluptatem uel in ipſa cogitatione percipimus. Quod quidem uidere licet in ijs, qui febre, aut morbo correpti, premuntur ſiti: ſolent utraque conſideratione lætari, & quòd bibituros ſe olim ſperant, & quòd bibiſſe aliquando recordantur. Sed & Amantes quoque ſcribendo, aut decantando amores ſuos, poſtremò mentione ipſa rerum, quas amant, uel ſola delectantur: quia in hunc modum ſuauitate eius memoriæ uſq; adeo perfruuntur, ut quaſi ſentire ſe, ac tractare delicias ſuas arbitrentur: atq; illud iam omnibus initium eſt amoris, cùm non modò præſente puella, quam diligunt, hilarantur, & geſtiunt: uerùm etiam abſentem recordati ſubinde deſiderio flagrant. Proinde & illud argumentum eſt, cùm quis ſubtriſtis fit abſente illa, quã deperit. Quid quòd in ipſo Luctu, ac Lachrymis ineſt quidã ſenſus uoluptatis? Nam mœror in eo eſt, quòd abeſt, aut deſideratus eſt ille, quem flemus: Voluptas in eo, quòd nihilominus flendo meminimus, & quaſi intuemur eum, qui abeſt, & res, quas geſſit, & qualis, quantusq;, dum uixit, fuit. Hinc illud ab Homero uſurpatũ eſt, Sic ait, & flendi dulcedine perculit omnes. Eſt & in Vlciſcendo quædam quaſi titillatio, atque uoluptas: nam id, quo fruſtrari moleſtum eſt, gratum & iucundum eſt indipiſci. Iratis autem uehementiſsimus contingere dolor ſolet, cùm decidunt à ſpe reponendi in eos, quibus irati, infenſiq; ſunt. Contrà grandis, & geſtiẽs oblectatio, cùm ſperant futurum, ut libidinem ſuam explere uindicando poſsint. Iucunda item res eſt, &

plena uoluptatis Victoria, non modo ĳs, quibus ea cura, atque ambitus eſt, ſed etiam omnibus: nam ſummum quiddam, atque egregium eſſe neceſſe eſt, quod paſsim ab omnibus magis, minus'ue concupiſcitur. Quòd ſi dulce eſt omnibus uincere, Ludos quoque gratos eſſe, ac periucundos oportet, ſiue illi gladiatorio genere, ſiue certamine muſico, ſiue contentioſo aliquo munere contineantur. Quoniam in iis ſæpenumero uincitur. Oblectant & tali, & pilæ, & teſſeræ, & luſoriæ tabulæ, ſimiliter & honeſti, ac liberales ludi. Intereſt tamen, quòd ex ĳs aliqui peritos tantùm, & aſſuetos oblectant, aliqui etiam non aſſuetos, cuiuſmodi eſt uenatio omnis, atque captura. Nam ubi dimicatio, ibi & uictoria eſt. Quamobrem concertatio illa iudiciorum & fori, non eſt omnibus iucunda: ſed exercitatis tantùm, atq; ĳs, qui ſuſtinere poſſunt. Honor quoque, & bona exiſtimatio inter res iucundiſsimas, & uehementiſsimè oblectantes habetur. Honores enim illi, quibus afficimur, uidentur quandã quaſi gignere opinionem in nobis de nobis ipſis illuſtrem, & candidam; ſcilicet tales eſſe nobis uideamur, quales haberi ab alĳs intelligimus: præſertim ſi eos, qui de nobis bene ſentire uidentur, ueridicos eſſe arbitremur. Veridici autem magis habentur proximi, quàm remoti: coniuncti nobis conſuetudine, quàm alieni: noti atq; ciues, quàm peregrini: præſentes, quàm futuri: ſapiẽtes, quàm ſtulti: multi, quàm pauci: utpote quos ueriſimilius ſit, quàm alios ſcire poſſe de nobis, & affirmare quæ ſciũt. Siquidẽ nemo eſt, cui curæ ſit, quid nam de eſſe opinentur, aut ſentiant homines, quos admodum contemnit, perindeq; ut pueros habet, ac belluas. Honorari quidẽ nos iuuat aliquando, uel ab ĳs, quos aſpernamur, ſed

alium

alium ad finem,nõ ipſius honoris,uenerationís'ue cauſa,aut eius opinionis, quam de nobis homines habere uidentur. Eſt & iucunda res Amicus,nam & Diligere iucundum eſt:nemo enim amator eſt uini, qui idem uino non gaudeat. Diligi quoq; periucundũ eſt: quia is,qui ſe intelligit diligi,ſtatim recipit perſuaſionem illam,uirũ bonum ſe putet eſſe:cuius quidem laudis cupiditate tanguntur omnes,qui eius rei ſenſum, & intellectum habent.Diligi uerò nihil aliud eſt, q̃ amari propter ipſum illum qui diligitur. Iucundum eſt etiam in admiratione hominum eſſe:quia ſcilicet hoc quoq; genus eſt honoris.Iucunda eſt & Aſſentatio, & Adulator ſuauiſsimus eſt auriũ comes.Eſt enim Adulator is, qui admirari res noſtras,& amare ſe fingit. Item iucundũ eſt eandem rem ſæpe facere:quia iucũdum eſt,quicquid in conſuetudinem receſsit. Contrà quoq; iucundum eſt deflectere interim à conſuetudinis tenore, quia natura per mutationes, & uices attingitur, & tenetur. Eidem porrò muneri,aut operæ incubare ſemper exceſſum,& ſatietatem gignit conſtituti iam comparati'que habitus. Proinde tritum illud uerìſsimè dicitur,In re omni dulcem eſſe uarietatem. Hac de cauſa iucunda eſt tum hominum conſuetudo,tum rerum,quæ habeantur ad tempus:nouatio enim uariatioq; ex præſenti habitu fit. ſed & alia quoq; ratione iucunda ſunt illa, quòd quicquid conſtat ad tempus ſolet eſſe perrarum. Addiſcere quoque,& admirari iucundum eſt ex parte magna: nam in admiratione deſiderium etiam diſcendi cõtinetur.Quapropter quod admirabile eſt,ſolet etiã deſiderari,atque optari.Diſcere uerò eſt naturæ perfectionem, ac numeros aſſequi. Item,Iucundum eſt dare,& accipere beneficium:nam accipere eſt conſequi id, quod quiſque ap-

n 4 petit.

petit. Dare autem eſt habere, atque abundare ijs rebus quas uterque concupiſcit, & appetit. Quòd ſi huiuſmodi beneficentia omnis, benignitasque oblectat: reliquum eſt, ut illud quoque iucundum ſit, de mortalibus bene mereri mortales: Mortalem erigere, & iuuare mortales: Perficere inchoata, reſtituere & inſtaurare defecta. Cùm antem diſcere, & admirari, & cætera id genus allicere animum, & oblectare uideantur: neceſſe eſt imitationes quoque rerum gratas, ac periucundas eſſe: picturas, ſtatuas, figmenta, & reliqua, ad repræſentationem rerum expreſſa. Quamuisque interim res illa, quam quis pictura, uel alio genere imitatur, iucunda non ſit: ſolet tamen imitatio ipſa, atque expreſsio periucũda eſſe, quia uidelicet non res illa, quæ fingitur delectat: ſed affectatio artis per quã efficitur, ut quaſi probatione quadam ratiocinationeque comprehenſa rei ueritas & demonſtrata uideatur: ita ut per hunc quoque modum perdiſcere aliquid ſubinde contingat. Sunt & ludi Fortunæ & rerum uicißitudines iucundæ: periculorum quoque euaſio deplorata ſalute, quia omnia hæc uidentur admirationem habere. Cum uerò naturalia omnia ferè oblectent, quæ uero cõgenera, cognataque ſunt, naturalia eſſe inuicem ſit neceſſe: relinquitur, cognata cognatis, ſimilia ſimilibus iucunda eſſe oportere, ut hominem homini, equum equo, adoleſcentem adoleſcenti: atque hinc ducta ſunt adagia illa, Gaudere pares paribus, æquales æqualibus: A' fera feram intelligi: Gracculum cum gracculo diuerſari, & reliqua, ſi qua in hanc ſententiam inuulgantur: Quòd ſi ſimili, & congeneri unaquæque res gaudet, hanc uerò cognationem, affinitatemque ſecum quiſque primum habet, & ſentit: neceſſarium eſt, ut ſibi potißimũ quiſque ſit carus, quãquàm ſunt, qui ſe magis

minus ue

minus'ue diligũt: nemo tamen ſit, qui cæteros plus q̃ ſe diligat: fere enim omnia hæc in ſe uno inuenit quiſq;. Cùm ergo ſeſe omnes ament, & diligant: neceſſe eſt, ut ſuæ quoq; res omnibus caræ, iucundæq; habeantur, tam opera, facta'que, quàm ſermones, & dicta: quamobrem magna ex parte aſſentatores omnibus placent. Ferè item omnes diligunt eos, à quibus coli, & amari ſe ſentiunt. Nemo propè dixerim eſt, cui cari non ſint honores, cari liberi: nam filij ceu opera noſtra habentur. Iucundum eſt etiam abſoluere inchoata, ceſſantiaq;: propterea quòd res, quæ perfecta non eſt, quaſi opus eius efficitur, qui manum extremam imponit. Cùm item dominari, imperitareq; iucundiſsimum ſit, etiam iucundum erit ſapientem haberi: nam ſapere uerò regale eſt, & quod uirum principem maximè decet. Eſt autem Sapientia multarum rerum, & admirabilium ſcientia. Item cùm ferè omnes honoris cupiditate tanguntur, neceſſe eſt iucundum uideri inceſſere alios, ac præeſſe: & in quo ſe quiſq; plurimũ ualere, præſtareq; ſe intelligit (ut Euripides inquit) in eo uerſari frequentius, eò properare, ac tẽdere, in eo plurimam diei partem abſumere: uti q̃ fieri poteſt optimus, conſummatiſſimusq; ſpectetur. Similiter cùm ludus, atq; omnis relaxatio animi, riſus item, & iocus, inter res feſtiuas, iucundasq; habeantur: neceſſe eſt iucunda quoq; eſſe ridicula, & iocularia omnia, homines, dicta, facta. Cæterum de ridiculis ſeorſum diſſeruimus aliquando, in libris uidelicet, quos de Poëtica ſcripſimus. Et de ijs quidem rebus, quæ uoluptuoſæ iucundę'que hominibus exiſtimantur, hactenus dixiſſe ſit ſatis: nam moleſtas, ingratas'que perſequi ſuperuacaneum eſt, cùm ex contrarijs locis, ac ſedibus facilimè intelligantur.

Atq; hæc ſunt ea, quorum cauſa homines iniuriam facere conſueuerunt.

DANIEL BARB.

PErdiſcere igitur oportet. *Niſi de utilibus tractaſſet Ariſtoteles in ſenatoria cauſa, iam locus is expoſceret, ut de illis tractaretur: attamen ea parte iam abſoluta, ad alteram uenit, in qua de iucundis, & ſuauibus, uoluptatemq; afferentibus agitur, ac primùm uoluptas deſcribitur: Voluptas eſt motus animi. Sed quia motus eſt multiplex, ideo ſubiunxit Ariſtoteles uerbum* κατάστασιν, *id eſt, conſtitutionem: huiuſmodi autem conſtitutio eſt, cùm non habetur rei principium, ſed temporis: quemadmodum cùm ſol mundum oriens illuſtrat, id repente fit, & momento, quare non rei, ſed temporis initium illuſtrationis habetur: idem afferas de coagulo. Cicero in de Finibus, Iucundum motum, quo ſenſus hiarent, Græcè* ἡδονὴν, *Latinè uoluptatem uocant.*

Perueniendi in ſuam cuiq; naturam. ὑπάρχουσαν φύσιν, *quantum præſenti naturæ conſentaneum eſt. Horat. innuit contrarium dicens, Quibus doleat natura negatis. Plato autem in Timæo de uoluptate loquens, Affectio, inquit, uiolenta, & præter naturam abunde ac ſimul nobis illata eſt, moleſtiam, & dolorem parit. Rurſus autem quæ naturæ conuenientiſsima eſt abunde ac ſimul in naturam reuertens, uoluptatem, ac ſuauitatem in animos illiqueſcit. Ecce quòd eodẽ nomine uſus eſt Ariſtoteles, quo antè magiſter ſuus Plato,* ἀθρόως. *At affectio uehemens cum facilitate illata, ſentitur quidem maximè, uoluptatis autem, & doloris minimè particeps. Huiuſmodi ſunt quæ ex aſpectu maximè proueniunt, & reliqua. Poſita definitione uoluptatis, nec affectata nec obſcura more ſuo ex ea quærit, quæ ſint ea, quæ uoluptatem afferunt. Ex quibus poſſunt elici moleſta, & iniucunda.*

Neceſsitas omnis ingrata. *Euripidium carmen pentametrum*

metrum.

Concupiſcentiarum aliæ ſunt expertes rationis. *Suprà cùm diuideret appetitum in eum, qui rationẽ ſequeretur, & eum qui rationis expers haberetur, cõnumerauit* ἐπιθυμίαν *inter appetitus irrationales, quare ſibi uidetur eſſe contrarius Ariſtoteles, ſed cùm duplex ſit* ἐπιθυμία, *ut hoc loco patet, intellexit ibi ſpeciem illam, quæ ad appetitum rationis expertem attineret: non enim tam breui ſpatio ſui oblitus eſt.*

Voco rationis expertes, quæ nulla præcedente exiſtimatione ſuboriuntur. μὴ ἐκ τοῦ ὑπολαμβάνειν, *quaſcunq; cupiunt, appetuntq; abſq; eo, quod prius aliquid cogitauerit.*

Qui uehementer recordantur, & ſperant. *Accidit enim quædam recordatio eius rei, cuius meminit, & ſperat. Quòd ſi cogitatio quidam ſenſus eſt, & delectatio, uoluptasq; in eo ſita eſt, ut affectionem ſentiamus aliquam: manifeſta ratio eſt, quòd & recordantibus, & ſperantibus erit uoluptas.*

Sed & quæ grauia, & moleſta extiterunt. *Verg. Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*

Modò fortunatus, & honeſtus exitus. *Cicero: Habet enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. Carmen uero illud, Seruato exacti dulce eſt meminiſſe pericli, Euripidis eſt. Cicero de Finibus: Nec male Euripides: concludam enim ſi potero Latinè, Græcum enim hunc uerſum noſtis omnes: Suauis eſt laborum præteritorum memoria, atq; illud iam omnibus initium eſt amoris. Senſus eſt, tunc primùm ſentiunt ſe amare, cùm non modò gaudent re præſenti, uerum etiam cum rei abſentis recordantur.*

Veridici autẽ magis habentur proximi, ꝙ remoti. *Vtputa, credendum magis eſt ſcribenti res ſui temporis, quàm præteriti.*

Contrà quoq; iucundum eſt deflectere, μεταβάλλειν *apud*

pud Ariſtotelem eſt mutari ἐς γὰρ φύσιν γίνεται μεταβ *id eſt, naturæ conſentaneum eſt, quod dixit Hermolaus, Quia natura per mutationes, & uices attingitur.*

Quãuisq́ interim res illa. Exẽplo *ſit annulus Mœcenatis, in quo erat rana efficta, quæ res ſuauis non eſt. Non enim inqt Ariſtoteles propterea lætatur, quia ſuaue ſit id quod imitatur. Sed eſt argumentũ quòd hoc, id eſt, rana efficta, illud ſit, quod imitatione expreſſũ eſt, id eſt, rana uera, quare accidit ut aliquid diſcamus. Diſcimus enim hanc eſſe ranã quæ in annulo inſignita eſt. Et quoniã diſcimus aliquid, gaudemus. Diſcere enim ſuauiſſimũ eſt. Item & illud,* In eo uerſari frequẽtius. *Prop. Eleg. prima ſecundi. Qua pote quiſq; in ea conterat arte diem. Carmina hæc à Platone citantur in Gorgia.*

Qui, qualéſue homines iniuriam facere ſoleant.

CAPVT XXXI.

NVNC dicemus, quo ſint animo, & quemadmodũ affecti tam qui iniuriã faciunt, q̃ qui iniuriã patiuntur. Ergo iniuriã facit, qui id, quod aggreditur, & effici, & à ſe effici poſſe ſperat, & ſi ignoratur cùm feciſſet, aut etiã ſi ignoratũ non eſſet, abſolui, uel pœna leui tranſigi, uel ex qua minus incõmodi conſecuturus, q̃ ex facto gaudíj uideretur, quod uel ſibi, uel íjs, quos amat, ex ea iniuria ſecuturũ, & prouenturũ credit. Quæ autẽ fieri poſſe, & quæ non poſſe uideãtur, docebimus pòſt, quia illa omnibus Rhetoricæ partibus cõmunia eſſe neceſſe eſt. Ergo illi maximè poſſunt impunè delinquere, qui tũ copia dicendi præſtant, tũ in rebus agendis induſtríj, actuoſiq́ ſunt. Itẽ qui certaminibus uaríjs aſſueti, plurimarũ contentionũ periti, multitudine amicorũ præpotentium, ac diuitum ſepti: huiuſmodi autẽ præſidia, facultatesq́, nõ ſolùm qui habent, plurimũ uidentur poſſe: ſed etiã íj, qui tales amicos habent, aut mi-

niſtros,

niſtros, aut conſcios, quibus illæ facultates adſint. Siquidem auxilijs ijs, ceu adminiculis quibuſdam & inſtrumentis muniti, poſſumus & facere inhoneſta, & ignorari feciſſe: & ſi intelligatur, etiamnum pœnam legum, & iudiciorum effugere. Sunt qui confidentius lædant amicos: alij licenter peccant, ſi beneuolos, amicosq́ iudices habeant. Nam amicus, quòd ab amico nihil huiuſmodi timeat, facilè tanquam incautus, atque imprudens opprimitur: & præterea ferè ſemper memoria iniuriarum, per reconciliationem extinguitur, antequam res ſciri, aut exire poſsit in uulgus. Iudices quoque ſæpe dant gratiæ: proinde aut planè in uniuerſum abſoluuntur, aut modicè, ac leuiter mulctantur. Latent quidem eorum maximè crimina, qui à ſuſpicione earum rerum, quarum inſimulantur, longiſsimè uidentur abeſſe: ut ſi infirmus, inermisq́, uerberaſſe robuſtum, armatum: aut ſi pauper, & deformis adulterium commiſiſſe dicantur. Sed & illa quoque præuideri non poſſunt, quæ frequenti loco atq; in propatulo admodum, oculisq́ omniũ perpetrantur: nã neq; cauere, neq; ſuſpicari ullus hæc ſolet. Demum illa euitari non poſſunt, quæ tanta, atq; talia ſunt, ut nemo ea quempiam facturum unquam fuiſſe dubitarit: quia hæc quoq; non præcauentur. Vt enim uſitata tantũ genera morborum cuſtodiuntur, non noua, quæ repente aliquando ſentiantur, & ingruant: ita ex iniurijs duntaxat obſeruantur, & defenduntur illę, quę plerũq; exerceri ſolent: non quæ aliquo flagitij perdito, inauditoq́ genere inferuntur. Planè quidã audacter peccant, quòd nullos inimicos habent: quidam contrà hoc ipſo, quòd multos. Nam qui nullas ſimultates exercent, facilè arbitrantur, latere poſſe quod peccant, quia ſcilicet eorum

errata

errata nemo obſeruat, quorũ nullus eſt inimicus. Qui autem multos habent, idcirco ipſi quoq; non temere uocantur in ſuſpicionem iniuriæ, quòd difficile credi- tur, eos uoluiſſe delinquere, qui ſtudioſiſsimè tot ab oculis, atque acerrimè obſeruantur: quodq; paratam habent defenſionem eam, inficiando à ſe fieri potuiſſe id, cùm tam acutè cuſtodirẽtur. Item promptiores ad delinquendum ſunt, qui in occulto delinquunt, ut ſi cõ- moditas, ſi locus, ſi expeditio facilis ad delinquendum: itemq; ſi deprehendantur, ſpes euadendi, aut retardan- di, aut corrumpendi iudicij. Sunt & qui tametſi nõ ſpe- rent euadere, peccant tamẽ, atq; uim afferunt alienis re- bus, quòd aut ui retenturos poſſeſsionẽ ſeſe credũt, aut in longũ protracturos: aut poſtremò ea ratione, quòd nihil quod perdãt, habent. Nõnulli quoq; ſunt ideo ad alienã iniuriã propenſi, quòd lucra, emolumentaq; tum certa, tum magna, & proxima intuentur. Iacturam ue- rò atq; damna, tum modica, tum obſcura, tum etiam re- mota, ac ueluti de longinquo proſpiciunt. In plenũ pa- ratiores ſunt, cũ pœna peccati par non eſt utilitati pec- candi, cuiuſmodi uidẽtur tyrãni eſſe. Omnino multi de- linquunt, cùm iniuria commodum aliquod uidetur af- ferre, pœna duntaxat probrum, ac dedecus. Sunt & è contrario aliqui, qui tunc peccant confidenter, cùm in- iuria ipſa laudem quandam continere uideatur, qualis eſt ea, quæ in uindictã patris, & matris affertur, quod Zenoni contigit; pœna uerò talis ſit, ut aut mulcta, aut exilio, aut aliquo huiuſmodi genere irrogetur. In- iuriam quidem utriq;, & utroq; modo faciunt: ſed non eodem animo, atque mente, quippe qui mores maxi- mè pugnantes, & cupiditates contrarias habeant. Effi- ciuntur Licẽtioſi, & quorum ſæpe numero errata latue

runt,

runt, & quorũ malefícia abierũt impunè. Sunt aliqui, q ea, quæ cõſequi iure nõ potuerũt, ceu deſperatione quadã, obſtinationeq́ animi, per iniuriã conantur eripere: quod quidã belli duces facere conſueuerũt, ut uicti ſcilicet ſæpius, profligatiq́ nihilominus uincẽdi ſtudio rapiantur in pugnã. Procliues quoq́ ad delinquendum ſumus, cùm uoluptas præſto eſt: moleſtia olim, poſteriusq́ expectatur. Item cùm lucrum propè, atq́ in manibus habetur, iactura uerò eminus poſita eſt. Huiuſmodi ſunt incontinentes omnes: intelligo autem incontinentiam uerſari in omnibus rebus, quas homines immodicè concupiſcunt. Sunt qui contrariam rationem ſequantur, iacturamq́ aut moleſtiam præſentis alicuius incommodi perlubenter ſubeant, uoluptate, aut utilitate è longinquo proſpecta: atq́ hæc eſt prudentium uirorum, & continentium uirtus. Facilius & illi, qui uel fortuitò, uel neceſſario erraſſe uideri poſsint. Item qui id, quod committunt, habent, quo uel in naturam, uel in conſuetudinem referant. Omnino omnes pronius delinquunt, ſi peccare ſe tantum, non etiam iniuriam facere probare poſſunt. Quidam iniqui ſunt, quatenus æquum ferant. Porrò ut quiſq́ indiget alicuius rei, ita quoquo modo inſinuat ſeſe, & ad eam comparandam affert quancunq́ uim poteſt. Duplex uerò eſt Indigentia: nam aut huiuſmodi habetur, qualis eſt indigentia pauperum, uidelicet neceſſariarũ rerum, & uictus. Aut huiuſmodi, qualis eſt diuitum, uidelicet abundantiæ copiarum cuiuſdam, & cumuli. Peccant, & admodum clari, & uehementer obſcuri: alteri, quòd deſperant emergere: alteri, quòd putant ſe nihilo magis claros, atq́ illuſtres fore. Atq́ in hunc modum ſe habent, ij qui parati ſunt iniuriam afferre: Nunc tertiam rem, ut

polliciti

polliciti ſumus, aggrediamur exponere.

Quibus, qualibúsue hominibus fieri iniuriæ ſoleant.
CAPVT XXXII.

IIS ergo iniuria ſolet afferri, qui habent ea, quorum alij indigent: ſiue illa neceſſaria ſint ad uictum, ſiue ad abundantiam copiarum, ſiue ad uſum, fructum'ue aliquem, ac uoluptatem. Præterea ſolet interim uicinis, interim remotis iniuria fieri. Vicinis, quòd ea ratio expeditior, & compendioſior habetur: Remotis, quòd pœna tardius exoluenda eſt: ut ſi quis Carthaginienſes depopuletur. Iam incauti, & incuſtoditi, & creduli: quippe qui omnes facilè decipiantur, circumueniantur'que. Segnes quoque, ac reſides: quia eum, qui paratus eſt reſiſtere, ac tueri ſeſe ab iniuria, oportet præſentem animo, & diligentem eſſe. Verecundiuſculi quoque expoſiti, atque obnoxij ſunt iniuriæ, quoniam dimicare pro quæſtu erubeſcunt. Item ij, qui multipliciter, atque undique læſi, oppreſsique, contraſtare, ac repugnare nō audent, ceu iniuria omnium addicti, & quod in prouerbium dicitur, Myſorum præda. Item iniuriam ſentiunt ſæpiſsimè ex inſperato tam ij, qui nunquā, quàm ij, qui frequenter lædi conſueuerūt: quia facile eſt utroſque tanquā inopinantes ac ſecuros opprimere. Nam alteri, qui nūquam ſunt læſi, nullam uexationem uerētur: alteri, qui ſæpe læſi ſunt, arbitrantur finem iniuriarum eſſe factū. Item criminoſi, ſuſpecti, & qui facilè in inuidiam uocātur: quia neque adire, appellareque iudicem audent, quem reformidant: neque perſuadere poſſunt, quem infenſum, & inuidum habent, cuiuſmodi ſunt omnes quibus inuidetur, & qui odio multis habentur. Sunt qui eos lædant, aduerſus quos occaſionem aliquam habent, ſiue aduerſus maiores eorum, ſiue aduerſus amicos, qui

ſe aut maiores ſuos, aut eos, quos diligunt, affeciſſe iniuria, aut afficere uoluiſſe dicātur. Nam malus animus, ut in prouerbio eſt, occaſionem ſolam quærit. Inferuntur & iniuriæ tum amicis, tum inimicis: quòd alteros facile, alteros iucundum ſit lędere. Inferuntur & ijs, qui amicos non habent, quiq́; neq; dicendo, neq; gerendo ualent: ij enim aut obſtare non audēt, aut ſi audent, facilè conciliantur: aut ſi conciliari non poſſunt, nihil tamen omnino aſſequuntur. Inferuntur & ijs, quibus utile nō eſt opperiri iudicis animaduerſionem, aut expectare tempus ulciſcendi, quales ſunt aduenæ, & operariorum, ſiue opificum genus, nam & quæſtu quamlibet tenui leniuntur, & ab actione iniuriarum facilè tędio [illegible]ium reuocantur. Inferuntur & ijs, qui ſæpiſsimè alijs iniuriam intulerunt, præſertim uerò tales accipiunt, quales ſolent inferre: eſt enim propè, ut non ſit iniuriam facere, cùm cui talis iniuria affertur, qualem ſolet afferre: ueluti cùm moleſtus aliquis, & qui iniurius eſſe alijs conſueuerit, in cerebroſum incidit, à quo cędatur. Inferuntur & ijs, qui malè fecerūt, aut qui facere uoluerunt, aut uolunt, demum facturi qui ſunt: nam hoc & iucundum, & honeſtum habetur: præterea in ea ferè cauſa eſt, ut nulla fieri iniuria uideatur. Inferuntur & ijs quorum offenſionem, aut amicis, aut ijs, quos admiramur, diligimus'ue, aut heris, ac principibus noſtris gratum exiſtimamus fore. Poſtremò ijs, quibus cum uiuimus: Præterea ijs, quibus facilè remitti nobis illas & condonari ſolere cognoſcimus: Præterea ijs, in quos inuecti ſumus, & quibus cum diſsidij, ſimultatisq́; cauſæ aliquæ præceſſerunt: quod quidem dicitur Calippus in Dionem feciſſe: hoc enim ſine iniuria ferè ulla, ac ſcelere fieri poſſe arbitrātur. Fiunt & illis ſæpe-

numero iniuriæ, quos nihilominus alij ſint oppreſſuri, niſi occuparimus ipſi, manusq́ priores iniecerimus ipſi: idq́ ſpeciem illam habet, quaſi dempto conſilij, & ſalutis loco, nihil interſit à quo planè quis pereat. In hāc ſententiam ferè tendit illud, quod Meneſidemus fertur Geloni ſcripſiſſe, cùm is Cottauia oppidum depopulari feciſſet: Occuriſti, inquit, Gelo, præueniſtiq́: alioquin tu quod feciſti, eram idem ipſe facturus. Interim læduntur illi, ex quorum iniuria ſequi poſſunt pleraq́ tum honeſta, tum iuſta. Quando uidelicet offenſiuncula illa, aut facilè reponi, aut leuiter aboleri, perſanariq́ poteſt: qua in re nobis Iaſonis Theſſali uerba adſtipulantur: Oportere, inquit, aliquando iniurium, & nocentem eſſe, ut multa exinde proficiſcantur, & ●iantur iuſta. Ea quoq́ delicta libenter incurrimus, quæ committi ab omnibus, aut à plurimis uulgò conſueuerunt: utpote quæ iure tuta, ignoſcendaq́ uideantur. Item in ea, quæ facilè occultantur: quo in genere ſunt furta earum rerum, quæ breui conſumūtur, quæq́ ſeruando ſeruari non poſſunt, ut edulia. Item earum, quæ facilè poſſunt, aut figura adulterari, aut colore mutari, aut mixtura, & compoſitione confundi. Item earū, quæ commodè pluribus locis abdi, ac recondi poſſunt, cuiuſmodi ſunt onuſcula leuium rerum, & minimum occupantium, & obſidentium loci. Interuertūtur etiam facilè ea, quorum ſimilima alia, & diſcrimine nullo euariantia habentur, ab eo qui interuertit, & abſtulit. Fiunt & confidenter iniuriæ illæ, quas deferre, ac propalare erubeſcunt ij, quibus afferuntur, ut ſi uxori, ſi ipſimet, ſi liberis illata ſit uis. Illæ quoque paſsim iniuriæ exercentur, quas qui proſequitur, contentioſus, & litigioſus, & plane agitator habeatur: quando ſcilicet

paruo

paruo ſunt momento, & quibus facilimè ignoſcatur. Ac quemadmodum quidem affecti homines iniuriam inferrent, & quibus, & quam ob cauſam, quæ omnia retro polliciti fueramus exponere, ſatis ferè dictum, & explicatum uidetur.

DANIEL BARB.

NVnc dicemus. *Sequitur ordinem ſuum Ariſtoteles, diuidit autem partem hanc in duas. Primò declarat, quomodo poßit iniuria fieri: deinde qua ratione qui iniuriam fecerit, latere poßit: ſunt autem omnia per ſe expoſita. Cicero de Finibus: Item ſi modeſtia, ſi pudicitia, ſi uno uerbo temperantia, pœnæ aut infamiæ metu coërcebuntur, non ſanctitate ſua ſe tuebuntur, quod adulterium, quod ſtuprum, quæ libido non ſe proripiet, ac proijciet, aut occultatione propria, aut impunitate, aut licentia?*

Item qui certaminibus uarijs ſunt aſſueti. *ἀγὼν nõ modò confirmationem & cõfutationem ſignificat, ſed locum ubi iudicia exercentur. Reliqua ſunt per ſe facilia.*

Miſorum præda. *Adagium ab Eraſmo expoſitũ ex Ariſtotelea ſententia.* Διαβεβλημένοι *dicuntur, qui aduerſa conflictantur fama, & facilè calumniam ſubeunt: huiuſmodi non audent accuſare, tum quia timent iudices, tum quia ſe perſuadere poſſe non putant.*

Calippus. *Calippus, ut refert interpres, amicus Dioni fuit, quem Dionyſius interfecit, quare Dionyſium Calliæ detulit: & cùm uideret, non poſſe ſe cauſam obtinere, Dionyſium interfecit, atq; ita mortem amiciſſimi Dionis ultus eſt.*

Cùm is Cottauia oppidum. *Vult interpres* κοτάβια *eſſe genus ludi, quo in cœnis utebantur antiqui, dum phialæ collum melius ſonum mittere facerent, nam qui aptius id feciſſet, amaſiæ rem gratiorem faciebat: de hoc Ariſtoph. meminit.* κότταβος *eſt apud ipſum numero unius. Sed melius Hermolaus:*

nam ſenſus nullus elicitur ex priori ſignificatione.

Sicut duplex Ius, ita duplex Iuſtum eſſe. Item Ius alio modo duplex eſſe. CAP. XXXIII.

NVNC ad ipſa negotia tranſeamus, quæ iure, uel iniuria continentur. Atq; inde initium protinus auſpicemur. Omne iuſtum, iniuſtumq; duobus iuribus præfinitur, quorum utrunq; æſtimatione eorum, quibus illa adminiſtrãtur, duplici ratione præſcribitur. Appello iura duo, alterum Priuatum, alterum Commune. Priuatum eſt, quod ſibi quæq; ciuitas ſanxit. Huius duę ſunt ſpecies, Scriptum, & Non ſcriptum. Commune ius eſt, quod natura conſtituit. Eſt enim quædam apud omnes gẽtes naturalis, & publica æqui, & iniqui notitia, etiam ſi nulla inter ſe legum ſocietate, conuentione'ue tenerentur: quod quidem uidetur Antigone Sophoclis oſtendiſſe, cùm Iuſtum eſſe ait, interemptum humari Polynicen, quòd is honor, eaq; pietas naturali iure debeatur: nam Quod ita fas eſt (inquit) non nunc, heri'ue fuit, ſed uiguit, uixitq; ſemper, nec quando cœperit eſſe, intelligere quiſquam poteſt. Idem intellexit Empedocles, cùm ſuadere conaretur, fas non eſſe animãtem ullam interfici, his uerſibus, Non hoc fas uni eſt, ſcelus alteri, at omnibus idem Legitimus tenor eſt, & regula fuſa per amplum Aethera, & immenſæ ſpatioſa per æquora terræ. Quod in Meſeniaco Alcidamus cecinit. Diximus iuſtũ iniuſtumq; duobus iuribus præfiniri: nunc, quod ſequens eſt, dicemus, quemadmodum reſpectu habito eorum, quibus cum nobis res eſt, duplici ratione deſcribatur. Ergo cùm ea, quæ facere debemus, aut non debemus, interim uniuerſam Rempu. interim ſingulos ſpectent: neceſſarium eſt ut illa duplici æſtimatione uideãtur iuſtè, iniuſte'ue fieri, hoc eſt, ex ęſtimatione uni-

uerſalis

uerſalis, & ſingulorũ. Exempli gratia: Qui adulterium commiſit, aut uerberibus cecidit, certum quempiam offendit: Qui uerò militiam detrectat, aut locum in acie deſerit, uniuerſam Remp. lædit.

DANIEL BARB.

NVnc ad ipſa negotia tranſeamus. *Nunc agit de rebus ijs, quæ quando inſunt, uel non inſunt, factam, aut non factam eſſe iniuriam declarant: quare animaduertere oportet, qua ratione hac quoq; in parte propoſitionibus abundemus. Viſus autem eſt tria propoſuiſſe, quatuor tamen exequitur: ſed non eſt mirum, quia pauca nimis de ipſo negotio erant dicenda. Loquitur autem modò ſua ex ſententia, ſuprà aliorum opiniones cõſectatus eſt, ideo fortè uarius apparet. Agit autem de Iure, & de Iuſto, breuiter tamen: ſed ita, ut etiam cauſarum conſtitutiones intelligas. Reprehendunt enim nõnulli Ariſtotelem, quòd non fecerit mentionem de Statibus. Ii fortè aut noluerunt animaduertere, aut neſciuere ex ſuis uerbis elicere, quæ ad ſtatus pertinent: nam ſi Coniecturam quærimus, nihil melius nos in coniecturas rerum actionumq; deducet, quàm ſemita illa, quæ nobis ſuperius eſt demonſtrata. Si de Iure ambigimus, quod fit, cùm factum fatemur, ſed iure factum defendimus: quid magis clarè hanc rem expedit, quàm hoc totum negotium? Ac demum de reliquis conſtitutionibus apertè ferè loquitur Ariſtoteles, cùm qualitates, naturasq; rerum, & iniuriarum oſtendit.* Nam quod hoc loco intendit *Ariſtoteles, eſt, oſtendere, quæ nam res ſub ipſo iure collocentur, ut & accuſare, ſi contra ius, & defendere, ſi iure factum ſit ualeamus. Sed quoniam hoc fieri non poteſt, niſi adhibita iuris definitione, uel partitione aliqua illuſtri: ideo ſapienter ius diuiſit, diuiſasq; partes definiuit: ut poſtea prudens animus à definitione concludat, quæ nam ſint iure facta, & quæ contra ius. Nam cuicunque aptari definitio poteſt, ad idem quoque de-*

finitum accommodatur. Diuiditur ergo ius, diuiſumq́; definiuit, & duæ iuris comparationes breuiter explicantur. Ius eſt aut Publicum, aut Priuatum. Priuatum eſt, quod ſibi quæque ciuitas ſanxit. Quare ſi negotium erit contra priuatas ciuitatum ſanctiones, illud contra ius erit. Commune ius eſt, quod natura conſtituit: hoc æternum erit, & immutabile. Nam talis effecta res eſt, qualis efficiens: cùm igitur natura æterna ſit, & immutabilis, ideo eius effecta æterna erunt, & immutabilia. Ergo ſi quis quicquam egerit contra id, quod natura conſtituit, is contra ius feciſſe, & iniurioſe egiſſe arguetur. Prima comparatio iuris eſt, ſi ab uniuerſa ciuitate pendatur, ut locum deſerere, patriam prodere, nummos adulterare, uectigalia hoſtibus ſubminiſtrare, & huiuſmodi: res enim public. læditur. Secunda comparatio ad priuatas perſonas refertur, ut adulterium, furtum, damnum, mors: quare orator hæc omnia conſiderabit, ut qualitates criminum agnoſcat. Sed de Iuſtitia, & Iure referti ſunt legumlatorum libri. Ariſtoteles autem in quinto Ethicorum de Iuſtitia loquitur, cuius nos breuiter intentionē aperiemus. Iuſtitia ergo eſt habitus, quem qui poßidet, iuſtus appellatur, & propter quem iuſta uolumus, & iuſta agimus. Hæc aut Vniuerſalis eſt uirtus, aut Propria: Vniuerſalis eſt illa, quæ in legum obſeruatione poſita eſt: hæc amplectitur omnem probitatem, & omnibus uirtutibus eſt communis: quare qui legitime agit, iuſtus eſt, & omnia quoque legitima iuſta ſunt. Diuiſa autem Iuſtitia legalis eſt ſecundum Rerump. ſtatus, ita ut ad fines cuiuslibet ſtatus accommodari debeat. Omnes enim leges utilitatem, & commodum eius Reipub. quærunt, cuius cauſa inſtituuntur: nam ſiue ſit Reſpublic. ſiue regnum, ſiue alius ſtatus, ſemper legislator ſuas leges ſanciet ad propriam cuiuſque rationem accommodatas. Quò fit, ut præclariſsima uirtutum habeatur hæc Iuſtitia, quando uirtutibus

bus omnibus imperet: nam præcipit forti uiro, continenti, temperato, & modeſto: illi, ne aciem deſerat: huic, ne in libidinem profuſus uoluptati ſe dedat. Hæc iurgia coërcet, contumelias amouet, tranquillitatem parat, & ſplendore ſuo noſtras mentes illuſtrat: neque Heſperus, neque Lucifer tam admirabiles ſunt, quàm legum obſeruatrix Iuſtitia: quæ ſi ad alterum conferatur, Iuſtitia eſt: ex ea uerò parte quatenus habitus eſt, boni efficiens, Virtus meritò nuncupatur. Sed hæc uniuerſalis & communis Iuſtitia eſt. Particularis autem, & propria, quam multis rationibus eſſe probat Ariſtoteles in præallegato loco, duas habet partes: altera in diſtributione conſiſtit, uel honoris, uel pecuniarum, uel aliarum rerum, quæ inter eos partiri poſſunt, qui ciuili ſocietate continentur: Alia eſt in commercijs hominum emendandis. Quæ ſi ex utraque parte conſenſum exhibet, ſiue uendantur, & emantur, ſiue permutentur res, Spontanea, & Voluntaria nuncupatur: quæ res etiam in fideiuſsione, & in uſu, & in depoſito, & in conductione cernitur, quando quis ſponte alienum ſubit nomen, aut uſum rei ſuæ alteri cōcedit, dominiū eius ſibi reſeruans, aut apud aliquem rem ſuam cuſtodiendam ſinit, uel precio alienæ rei uſum ſponte accipit. Si uerò clàm perpetratur, inuitis hominibus fieri ſolet, ut dolus malus, fraus: uel uis, ut uincula, raptus, contumelia, oppreſsio, & alia quæ per uiolentiam patiuntur. Sed nolo hoc loco difficilimam rem, nec neceſſariam declarare, quo ſcilicet medio iuſtitia pendatur, quæ ratio, quæ proportio ſit, & quomodo æqualitas ea intelligatur, ſiue in diſtribuendis, ſiue in commutandis rebus: ſatis eſt uniuerſalem iuſtitiæ partitionem feciſſe, & digitum ad fontes intendiſſe. Nunc ad rem noſtram: Iuris partes ſunt natura, lex, conſuetudo, iudicatum, æquum, & bonum, & pactum. Naturæ ius partes habet ſex, ueritatem, gratiam, obſeruantiam, pietatem, reli-

gionem, uindicationem. Lege in ſcriptoribus harum partium definitiones.

Quid ſit Iniuria affici. Item qui factum fatetur, non tamen intentionem accuſantis, definitione uti.

CAPVT XXXIIII.

HIS ita poſitis, atque comprehenſis diſtinctione illa, ut quædam facta ciuitatem uniuerſam, quædam ſingulos tangunt: ad reliqua pergemus, ſi tamen prius expoſitum fuerit, quid ſit Iniuria affici. Ergo Iniuria affici, eſt iniuſtam rem aliquam pati, quam quis ſponte, ac uolens infert. Nam & ſuprà oſtenſum eſt, iniuriam facere eos, qui eam uoluntarij faciunt. Quoniam igitur neceſſe eſt eum, qui ita iniuriam patitur, non lædi modò, ſed etiam inuitum lædi: ſcienda ſunt non ſolùm ea, quæ ledant, & noceant, uerùm etiam ea, quæ fieri ſponte dicantur. Ac de ijs quidem, quæ lædunt, & nocent, ſatis explicatum arbitror eo loco, ubi de rebus bonis, & malis mentio habita eſt. Sed & id quoque ſuperius eſt declaratum, quid nam uidelicet ſit, ſponte aliquid facere: quippe cùm definitum ſit, ea fieri ſponte, ac uolentibus nobis, quæ à ſcientibus, & prudentibus fiant: itaq; neceſſe eſt, omnia crimina uel contra Remp. eſſe, uel contra priuatam alicuius utilitatem. Item aut eo ignorãte, qui peccat, aut inuito, aut uolente, & prudente committi. Rurſus ea, quæ uolens quis, & prudens peccat, aut conſilio, & deliberatione peccati, aut ui, atque impetu animi. Ac de impetu quidem animi poſterius habetur mentio, cùm de perturbationibus, affectionibusq; dicetur. At res, quas homines optant, & conſilio deſumpto proſequuntur: item quemadmodum compoſiti, inſtitutiq; proſequantur illas, ſuperius abundanter expoſui. Quia

uerò aliquando ita iudicio conſiſtitur, ut is, cui quid obijcitur, factum quidem fateatur, ſed neget eã uim habere, atq; id eſſe, quod aduerſarius criminatur: ut, Suſtuli, ſed non furtum feci: Percuſsi, ſed non iniuriam feci: Cubiculum inij, adulterium non cõmiſi: Furtum feci, non feci ſacrilegium: nihil enim de rebus ſacris attigi: Eripui, depeculatus non ſum: Colloquia cum hoſtibus habui, non prodidi. Quia ergo interdum huiuſmodi incidunt cauſæ, operæpretium eſt complecti ſingula finitionibus, ut intelligatur, quid ſit Furtum facere, quid Sacrilegium, quid Adulterium: ita fiet, ut cùm alterutrum docere iudicem uoluerimus, ueritatem oſtendere, & partes noſtras tueri ualeamus. Planè omnia hæc in ea controuerſia uerſantur, ut cognoſcatur, iniuſtus, & prauus, an non iniuſtus quiſpiam ſit habendus. Nam iuſtitia, & malitia ex animi conſilio, atq; propoſito pendet. Nomina uerò illa, furtum, iniuria, contumelia, ſacrilegium, peculatus, ſignificant præfinitam, & conſtitutam animi deliberationem, quam Proæreſim uocant: nõ enim ſimulatq; percuſsit alterũ quiſpiã, propterea etiam iniuriam, aut cõtumeliam intulit: ſed ſi aliquo conſilio, aut gratia alicuius rei percuſsit, cuiuſmodi eſſet, ſi animo dehoneſtandi illũ, infamãdiq;, aut uoluptatis ſuæ cauſa percuſsiſſet. Neq; omnis itẽ, qui clàm rẽ alienam contrectat, continuò exiſtimandus eſt fur: ſed qui uoluntate nocendi, & poſsidendi pro ſua ſurripuit. Eadem taxatio inuenitur in cæteris id genus.

DANIEL BARB.

HIs ita poſitis atque comprehenſis. *Quoniam contrariorum eadem inſtitutio eſt, ideo definiturus Ariſtoteles quid ſit Iniuria affici, meminit eius definitionis, quam ſuprà poſuerat de eo, quod eſt Iniuriam inferre: mox oſtendit*

aliam conſtitutionem, quæ ſumitur à definitione: Factum enim ſæpe fatenur, non tamen intentionem accuſantis, ſed ad rerum oppoſitarum definitiones currimus. Ecce tibi, Suſtuliſti: Fateor. Ergo furtum feciſti: Nego. Percuſsiſti: Percuſsi, ſed non attuli iniuriam. Quare qui hæc omnia oſtendere uoluerit, opus eſt, ut in rebus definiendis, uel deſcribendis maximè exercitatus ſit: ſecernet enim definiendo rem unam ab alia, furtum à ſacrilegio, ſublationem à furto, colloquium à proditione, uoluntatem à ui, naturam à uoluntate, & huiuſmodi alia leniet, quæ grauiora ab aduerſario fieri ſolent. Sed de hac conſtitutione facilis res eſt, & penè trita apud ſcriptores artis, Fabium, Ciceronem & alios. Sed neget eam uim habere, atq; id eſſe quod aduerſarius criminatur. ἐπίγραμμα accuſatio & inſcriptio, id eſt, quod ſcriptum eſt in accuſatione, ut, accuſo te furti.

De Aequo & Bono, quod ſit, & quale per exempla.

CAPVT XXXV.

QVONIAM uerò iuſtarum, & iniuſtarum rerum duæ ſpecies habentur, quarũ altera ſcripto, altera non ſcripto contineatur: cumq; de ea, quæ ſcriptis legibus conſtat, dictum ſit: nunc de ea dicendum eſt, quæ uerſatur in iure non ſcripto. Hæc duas partes habet: una eſt earum rerum, quæ magnitudinem, & excellentiam uirtutis alicuius, aut uitij præſeferunt: ex quibusq; aut probra, dedecora, infamię: aut contrà, laudes, honores, præmia, donaria conſequũtur: cuius generis ſunt illa, Habere, referreq; bene facientibus gratiam: opem amicis, egentibus auxilium ferre: & huiuſmodi cætera. Altera uerò pars iuris non ſcripti, ad eas cauſas pertinet, quæ à priuatis, ſcriptisq; legibus, prætermiſſæ indefinitæq; ſunt: nam Bonum & Aequum, negari non poteſt iuſtum eſſe: quod autem de Bono & Aequo eſt,

neq;

neque legibus,neque ſcripto cõprehenſum eſt. Hoc uerò accidit interim inuitis,atque nolentibus ŋs,qui leges tulerunt:interim uolentibus etiam, atque prudentibus: Nolentibus tunc, cùm ignorant ea, quæ poſſunt accidere:uolentibus tunc,cùm ſciunt omnia,niſi generaliter cõprehendi ſcripto non poſſe:ita ut quanquam incidere poſsint cauſæ,quæ legum illarum conſtitutionem non ſequantur,ſatis tamen præſtare, & commodiſsimè facere intelligatur is,qui leges ſcribit ad ea, quæ plerunque ſolent accidere.Prætermittuntur etiam multa conſultò, quorum ſpecies conſequi omnes non tam difficile eſſet, quàm infinitum:ut, ſi non modo uulnera taxarentur, ſed & ferrũ: & tum modus, & magnitudo, tum genus ferri, quo uulnus eſſet illatum. Multiplicari enim hæc inquantũ libet poſſunt,ac deſerat uita citius,quàm enumeres omnia.Quare ſi ratio hæc omnis incerta, infinitaq́ eſt: leges autem ſcribere, ac ſtatuere ſumma uitæ neceſsitas cogit: neceſſe eſt, ut uerba earum ſimpliciter, atque in uniuerſum cõcipiantur.Quamobrẽ ſiquis ducto pugno, aut manu ſublata ferreo anulo percutiat: quanquam uerba ſcriptæ legis intuentibus apertiſsime reus eſt, & iniuriarum tenetur:re tamen uera nullã iniuriam intulit,utique ſi bonũ,& æquum ſpectaueris. Quòd ſi huiuſmodi eſt, quod appellamus Bonum & æquum, manifeſtum eſt, illud quoque æquum haberi, ut errata non æſtimentur tanti, quanti æſtimetur iniuria. item ut pluris errata,quàm ea,quæ aduerſa fortuna contingũt. Dicũtur aduerſa fortuna cõtingere, quæ & præter opinionem,& citra improbitatem eueniunt. Errata quoq; quanquam non præter opinionẽ, tamen citra improbitatẽ,atq; malitiam admittuntur. At iniuriæ neque præter opinionem poſſunt, neque citra im-

probitatem

probitatem inferri. Nam quæ per cupiditatẽ, & libidinẽ geruntur, fieri ſine improbitate non poſſunt. Aequũ eſt & humanis erratis ignoſcere. Aequum & non tam intueri legem, quàm eos, qui leges tulerunt: Et non tam uerba, quàm ſenſum, atque mentẽ eorum, qui leges ſcripſerunt, attendere. Itẽ non facta, ſed animum, uoluntatemq; facientis æſtimandam eſſe. Non partẽ, ſed totum expectari oportere. Non qualis quiſque nunc ſit, ſed qualis ſemper, aut ferè ſemper extiterit. Conſiderandũ, oportere beneficia accepta potius, quàm iniurias meminiſſe. Itẽ beneficia potius ea, quæ accepit, quàm ea, quæ contulit. Aequũ eſt & iniurias forti animo ferre, & ratione potius digladiari, quàm ferro. Itẽ arbitrũ malle adire, quàm iudicẽ. Nã arbiter æquo, iudex magis iuri appoſitus eſt: atq; ad eã finẽ ſolet arbiter legi, ut de Bono & æquo cognoſcat. Ac de hoc quidẽ genere, quod Aequitatẽ uocamus, hactenus expoſuiſſe abũdanter puto.

DANIEL BARB.

QVoniam uerò iuſtarum, & iniuſtarum duæ ſpecies habentur. *Quærit Ariſtoteles in Ethicis, quid ſit Bonum, & Aequum, & quomodo ſe habeat ad id, quod Iuſtum eſt. Quæſtionis autem cauſa non leuis eſt: nam nec abſolutè idem eſt Iuſtum, & Aequum & Bonum, nec planè diuerſum. Non eſt abſolutè idem, quoniam interdum ab eo iuſto recedit, quod in legum obſeruantia collocatum eſſe diximus: non eſt planè diuerſum, idcirco, quia tempora incidunt, cùm laudamus Aequum & bonum, tanquam benè factum, & pari forma homines eos commendamus, quia ea faciunt, in quibus ſitum eſt Aequum & bonum, appellamusq; eos optimos, & perfectos, & in cœlo eos collocamus. Interdum uerò rationem ſequentes, abſurdum arbitramur, ſi quid eſt Aequum & bonum, quod à Iuſto recedat,*

recedat, & laudem mereatur. Sed ſi quis rectè conſideret, quod Aequum & bonum eſt, id quoq; Iuſtum habetur, & ſi ad aliud Iuſtum comparetur, melius & præſtantius eſt: namq; ius aliud eſt naturæ, aliud legis: Aequum & bonum ſub iure naturali continetur, & ſub lege non ſcripta: quare cùm ius naturæ præſtantius ſit, quàm ius legum, neceſſariò ſequitur, ut Aequum & bonum aliquo iure præferatur: Aequum enim & bonum ita ſe habet ad Iuſtum, quod in obſeruatione, & ſanctione legum ponitur, ut directio & menſura: ius enim naturæ regula eſt iuris legum, & aliorum: lex enim datur uniuerſalis. Et quia non modò rerum neceſſariarum leges habentur, ſed etiam earum rerum, quæ parte plurima fiunt, & deficiunt interdum, ideo Aequum & bonum ius legum dirigere habet, ut in dubijs, & contingentibus rebus, quæ in uniuerſum præfiniri non poſſunt, æquabilis, & temperata ratio, naturæq; conueniens obſeruetur. Non eſt autem quòd legem propterea iniquam dicamus, & legislatorem damnemus, ſed uitium in re poſitum eſt. Ea enim rerum multarum uis, & natura eſt, ut non eodem ſemper modo ſe habeant, in quo genere omnes ferè hominum actiones ponuntur. Reddere depoſitum, ſecundum ſe iuſtum eſt: ſed reddere furioſo gladium, iniquum. Nam incidunt ſæpe tempora, cùm ea, quæ maximè uidentur digna eſſe iuſto homine, eoq;, quem uirum bonum dicimus, commutantur, ut ait Cicero. Cùm igitur lex deficiat, æquitas uerò & bonitas eius defectum emendet, neceſſariò efficitur, ut bonum & æquum partim iuſtum ſit, partim etiam aliquo iuſto ſit melius: non enim omnia lege præfiniri poſſunt, cùm lex in ſingularibus deſit. Quare fit, ut poſt legem latam iudicum ſententia ſequatur: nam ſententia uniuerſale ad particulare deducit, & commune proprio coniungit. Aequum igitur & bonum eſt legis norma: at qui æquo & bono iudicat, à ſeueritate alie-

nus

nus eſt, & ad miſericordiam magis, quàm ad uindictam pronus: nam huius habitus bonitate, omnem pœnæ acerbitatem lenire ſolet: & nimiam auſteritatem iuris, æquitate compenſat. Atq; hæc ſunt ab Ariſtotele in Ethicis commentata, ad quæ etiam apponenda ſunt illa, quæ ſequuntur, de illatione, & perpeßione iniuriarum, de quibus etiam Plato copioſius agit.

Quæ res grauitatem iniuriæ, & contumeliæ illatæ demonſtrent. CAP. XXXVI.

INIVRIAE maiores habentur, quæ à maiore iniuſtitia oriuntur. Hinc efficitur, ut minima interim delicta grauiſsima eſſe, & maxima uideantur. Cuiuſmodi eſt accuſatio illa Calliſtrati, aduerſus Melanopum, à quo æditítios cuſtodiæ tẽpli tribus uaſculis ſacris fraudatos eſſe criminabatur. In diuerſum conſtant, quæ de Iuſtitia dici poſſunt. Idcirco autem iſthæc maxima cenſentur, quòd quamuis exigua uideantur, & leuia, uiribus tamen & potentia præualẽt. Nam qui ſacra uaſcula furari non dubitat, nullum ſit facinus tam inſigne, tam arduum, quod ille attentare, & perpetrare nõ audeat. In hunc modum primo mox magnitudine damni grauitas iniuriarum attẽditur, atq; taxatur. Imputantur & illæ, quibus inueniri nõ poteſt par uindicta: quin ſi omnia ſupplicia congerantur, nihilominus pœna ſit futura longe minor iniuria. Item illa cẽſetur grãdis iniuria, aduerſus quam remediũ nullum eſt: quia uel difficile aboleri, uel nulla ratione leuari, ac elui poteſt. Illa quoque grauis, & intolerabilis creditur, quam qui patitur, ulciſci non poteſt, quippe quæ ineluctabilis, atq; irremediabilis uideatur: eſt enim pœna, & ultio, remedium quoddam, & quaſi leuamẽtum iniuriæ. Sed & illa ingens, atq; inteſtabilis iniuria exiſtimatur, præ

cuius

cuius dolore is, cui illata eſt, ſe ipſum ſubinde uehementer afflixit. Nam in eum, qui eiuſmodi iniuriam facit, ſeuerius etiamnum aliquãto, & grauius animaduertendum eſt. Quod quidem Sophocles in ea oratione, quã pro Euctemone habuit, apertè indicauiſſe, ac planè ſignificaſſe mihi uidetur: cùm is ob eam contumeliam, cuius turpitudinem pati non poterat, mortem ſibi ipſe conſciuiſſet: Non committam, inquit, iudices ut minoris eam iniuriam æſtimem, quam quanti ille ipſe, qui pepeſſus eſt, æſtimaſſe mortis deſtinatione uideatur. Verſatur & in ea quoque re magnitudo peccati, ſi id quiſpiam ſolus, aut primus, aut cum paucis, aut ſæpenumero idem feciſſe uideatur. Magna cenſentur & illa delicta, ob quæ initio inuentæ, & comparatæ ſint leges, adhibita interdicta, iudicia publica conſtituta, ſupplicia excogitata, pœnæ propoſitæ, exædificatus carcer, uinculorumque reperta coërctio. Quamobrem apud Argiuos mulctari pecunia conſueuerunt, qui cauſam edicto dediſſent. Iam illa maior iniuria eſt, quæ ad truculentiam belluarum, & feritatem magis accedit. Item tanto quæque maior intelligitur, quanto præmeditatè, ac conſultò magis inuritur. Item maior eſt illa, quam qui audiũt, plus metuunt, quam miſereantur. Sunt & illa ad amplificandam orationem appoſita. Multifariam iuſtitiæ partes euertit, atque tranſgreſſus eſt, iuriſiurandi religionem contẽpſit, dexteram datam eluſit, fidem fefellit, iura ſanguinis polluit: ita multorum congeſtio criminum in quandam ceu exuperãtiam improbitatis, & magnitudinem impotentiæ adoleſcit. Illud quoque grauitatem oſtendit iniuriæ, ſi eo loco dicantur factæ, ubi flagitia hominũ, ac ſcelera puniuntur: quod quidem ad falſos teſtes potiſsimum pertinet. Quonam enim loco non auſit peccare, qui

re, qui in oculis iudicum peccat. Maximè uerò augetur inuidia criminis, ſi turpido inſit ac fœditas. Solet & illud deteſtabiliſſimum uideri, ſi quis bene de ſe merito iniuriã attuliſſe dicatur: & peccatum duplex, tum quod offendit, tum quod gratiam beneficij accepti non refert. Accuſatur interim quiſpiam, quòd ſcriptis modo legibus pareat, quia præſtantius ſit iuſtitiam ſine legibus tueri, & colere. Ita fit, ut ſcriptas quidem leges obſeruent, quoniam coacti id, & neceſſario faciunt: ſed reliqua bene, ac beatè uiuendi præcepta, quæ legibus ſcripta, & comprehenſa non ſunt, aſpernari, & negligere uideantur. Poſſunt & in contrarium grauiter infamari, qui ſcriptas leges tranſgrediuntur. Nam qui committere in ea non dubitat, quæ legibus nominatim cauentur, quæq; pœna graui propoſita uindicantur: quî fieri poteſt, ut abſtineat ijs, quæ neq; legũ autoritate interdicuntur, neq; coërctione ulla, aut animaduerſione caſtigantur? Ac de iniurijs quænam maiores, minoresq; habeantur, dictum ſatis uidetur.

DANIEL BARB.

INiuriæ maiores habentur. *Agit de augendis iniurijs, nam ut in demonſtratiuo genere uirtutes amplificantur, aut uitia, ita in iudiciali augendæ iniuriæ ſunt. Primus locus ſumitur ab efficientibus: nam cùm ab iniuſtitia iniuriæ proficiſcantur, certè fit, ut à maiori iniuſtitia, & à maxima, iniuriæ maiores, & maximæ oriantur.*

Tribus uaſculis. ἡμιωβόλια, *arculæ ſunt, ut ait interpres, in quibus deorum ſtatuæ reponuntur.* ναόποιος *dicitur qui huiuſmodi arculas facit: Aedititium uocauit* Hermolaus, *quòd* ναόποιος *dicitur is, qui templa exædificat. Secundus locus ſumitur ab ijs, quæ conſequuntur iniurias: nam magna iniuria eſt, quæ magna: maior, quæ maiori: maxima, quæ maxima*

xima, quæ maxima pœna digna eſt, ut proditio, hæreſis, ſacrilegium. Item magna, cuius nullum ſit remedium. Alius locus ab eo, qui patitur, ſumptus eſt. Quartus ab eo qui egerit: locus autem is ſimilis eſt loco illi demonſtratiuo, ſi quis ſolus, primus, cum paucis, ſæpeq́; fecerit. Quintus ab ipſis remedijs: magna enim ſunt crimina, & magnæ iniuriæ illæ, propter quas remedia, id eſt, leges inuentæ ſunt, & ſancitæ: cuiuſmodi nuper accidit, ob eos, qui ſecreta patrum principibus reuelarũt, multæ enim in noſtra ciuitate leges ob id innouatæ. Alius locus per comparationem hominum ad feras. Alius à conſilio, & decreto, & demum qui ſequuntur, pares ſunt ijs, qui in genere demonſtratiuo ponuntur.

De prima Inartificialium probatione, ſcilicet de Legibus. CAPVT XXXVII.

NVNC ad eas probationes tranſeamus, quas quòd orator extra rationem dicẽdi acciperet, Inartificiales uocauerunt: atque hæ ſunt maxime contentionum forenſium propriæ. Ex hoc genere ferè quinq; ſunt capita, Leges, Pacta conuenta, Tormenta, Iuſiurandum, Teſtes. Ac primùm quidem exponemus quemadmodũ in ſuaſione, diſſuaſioneúe, accuſatione, defenſioneúe legibus ſit utendum. Illud itaque latè patet, ſi lex ſcripta à re ipſa diſsideat, hoc eſt, ab aduerſario ſteterit. reuocandam orationem ad ius commune, & ad æquitatem, ceu ſcripto omni præualentem, cõnfugiendum eſſe. Nam & ſententiam (ut aiunt) interpretationemq; optimam ſequi, hoc eſt, diſcedere interdum à ſcripto, oportet: & uerbis legum ſemper ſtari non poſſe: & præterea æquitas ſemper manet, ac uiget, nec uariat unquam: eodem modo neq; ius commune, utpote quod naturã ducem ſequatur. E contrario ſcriptæ leges ſæpiſsimè immutantur, & corruunt. Hinc illud apud Sophoclem in

Antigone: Probatur, inquit, aliquando factum, quod quis contra Creontis legem admittit: at quod contra ius non ſcriptum facit, nulla ratione defenditur: non enim hodie illud heri'ue ortum eſt, ſed ſeculis omnibus uiguit: in ea re porrò nullius hominis imperiū ſpectabam. Propterea ſubijciendum eſt, Iuſtum eſſe, quod ueritatem, & utilitatem affert: non quod uidetur tantum. Quòd ſi duo hæc lex ſcripta non habeat, iuſta appellari non poterit, quia munere legis, atq; effectu carebit. Ad hæc iudicem eſſe ſimilem argentario oportere, dicendū eſt: ut quemadmodum ille probum argētum ab improbo, atque adulterato diſtinguit: ita hic uerum, iuſtum à falſo, atque umbratili ſecernat, & ſeligat. Accedere, quòd boni uiri officium eſt, malle uti iure non ſcripto, quàm ſcripto. Deinde conſiderandum eſt, utrum ea lex, quæ cauſam facit, ſit alteri probatæ legi contraria, & utrum ſecum ipſa collidatur, & pugnet. Solet enim accidere, ut inter ſe duæ leges diſcrepare, & confligere uideantur. Ita ut alia iubeat, aut permittat: alia uetet aliquid fieri: hoc modo, Lex iubet rata eſſe, quæ inter ſe pacti homines fuerint: Alia lex uetat, ne inter ſe homines cōtra legem depaciſcantur, & tranſigant. Examinanti pertentandum & illud, ſit'ne aliquid ſcriptum ambiguè, ita ut liceat ei, qui contradicit, ad cōmodum cauſæ ſuæ extrahere ſignificationē ſcripti, atq; traducere: Demumq; utra interpretatio æquitati, aut utilitati nitatur, perſpicere. Atq; ita demum ea lege, ipſum quoq; contra quem probata eſt, uti oportebit. Vidēdum eſt & illud, utrum res illæ interciderūt, quarum cauſa poſita, & ſcripta lex fuerat. Quod ſi ita eſſe compereris, demonſtrare hoc ipſum, & docere oportebit: atq; hac uia contra legem pugnare, & ſcriptum infirmare debebis. Quòd ſi lex ſcri-

pta à

pta à nobis ſit,quæ cum re, & uoluntate conſentiat,tunc rectiſsima,optimaq; ſententia affirmandũ, dicendumq; eſt,non ea mente poſitas leges fuiſſe,ut contra id, quod in legibus ſcriberetur,ex ſuo utiq; conſilio iudicare, ac prounnciare liceret. Sed ne iudices, qui ex lege iurati ſunt,peierare cogerentur,ſi ignorarent ea,quæ legibus, & communi præſcripto ciuitatis imperantur: alioquin neminem eſſe,qui ex commodo Reip.potius, quàm ex eo,quod cauſæ ſuæ conuenit,uoluntatem ſcriptoris interpretetur.Præterea uideri paria, Non haberi leges in ciuitate: aut non ſeruari,ſi habeantur.Item cùm in ijs artibus,in medicina præſertim,non ſit utile aduerſus aſſertionem medici cauillari:tantò grauius eſt, exceptionem aliquam ad legem adſcribere,quanto minus nocet erratum medici,quàm conſuetudo,atque exemplum obaudiendi principibus.Poſtremò ſubiungendum eſt illud, probatiſsimis quibuſque legibus nominatim caueri, ne quis plus ſe ſapere,quàm leges uelit. Ad hunc modum, quæ de tractãdis legibus dicẽda erant, abſoluimus: nũc de teſtibus eſt agendum.

De teſtibus, ſecunda uidelicet inartificiali probatione.
CAPVT XXXVIII.

TESTIVM duo ſunt genera, Veteres, & Noui: ex Nouis alij periculi participes, alij extra diſcrimen iudicij ſunt. Veteres appello,poëtas, & huiuſmodi ſcriptores idoneos,qui de quapiam re clarum aliquod, atq; illuſtre teſtimonium reliquerunt. Proinde Athenienſes cùm de Salamine contenderent, Homero teſte ſunt uſi: nam Tenedij nuper aduerſus Sigienſes Periandri Corinthij teſtimonium attulerunt.Leophron quoq; in ea oratione, quam contra Critiam habuit, Solonis Elegos recitauit,quibus oſtendit, familiam eius, quem

inceſſabat,quaſi probro gẽtilitio impudicitia pridẽ, & turpitudine laboraſſe. Quid enim aliud ſignificare uoluit Solon,cum cecinit, Admouendus eſt mihi Critias flauus,ut patris dicto ſit audiens. De præteritis itaq; huiuſmodi teſtimonia adhibentur. De futuris uerò Oracula, & Reſponſa teſtium loco quæruntur: cuiuſmodi eſt illa interpretatio, quæ à Themiſtocle facta eſt, Sublicia mœnia,intelligi ſtudium rei naualis. Sed & prouerbia quoque,ut dictum eſt, teſtimonij uicem præbent: ut ſi hortemur, Senem non eſſe in amicitiam recipiendum, confirmare id autoritate triti illius oporteat, Beneficium non eſſe collocandum in ſene, aut ſi ſuadeamus, tollendos eſſe liberos ei, qui patrem interfeciſſet, dicendum ſit adſtipulari nobis prouerbium uetus, Fatuum eſſe,ſublato parente liberis parcere. Noui teſtes intelliguntur,qui cùm noſtra memoria clari, ac præſtantes uiri fuiſſent, iudicaſſe aliquid,aut pronuntiaſſe dicũtur, quod ad noſtram cauſam pertineret: præiudicia enim illorum in paribus cauſis multum prodeſſe litigatoribus conſueuerũt. Quamobrem Eubulus in iudicio aduerſus Caretem Platonis ſententiam uſurpauit, quam ille prius contra Archibium dixerat, Adoleuiſſe in ciuitate conſenſum illum,ut ſumma ſecuritas eſſet, fateri ſe malum,atq; nocentem eſſe. Noui & illi teſtes appellantur,quibus cum commune periculum eſt,utiq; ſi falſum teſtimonium uiderentur afferre. Illi ergo nihil aliud debent,quàm rem geſtam exponere, Factum fuerit ita,nec ne: Sit ita,nec ne: nõ facti qualitatem attingere, Iuſtè, an iniuſtè: Vtiliter,an inutiliter fecerit is, pro quo,aut contra quem interrogantur. At ijs, qui longè ſunt à iudicij diſcrimine poſiti,etiam de qualitate negotij geſti facilè creditur. Proinde ueterũ teſtimonijs pręcipuè

tipnè uulgò fauetur, quòd ea ſola criminibus, odijs, & gratia uacant: quæ res in atteſtatione ad promerendam fidem iudicis plurimum ualet. Solent & inter ſe teſtes, & argumenta collidi: inde dicitur, Probationibus credi oportere, non teſtibus: hoc eſt, ſuū quemq; ingenium, atque optimam ſententiam ſequi. Argumenta non auro, non argento corrumpi. In argumentis falſum teſtimonium deprehendi non poſſe. Hinc non ſufficere argumenta ad ueritatem rei geſtæ demonſtrandam, nec opus teſtium fore, ſi ſatis eſſet argumentis ſtare. Cæterùm teſtimonia quædam de noſtra, quædam de aduerſarij perſona dicuntur. Item nonnulla in cauſa, nonnulla extra cauſam de uita, & moribus interrogantur: ut facilè poſsit intelligi, nuſquam nobis teſtimonia aliqua defutura, quæ proſint. Nam ſi haberi non poſsit, qui pro deſiderio cauſæ noſtræ reſpōdeat, aut qui cōfiteatur quod aduerſario noceat: ſaltem inuenietur aliquis, qui mores noſtros commendando, aut aduerſariorum uitam infamia criminum deſtruendo, aliquid tandem nobis quod proſit, dixiſſe, excitaſſeq; uideatur. Reliqua uerò illa iactata de teſtibus: ſi amicitia accuſatoris, ſi inimicitiæ cū reo, ſi neutrum: ſi dignitas, ſi humilitas, ſi neutrū: atq; alia quoq; ſimilia ijs, diſcrimina teſtium, ex eiſdem haurienda ſunt locis, ex quibus enthymemata ducimus.

De Pactis conuentis, tertia inartificiali probatione.

CAPVT XXXIX.

PACTA in oratione quoque ita tractantur, ut aut confirmentur, exornenturq; dicēdo, aut contrà infirmentur, & abijciantur. Item ut uel credibilia, uel incredibilia demonſtrentur. Credibilia, ſi pro nobis fecerint: Incredibilia, ſi ab aduerſarijs ſteterint. Cæterùm pro pactis, & cōtra pacta ferè ijdem loci patent, qui pro

teſtibus,& contra teſtes habentur.Nam qualis erit exiſtimatio eorum,qui conſcribuntur,& continentur in tabulis, talis quoque inſtrumentis illis adhibebitur fides. Quamobrem ſimulatque de pacto conſtabit,ſi pro noſtra cauſa fuerit, confirmandum per amplificationem, & alleuandum erit à nobis: nam Pactum priuata,particularisq; lex eſt. Ac leges quidem ratas pacta non faciunt: contrà,legum approbatione pacta legitima auctorantur.Prorſus lex ipſa pactum quoddam intelligitur: ita fit,ut qui pactum infirmat,& tollit,leges quoq; infirmet,& tollat.Et cùm ferè plurimæ res,quas homines inter ſe ad utilitatem uitæ ultro gerunt, fœdere paciſcentium,& uinculo mutuæ uoluntatis conſtent: neceſſe eſt, ut qui irrita habet pacta, commercium uitæ, & emolumentum humanæ ſocietatis euertat. Ad hunc uſum oportet, & cæteros locos adiungere,quorum ratio facilè uolenti ſuppeditabit. Quòd ſi pro aduerſario fuerint pacta,primùm omnia illa præſidia ſunt adhibēda, quibus contra legem pugnare docuimus: Ridiculum & ſubabſurdum eſſe,legibus malis,ac perperã poſitis impunè non pareri: Pactis ſtare neceſſariò oportere.Deinde dicere oportet, Iudicem eo conſilio datum, & conſtitutũ eſſe,ut iuri ſuo cuiuſq; tuendo,& tribuendo præſit,ceu brabeuta decernendæ uictoribus palmæ. Proinde nõ tam hoc ſpectari oportere,quàm quod plures habet honeſtatis, & æquitatis partes. Aequitatem præuerti dolo malo,aut neceſsitate circumſcribi nõ poſſe,quia conſtet ratione naturæ: Pacta frequẽtiſsimè extorqueri ui,metu'ue,aut fraudibus elici. Ad hæc conſiderare oportet diligenter, ſit'ne in pacto aliquid, quod aut contra ſanctiones ſcriptarum legum, aut contra ius commune uideatur factum; uel quod æquitati ſit, aut

honeſtati

honeſtati contrarium. Deinde utrum poſterior aliqua conuentio, prior'ue interceſſerit. Nam uel poſtremam quamq; grauiſſimã eſſe dicemus, prioribus infirmatis: Vel è cõtrario, priores ratas, & rectas fuiſſe docebimus: Poſteriores irritas, & iniquas eſſe oſtendemus. Atque prout hic locus incurrerit, ita ex uſu cauſæ noſtræ tractabitur. Multum interim proficiet, ſi ea pacta obſtare ipſorum quoque iudicum commodis, atque utilitati monſtrabimus: & cætera quæ ad eum modum excogitari facilè, affatimq; poſſunt.

De Tormentis. CAPVT XL.

TORMENTA quoq; habentur teſtimoniorum loco, atq; idcirco facere probationẽ, & fidem uidentur: quòd uera fatendi neceſsitatem quandam obtinere creduntur: quare uel hæc quoque tractatio laborioſa non erit. Proinde altera pars inducet locos, quibus per amplificationem oſtendat fidem quæſtionibus adhibendam eſſe. nullam atteſtationem ueriorem haberi oportere, quàm quæ ita à tortis, atque inuitis exprimitur. At altera pars totũ hoc genus ueritatis eruendæ damnabit, & cauſam non tam uera quàm falſa dicendi appellabit, cùm alijs infirmitas, alijs patientia facilè mendaciũ faciat ceu breui habitura finem cruciata: excẽpla uerò utrinque deeſſe non debent, atq; ea præſertim, quæ nota, & perſpecta ſunt iudici.

De Iureiurando. CAPVT XLI.

IN Iureiurãdo litigatores quadripartita ratione uerſantur: Nam aut ab aduerſario exigunt, & ſuum offerunt: aut neque exigunt, neq; offerunt. Aut alterum faciunt: hoc eſt, aut exigunt, nec offerunt contrà: aut offerunt contrà, nec exigunt. Præterea aliter in hoc genere uerſamur, ſi iuratum eſt: aliter, ſi nondum eſt iuratum.

Item aliter ſi à nobis, aliter ſi ab aduerſario præſtitũ iuſiurandum ſit. Ac is quidem qui non recipiet conditionem, id eſt, qui aduerſario deferre non uult, excuſationẽ debet afferre, ut dicat, facilè peieraturũ aduerſarium cupiditate uincendi. Simulacque iuratum ſit nullam reliquam ſibi actionem fore: ſperare, ſi cauſa iuramento finita non ſit, futurum, ut iudici probet ea, quæ affirmet. Tutius eſſe iureiurando iudicum ſtare, quàm rei: malle ſe iudici, quàm aduerſario credere. At eũ, qui recuſatur, primum rationẽ reddere illam oportet, non eſſe apud ſe tanti pecuniam, ut deuouere ipſe ſe uelit. Hominem quidem malum arrepturũ hanc conditionem fuiſſe, quia ſatius ſit, malum eſſe alicuius cõmodi gratia, quàm nullius. Proinde cùm poſsit iurãdo conſequi ea, quæ uelit: recuſando nõ poſsit: rogare ſe, admonereq́ iudices, boni ut conſulant, utq́ hoc uirtuti, probitatiq́ potius, q̃ conſcientiæ periurij tribuant. In quam rem illud Xenophanis commodiſsime adijcietur: Iniqua, inuidioſaq́ conditione prouocari ad iuſiurandum pios ab impijs: perindeq́ eſſe, ac ſi ualens quis, & robuſtus, imbecillum ac debilem inuitet in pugnam. Quòd ſi non reſpuat oblatum, dicendũ eſt, non aduerſario, ſed ſibi credere: mox uerba illa Xenophanis uertẽda ſunt, ita ut dicatur, par eſſe deferri iuſiurandum ab impijs, & pios ita delato iurare. Impudentis eſſe nolle iurare in eam litem, cuius ſe iudicem aduerſarius fecerit, & in quam iuratos eſſe adhibendos iudices cenſeat. At is qui defert, affirmare debet, pium eſſe cauſam ſuam religioni, & numinibus credere. Non eſſe iudices alios aduerſario conquirendos, cùm ipſemet poſsit de cauſa ſua pronunciare: omnino turpe, & ſubabſurdum eſſe, optionem eam iuriſiurandi reſpuere. Cęterùm cùm expoſitũ ſit, quę-

nam

nam ratio obſeruari ſeorſum in ſingulis debeat, facilè poteſt intelligi, quo pacto ſit cōiunctim illis utendum. Exempli gratia, ſunt illa coniuncta, præſtare ſuum uelle ab aduerſario, nolle recipere: aut contrà, recipere ab aduerſario uelle, ſuum nolle præſtare. Itē, & ſuum præſtare, & recipere ab aduerſario uelle: aut contrà, neque præſtare uelle, neque recipere. Porrò cùm hæc ex ſimplicibus complexu iunctis conſtituantur, neceſſe eſt rationes quoq; horum, atque locos ex rationibus ſimplicium petere. Illud in primis cōſtare debet: Eum, qui ſe ab aduerſario deceptum, & circumuentum putat, non uideri continuò peieraſſe: nam uoluntariam oportet eſſe iniuriam, & periurium iniuria eſt. At ea, quæ aut extorquentur ui, aut eliciuntur dolo, uoluntaria dici non poſſunt. Quotiēs ergo hic locus occurret, definitione utendum eſt: Periurium eſſe, non quod quis ore, lingua'ue protulit: ſed quod mente iurata concepit, & animo. Contrà, ſimulatque iuratum eſt ab aduerſario, requirenda religio eſt, uiolaturum omnia iura, qui iureiurando ſuo non ſteterit. Legum præſcripta iudices ſequi, quod ita in certa uerba iuraſſent. An uos, inquam, iudices iuriſiurandi ueſtri finibus, clauſulis'que obſtrictos eſſe æquum cenſebimus: nos negligere, atq; eludere fidem ſacramenti concedetis? Et huiuſmodi cætera, quæ ad exornationem, atq; amplificationem huius loci facilè aſſumi, comparari'que poterunt. Hæc de Inartificialibus ſatis.

DANIEL BARB.

NVnc ad eas probationes tranſeamus. *Hactenus de ijs probationibus actum eſt, quæ artificio, & inuentione oratoris haberentur: nunc agitur de ijs, quæ non ab oratore pariuntur, ſed à cauſa, uel reo deferuntur: quas*

artis expertes nominauit. Et quoniam hæ probationes aut omnes, aut plures generi forenſi magis, quàm alijs aptantur, ideo poſtquàm de iudiciali actum eſt genere, reſtat ut de ijs etiam agatur. Numero quinq; ſunt, quæ non inuentione, ſed tractatione indigent, Leges, Pacta, Tormenta, Iuramenta, & Teſtes: nos uno capite omnia exponemus. Ordo duplex, nam aut pro ijs, aut contrà dicendum eſt: quare propoſitiones, & loci ſumentur, à contrarijs. Primum de Legibus eſt dicendum. Leges duplices habentur, ſcriptæ, non ſcriptæ: ſi hæ contra te ſunt, confuge ad illas: ſi illæ repugnant, ad has recurre: nam de confirmandis, & infirmandis legibus, agit Ariſtoteles: illud de ijs omnibus tenendum, quod & Cicero, & Fabius prædicant: Fabius enim, Sed ut ipſa, inquit, carent arte per ſe, ita ſummis eloquentiæ uiribus alleuandæ ſunt plerunq; & refellendæ. hæc ille in quinto. Sed Tullius in Partitionibus: C. F. Quid illa, quæ ſine arte appellantur? quæ iam dudum aſſumpta dixiſti: & quo nam modo, & quo nam loco, artis indigent? C. P. Illa uerò indigent, & nec eò dicuntur ſine arte, quòd ita ſunt: ſed quòd ea non parit oratoris ars, ſed foris ad ſe delata tamen arte tractat. Sed omnis ferè artis expers argumentatio in teſtibus poſita eſt. Teſtimonium Cicero appellat, omne, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem: perſonam non omnem pondus habere dicit, quoniam ad fidem faciendam maximè quæritur autoritas. Autoritas natura, & tempore confirmatur. Naturæ autoritatem in uirtute collocat. In tempore multa eſſe, quæ auferant autoritatem declarat, ut opes, ætas, fortuna, uſus, ars, neceſſitas: ſed quæ uirtute fidem faciunt, ea bipertita oſtendit ex quibus alterum natura, alterum induſtria ualet. Deorum uirtus natura excellit, hominum induſtria. Diuina teſtimonia ſunt, uel orationis, ut oracula, reſponſa: uel rerum, ut mundus

ordo,

ordo, ornatus, portenta, ardores, præſenſio, iuſſa, & huiuſmodi. In homine uirtutis opinio ualet plurimum, ſiue reuera inſit, ſiue appareat. Sed hæc, & multa alia, tum in Topicis, tum in Partitionibus dicuntur. Locus à teſtibus in oratione pro M. Fonteio ampliſſimus eſt, & pulcherrimus: item pro L. Flacco. Exemplo demonſtratur id, quod dicimus, cuiuſmodi ſit: Teſtimonio eſſe illud, quod nos dicimus, confirmamus. Fabius libro quinto de omni teſtium genere überrime tractat, & ad caput quaſi fontem rem totam deducit. Primum præceptum continet totius cauſæ explicatam notitiam, quoniam ea res interrogandi anſam præbet. Secundum monet oratione perpetua detrahendam, uel addendam eſſe teſtibus autoritatem, quod optimè Cicero facit. Tertium ſeparat officium dantis, & refellentis teſtes. Quartum oſtendit teſtes uoluntarios faciliori uia in rogando poſſe produci, ſi rectè examinati domi fuerint. Quintum oſtendit etiam quid agendum, cùm ſcit, uel cùm neſcit accuſator: nam ex iis, quibus iudex publicis iudiciis lege denunciare ſolet, alij reum lædere uolunt, alij nolunt: idq́; interim ſcit accuſator, interim neſcit. Sextum de inuitis teſtibus loquitur, ac demum de omni genere interrogandi uerba facit. At nobis eſt ſatis oſtendiſſe locum: Ariſtoteles autem, quemadmodum ſcriptam legem non ſcriptæ comparauit, ita Teſtes comparat Argumentis, ut contrarias partes oſtendat: nam ſi teſtes pro nobis, argumenta ſunt refellenda: ſi argumenta, teſtes ſunt reiiciendi. Eundem ſeruat ordinem in Pactis, & Quæſtionibus, ut partes duas nobis exponat, alteram, qua roboremus, alteram, qua infringamus. De Iureiurando autem loquimur, uel ante, uel poſt ipſum. Primum membrum in quatuor partes: Secundum in duos ſecat. In omnibus autem partibus quid proſit, & quid obſit conſiderat; quæ omnia ſunt facilia in Ariſtotele. Eſt autem

Iuſiurandum

Iuſiurandum affirmatio religioſa, quare, quod affirmatiuè quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. Sed de Pactis, de Legibus, de Quæſtionibus, de Iuramentis, deq; omni teſtiũ genere copioſe tractant Iuriſperiti, quos conſulendos eſſe iudico, ut eorum quoq; diſciplina oratoriæ facultati debitum ſoluat. His poſitis, ratio inueniendi, quatenus ad res probandas, & demonſtrandas oratori conuenit, explicata eſt: nihil enim deſiderandum eſt illi, qui probare uoluerit, in ſingulis cauſis, quàm ut hæc optimè calleat, & memoriæ commendata teneat.

RHETORICORVM ARISTOTELIS LIBER SECVNDVS.

De ſecundo perſuaſionis genere, quod ex moribus dicentis ſumitur. CAP. I.

QVIBVS ex rebus oporteret ſuadere, diſſuadere, laudare, uituperare, accuſare, defendere: quæ item ſententiæ, atq; propoſitiones neceſſariæ ad faciendam fidem in ſingulis illis partibus haberentur, hactenus executi ſumus: atq; & in ijs uerſari, & ex ijs duci enthymematum rationem oſtendimus, quæq; priuatim in omnia genera dicendi conuenire uidebantur. Quoniam uerò omnis totius Rhetoricæ inſtitutio ad iudicij præparationẽ confertur: nam & in dictione ſententiæ iudicium quæritur: & forenſis diſceptatio nihil aliud, quàm iudicium eſt: apertè datur intelligi, non modò eam operam, atq; curam inſumere oratorem

torẽ oportere,ut probabilis eſſe, & docere oratio uideatur:ſed etiã,ut is, qui nobis cauſam adiudicaturus eſt,tũ ex cõmendatione uitæ noſtræ propendat in nos,tum ut animi aliqua permotione cogatur.Nam plurimũ refert ad perſuadendũ, præſertim in conſilijs, tũ deinde in foro,qualis ſit quiſq;, qui dicit: & quo erga ſe animo eſſe illũ,quem audiunt,iudices credãt: & præterea ſi aliquo genere mẽtes eorum permotæ,affectæq; fuerint. Cæterum in conſilio potiſsimũ ualet probari mores, & inſtituta eorũ,qui ſententiam dicent:in iudicio plurimũ poſſunt affectus:non enim eadem uidentur infenſis, quæ uidentur amantibus:neq; iratis,incenſisq; eadem, quę cõpoſitis, & mitibus:ſed aut penitus omnino diuerſa, aut magnitudine omnino diſsidẽtia: quia nemo ſit, qui eũ, quẽ diligit,cui fauet,aut non peccaſſe,aut parum peccaſſe non putet:contrà in eo eſt,quem quiſpiam oderit. Eodem modo qui concupiſcit aliquid,aut ſperat, ſi iucunda ſit ea res,quæ futura dicitur, non modò fore illã, ſed bonam, atq; utilem fore arbitratur. Ex aduerſo ſentiunt,qui faſtidiunt quippiam,aut deſperant.

DANIELIS BARBARI COMMENTARIA IN EVNDEM

EX TRIBVS *perſuadendi rationibus, q̃bus nixa eſt oratoria uis,unam explicauimus, eam ſcilicet,quæ pertinebat ad inuentionem rerum earum, quibus animi docerentur, & res ipſæ probarentur: reſtat ut de duabus reliquis agamus:quarum altera in commouendis,altera in conciliandis animis poſita eſt,& collocata:quæ licet non ſint oratoriæ facultatis partes,ut dictum eſt,& probatum,ſunt tamen oratori maxime*

ximè neceſſariæ, nec propterea ſequi uidetur, ut quod neceſſariũ ſit, id continuò pars iudicetur, ut patet conſideranti. Sed quanquàm Conciliare, & Mouere ad affectiones pertinet, afficitur enim animus in utraq; re, uſus tamen obtinuit, ut permotio Affectus uocaretur, quoniam maior uis in ea collocatur. Affectiones omnes in appetitu ponuntur, aliæ in eo, qui iracundia feruet, aliæ in eo, qui libidine fertur. In Priori duæ ſunt affectiones, quæ bonum reſpiciunt, Spes futuri boni expectatio, Deſperatio à bona ſpe receſſio eſt. Quatuor malũ intuentur: Timor, Audacia, Ira, Manſuetudo. Sed Timor quædã quaſi ſpes futuri mali. Is aut modicus eſt & temperatus, aut nimius, & immodicus. Atq; ut is homines reddit ſegnes, trepidos, immotos, & inconſultos: ita ille celeres, promptos, & ad conſilium paratos facit. De Conſilio diximus in genere ſenatorio, de quibus, & quot deliberamus, quæ ueniant, & quæ non ueniant in conſilium, ut ſunt æterna, fines, quæ in noſtra nõ ſunt facultate: fortuita, naturalia, & quæ uno ſemper ordine ferantur: dictum etiam eſt, quid in conſilijs obſeruandum, ut minus è duobus malis, & melius ex multis bonis eligamus. Minima non uenire in conſilium, de maximis non eſſe ab uno tantùm conſulendum. Arcana oportere eſſe conſilia, ne præuertantur: item uera, ſimplicia, maturanda, & utilia cunctis. Hæc autem omnia ab honeſto ac laudabili timore orta ſunt. Eſt & Timor alius, quem nos Pudorem in proœmio primi huius, ex Platone & Ariſtotele uocabamus. De futuris igitur bonis, & malis dictum eſt. Sed cùm malum adeſt, uel bonum, tunc aut iraſcimur, aut lenes ſumus: atq; hi ſunt animi appetentis, & iraſcentis motus. Sed cupiditatis affectus pariter aut circa bonum, aut circa malum abſolutè uerſantur: in malo eſt odium, cuius ſoboles abominatio, doloris, ac triſtitiæ mater. Triſtitia in malis proprijs, amico, ueritate, ac propria uirtute reuocatur: in alienis Miſericordia nominatur.

natur. *Triſtitia uerò in bonis alienis*, & *meritis*, Inuidia *eſt*: *ſed in alienis bonis* & *immeritis* Indignatio. At *in bono abſolutè* Amor *eſt*, & *deſiderium*, & *uoluptas*: In Amore, *gratia*, *zelus*, *amicitia*. Gratia *eſt motus animi ad beneficia conferenda*. Zelus *amor eſt riualitatis impatiens*. Amicitia *eſt uirtutis gratia nota*, *mutuaq́; propenſio uoluntatis*. Hi *ſunt animi motus*, *quaſi conſultores interni*, *quos qui melius dicendo excitare ſciuerit*, *is ius oratorium obtinebit*: *qui neq; fruſtra ſunt à natura dati*, *nec ad malum conceßi*, *ſed ut bene iiſdem utamur*: *nam præferenda ſemper eſt* Ratio, *conſequi debet* Affectio. Agitur ergo *in ſecundo libro de* Affectibus, *hoc eſt*, *de inuentione propoſitionum illarum*, *quibus excitantur affectus*, & *quodam quaſi impetu efficitur*, *ut qui audiunt*, *moueantur*. *Ariſtoteles autem primo loco ea colligit*, *quæ hactenus tractauerit*, & *admonet*, *quæ deinde ſunt pertractanda*: *hæc figura perſpicuitatis effectrix eſt*, *docentibus*, & *demonſtrantibus neceſſaria*. Tractauit *igitur de inuentione rerum cuiq; generi accommodatarum*: *ſed quia iudicium in omni cauſa expectatur*, *ut probat Ariſtoteles*, *ideo de conciliandis*, & *promouendis animis agendum eſt*: *nam plura multò homines iudicant odio*, *aut amore*, *aut cupiditate*, *aut aliqua permotione mentis*, *quàm ueritate aut præſcripto*, *aut iuris norma aliqua*, *aut legibus*: *neq; iratis eadem uidentur*, *quæ mitibus*.

Eodem modo qui concupiſcit. V*t etiam alterum appetitum*, *eiusq́; affectus uideamus*, *ſi uoluptas attenditur*, *non modò fore*, *ſed bonam* & *utilem fore arbitramur eam rem*, *quæ iucunda ſit*, & *contrà ſentiunt*, *qui ſtomachantur*, & *indignantur*. *Sed mirum eſt*, *quod Cicero præcipuam uim poſitam eſſe in permouendis animis dicat*, & *nihil penè doceat*, *qua ratione id agatur*. Et *Ariſtoteles ferè ab*

oratoria

oratoria facultate eas coërceat, ſubtiliter tamen, & accuratè de ijs pertractet.

Tria eſſe, quibus qui dicit, commendat ſe iudici.

CAPVT II.

TRES ergo ſunt cauſæ, quibus efficitur, ut ei, qui dicit, habeatur ab auditoribus fides: nam præter argumenta, probationesq́, tria ſunt, quæ orationē credibilem faciunt, Prudētia, Probitas, Beneuolentia. Omnes enim, qui re de aliqua ſunt ſententiā dicturi, prout earum uirtutum defectu laborant, ita ab honeſtatis, & utilitatis partibus rationibusq́ deerrant. Vel enim ob imprudentiam, ſtultitiamq́ recta ſentire non poſſunt: uel improbitate impediūtur, ne dicant ea, quæ ſentiunt: uel ſi prudentes etiamnum, probi'que fuerint, quia tamen poſſunt eſſe non beneuoli, interim non quod intelligunt optimū eſſe, ſed pro libidine conſulunt: neq́ ijs exploratis aliud eſt ultrà. Neceſſe eſt igitur ut is, qui omnia illa habere uideatur, digniſsimus fide ſit apud quos dicet. Planè quibuſnam præſidijs conſequi poſsit orator, ut prudens, & probus exiſtimetur, ſumi poteſt ex ijs rationibus, quæ ſunt à nobis in diuiſione uirtutū expoſitæ: ſiquidem locos illos & ad commendationem alienæ uirtutis, & ad præſtructionem, & exornationē noſtræ conferre, & accommodare poterimus. De Beneuolentia uerò, & Amore dicemus in eo tractatu, qui dicatus eſt affectibus, quos modo ingredimur.

DANIEL BARB.

TRes ergo ſunt cauſæ. *Quomodo animi concilientur declarat, & id ad ſenatoriam cauſam refert: conciliatio enim maximè in deliberatione, & conſultatione ualet, ut paulò antè ab Ariſtotele declaratum eſt. Tria ſunt, inquit Ariſtoteles, quibus qui dicit commendat ſe iudici: Prudentia,*

tia, Probitas, Beneuolentia. Hinc Cicero ad Lentulum, *Vtor ad omnia Q. Selicio: neq; enim prudentiorem ex tuis, neq; fide maiorem eſſe iudico, neque amantiorem.* Quaſi tria hæc in omni conſilio requirantur, quod Ariſtoteles à cõtrario probat. Plato autem in Gorgia ſic inquit: *Cenſeo, namque in eo, qui alicuius animum probaturus accedit, & uiſurus, utrum rectè inſtitutus ſit, nec ne, tria potiſſimè requiri: Scientiam primò, inde opinionem prudentis, & beneuoli animi, tertio Audaciam. Nam multos equidem reperio, qui me propterea recto examine probare nequeunt, quia ſapientes non ſunt, quemadmodum ipſe mihi uideris. Alij ſapientes quidem ſunt, ſed uerum mihi nolunt oſtendere, idcirco quia mei nullam curam gerunt. Aduenæ uerò iſti Gorgias, & Polus, ſapientes quidem ſunt, meq; diligunt, uerùm deeſt eis audacia.* Hæc licet in probandis animis requirãtur, ad conſiliũ tamen commodè transferuntur. Audacia probitati reſpondeat, probus enim alios dum uidet errare, commouetur, & auxilium fert audacter. Sed quibus præſidijs conſequi poſſit orator, ut probus, & prudens exiſtimetur, ſumi poteſt ex his rationibus, quæ ſunt in primo libro in uirtutibus definiendis expoſitæ. Vnde Tullius, *Accepi iſta, inquit Filius, didiciq; breuiter, non ſolùm quemadmodum laudarem alterum, ſed etiam quemadmodum eniterer, ut poſſem ipſe iure laudari:* hoc eſt, loci qui faciunt ad commendationem alienæ uirtutis, ijdem ad exornationem noſtræ conferri, & accommodari poſſunt. Quæ uerò uirtutes quibus animi partibus inhæreant, patet ex diuiſione partium animæ, quam principio attulimus. De Beneuolentia uerò, & Amore, qui ſunt affectus concupiſcentis animæ, dicetur inferius. Sed de hoc toto conciliandi genere Cicero in ſecundo de Oratore: *Conciliantur, inquit, animi dignitate hominis, rebus geſtis, in ijs poſita eſt prudentia: exiſtimatione uitæ, in hoc probitas: & ſiquid perſequare acrius, ut inuitus, & coactus*

ficere uideare: facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi ſigna proferri perutile eſt, in quibus probitate coniunctus eſt amor: ſed illa duo facilius ornari poſſunt, ſi modò ſunt, quàm fingi, ſi nulla ſunt: & genus hoc rationis in ijs cauſis excellit, in quibus minus poteſt inflammari animus iudicis acri, & uehementi quadam incitatione. T*antum autem efficitur ſenſu quodam, ac ratione dicendi, ut quaſi mores oratoris effingat oratio.* Et *ex hoc patet, malum hominem poſſe dicendo efficere, ut probus, & bene moratus & uir bonus eſſe uideatur, in ea ſaltem cauſa, quam agit: præſertim ſi adhibeat ſententiarum & uerborum genus accommodatum, & leuem actionem facilitatemq́; ſignificandi: nam uidetur exprimere tam ſuos, quàm alienos mores, iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferentes iniuriarum, placida, ſummiſſa, leni, & morata oratione. Atque hæc ſatis de conciliandis animis, quantum attinet ad locos, & inuentionem earum rerum, quibus conciliantur.* De *uſu uerò, & tractatione, & actione dicetur in tertio.* P*atet autem hoc genus ex multis eſſe permiſtum, id eſt, ſuam multis ex locis uim capere, ut paulò antè declaratum eſt: quare fit, ut etiam de affectibus non ſit inſcriptum.*

Tria ſciri in unoquoque affectu debere, ac primum de Ira. CAP. III.

SVNT ergo animi affectiones eiuſmodi, quarum qui aliquo genere promouentur, diuerſa in iudicando ſequuntur. Omnes affectiones concomitatur uoluptas, & dolor. Atque illæ ſunt, Iracūdia, Miſericordia, Metus, & ijs ſimilia, & contraria. Singulæ tribus rationibus continentur: uerbi gratia: Tria ſunt quæ de iracundia oportet habere comperta. Primum, quo pacto affecti ſint, qui iraſcuntur: Alterum, quibus iraſci conſueuerunt

ſueuerunt: Poſtremum, quarum rerum cauſa iraſcantur. Proinde ſi unum ex ĳs, aut duo, non omnia tenueris, nunquam ad eum motum, quæ uoles, iudicis animum finges. Idem ad cætera eius generis præcipiēdum eſt. Ergo quemadmodum propoſitiones omnes ſuprà attulimus, quæ ad ſingula dicendi genera pertinere uidebantur, ita nunc tractādis affectibus, & ea, quæ diximus, diuiſione explicandis, ſuas cuique eorum rationes accommodabimus. Sit igitur Ira uindictæ apparentis, illuſtrisq; cū dolore appetitio, aduerſus eum, à quo ſe quiſpiam, aut aliquem ſuorum palàm contemptum, atque neglectum immeritò putat. Quòd ſi huiuſmodi eſt is affectus, neceſſe eſt eum, qui iraſcitur, alicui ex ſingulis priuatim iraſci: puta Cleoni, non homini generatim. Item ut ĳ, quibus iraſcitur, aduerſus ſe, aut aliquem ſuorum feciſſe aliquid, aut facere uoluiſſe uideantur. Certè omnem iracundiam uoluptas inſequitur, quam ipſa ulciſcendi, & uindicandi ſpes facit: eſt enim unicuique periucundum, putare ſe conſequuturum ea, quæ cupit. Nemo quidem ſolet appetere, quæ fieri poſſe nō putat: iratus certè hoc ſemper quærit, & cogitat, quod fieri poſſe arbitratur. Quamobrem rectè illud dictum eſt ab Homero, Dulcior illa fauo circum præcordia gliſcit. Non ſolùm enim contingit uoluptas eo modo, quo diximus, ſed ratione etiam illa, quòd, qui ulciſcitur, dici ſolet in ea cogitatione uerſari: quæ imaginatio, uiſio'ue uoluptatem ſimilem refert, qualem interim inſomnia repræſentant. Quoniam uerò Contemptus eſt actus, atq; ſignificatio opiniōis, quæ de rebus ĳs habetur, quas nihili facimus: nā bonæ res, atq; malæ, & quæ eò tendūt, & conferunt, dignæ ſunt, quibus operam noſtram, ac ſtudium impertiamur: at quæ nihil eò, parum'ue confe-

runt, eas neq; cura, neque diligentia noſtra dignamur: neceſſe eſt tria eſſe genera contemptus: Deſpectũ, Contumeliam, Detractionem. Nam & qui deſpicit, contemnit: quia eas res, quas quis nihili æſtimat, etiã deſpicit: quæ autẽ nihili æſtimantur, dictum eſt ſolere contemni. Pariter & qui detrahit, uidetur deſpicere: detrahit enim qui deſiderijs alienis impedimento uult eſſe, nõ ut ipſe quippiam conſequatur, ſed ne is, cui detrahit, habeat. Quare ſi cauſa ſua non detrahit, apertiſsimè uidetur detrahere, quia contemnit. Nam illud conſtat, neminem eſſe, qui contẽnat eum, quem ſibi obeſſe poſſe, aut quem prodeſſe aliquando ſuſpicatur: ſed alterum timet, non contemnit: ab altero diligi, & admitti in amicitiam ſtudet. Eodem modo, qui contumeliam facit, uidetur contemnere: nam Cõtumeliam facere, eſt damnum inferre, aut dolorem inurere in eo, quod dedecori, aut pudori futurum ſit paſſo: non utilitatis ullius gratia, aut ſtudio ulciſcendi, ſed uoluptatis duntaxat, & animi cauſa: nam Iniuriam referre, non eſt contumeliam facere, ſed ulciſci. Atque cauſa quidem uoluptatis eius, quam quidam ex contumelia capiunt, eſt, quòd arbitrantur nocendo, lædendoq; plus poſſe, ac magis excellere. Proinde iuuenes, ac diuites ferè cõtumelioſi omnes, & impotentes ſunt: quoniam ſe per eum modum præſtare cæteris putant. Cõtumeliæ genus eſt, cenſere uili, quod ἀτιμάζειν uocant. Ea enim quæ nihil habent penſi, nullum quoque cenſum, ac locum habent in ratione tum boni, tum mali. Propterea iratus Achilles, non ab re uidetur dixiſſe, cum quereretur ſe ab Agamemnone cenſum, atque habitum uili, quòd ſe ornamento, atque inſigni ſpoliauiſſet ſuo: cuiuſmodi & illud eſt, Neglectui habitum, & ſine cenſu ullo extorrem uelut quaſi ob eam

rem potius,quàm ob amiſſam,ereptamq́ Briſeida ſuc=cenſuiſſe uideretur.Equidē illud omnes arbitrātur, conuenire,ſuſpici ſe,atque coli ab inferioribus, genere, uirtute,potentia:atq́ omnino,in qua quiſq́ re multum cæteris præſtat,in ea magni ſe æſtimari æquum cenſet: ut diues in pecunia,quia ſuperat pauperem: dicendi peritus,copia,quia imperitū:Principes,opibus,quibus ſubditos.Et qui ſe dignum imperio putat,in eo, quo uincit illos,qui uideantur ad parendū,ac ſeruiēdum nati.Hinc ſcitè illud apud Poëtam,Reges,quorum omnium credita eſt Ioui ſalus,iracundia impotenti eſſe, atq́ in poſterum quoq́ eam diu alere,ac fouere:nam facilè faſtidiūt omnia,qui in ſummo dignitatis gradu, & faſtigio fortunæ ſunt poſiti. Eſt & illud inſertum, inſitumq́ natura,ut ab ĳs obſeruari, ac magni fieri quiſq́ ſe uelit,à quibus ſibi gratia referri æquum cenſet:atq́ ĳ ſunt,quos beneficio aliquo affecimus,aut adhuc afficimus: ſiue id opera noſtra,ſiue amicorum noſtrorū,ſiue quoquo modo per nos conſecuti,adeptiq́ fuerint: ſiue item prodeſſe illis etiamnum uolumus, ſiue aliquando uoluimus.

Qualiter ſint affecti, qui iraſcuntur. CAP. IIII.

EX IIS planè colligi poſſe arbitror,quo nam pacto habeant ſeſe,qui iraſcūtur:item quibus,& quarum rerum cauſa iraſcantur. Certè ipſi cùm iraſcuntur, dolent: Porrò qui dolet, neceſſariò aliquid appetit. Igitur ſiue cominus quiſpiam ita affecto,& cupiēti ex aduerſo repugnet, ueluti ſiquis impedimento ſit ſitienti, ne bibat: ſiue non ſit,qui repugnet, nihilominus perſeuerat, ac præceps ruit: ac ſiue occurrat alicui, qui reſiſtat,ſiue non inueniat,qui deſiderium adiuuet, ſiue alia quæuis ratio cupiditatem moretur: ferè qui ita eſt perturbatus,incenſusq́, uriq́ ſolet omnibus,ac paſsim ira=

ſci. Proinde omnes in laſsitudine, egeſtate, amore, & ſiti, poſtremò in eo quiſque, quod diſcupit, ſi corrigere, aut adipiſci non poſsit, proniores eſſe ad iracundiam, & facilè iritari, permoueri'que ſolent. Præſertim uerò aduerſus eos incendimur, qui nullam rationem habent noſtri præſentis incommodi: ut ægrotus ijs, qui nihil ad morbum: Pauperes ijs, qui nihil ad egeſtatem: Milites ijs, qui nihil ad bellum: Amantes ijs, qui nihil ad eam cupiditatem opitulantur: eodem & cæteris modo. Nam ea animi perturbatio eos, quibus ineſt, quaſi præparat, & opportunos facit ad iraſcendum interuenientibus, atque obuijs omnibus. Sunt, qui tūc maximè inflammentur, cùm contraria ijs, quæ expectabant, tulerunt. Nam magnum malum, quod ſecuris, & uehementer inopinantibus ingruit, moleſtiam ſolet grauiorem afferre: tam hercule, quàm delectare magis ea bona conſueuerunt, quæ admodum præter ſpem, nec cogitantibus accidunt. Ex his facilè intelligi poteſt, quæ nam momenta, tempora, affectiones, ætates, ad proniorem iracundiam animum præbeant: quando item, atque ubi: tanto ſcilicet propenſius, efficacius'que, quanto quiſque uehementius cauſis illis tenetur, ac premitur. Atque in hunc modum habent ſe ſe, qui ad iracundiam facilè commouentur.

Quibus iraſcimur, & quamobrem. CAP. V.

IRASCIMVR autem ijs, à quibus rideri nos, ſubſannari, illudi, conuitium fieri nouimus: utpote qui manifeſtiſsimè aſpernari, & contumeliam facere uideantur: qui enim per eum modum efficiunt, & cauillantur, eadem illa impudentiæ argumenta præſeferunt, quibus contumeliæ iudicantur; hoc eſt nullum ad finem nullius ſui commodi gratia lædere: quibus ueſti-

gijs con

gijs contumelias explorari, & deprehendi ſuperius dictum eſt. Iraſcimur & maledicis, & inceſſentibus ea ſtudia, quibus ipſi admodum deditì ſumus: ut ij, qui philoſophiam ambitioſe amplectuntur, ijs, qui philoſophiæ ſunt infenſi: & ij, qui forma, & pulchritudine gloriantur, ijs, qui formam, pulchritudinemq́ contemnunt: ſimilis & in cæteris ratio. Planè omnes uehementer iraſcimur, quoties ea, in quibus reprehendimur, mordemur, aut omnino in nobis non ineſſe ſuſpicamur, aut leniter ineſſe, aut ſaltem ineſſe non uideri. Contrà quoties ineſſe nobis palàm, atque inſigniter illa ſentimus, conſcientia ueritatis, ac rei nec iraſcimur, nec huiuſmodi contumeliam curare admodum uidemur. Iraſcimur amicis grauius, quàm alienis: quia æquum ſit beneficium ab amico, non maleficium expectare. Item ijs, qui cùm ſolerent antè ſummo nos ſtudio, ueneratione profequi, deſierunt id facere: arbitramur enim nos illis ludibrio eſſe, atq; contemptui: alioqui ab ijs officijs non receſsiſſent. Iraſcimur & ijs, qui neque remunerantur, neq; parem gratiam referunt: & ijs qui diuerſa conantur, inferiores cùm ſint. nempe ab omnibus illis negligi, & contemni uidemur: ab alijs ceu prorſus inferiores, ab alijs ceu quadam fini inferiores. Succenſemus & ijs, qui nulla exiſtimatione, & opinione ſunt, deſpicere tamen nos, aſpernariq; audent: nam ſubiectum eſt à nobis ſuprà, iracundiam eſſe commotionem eam, quam contemptus eorũ facit, quos minimè conuenit: certè nihil minus conuenit, quàm ſuperiorem ab inferiori contemni. Porrò iraſcimur amicis, grauiter quidẽ ſemper, ſi neq; benedicunt, neq; bene faciunt: ſed tũc grauiſsimè, ſi aduerſus nos aliquid aut dixiſſe, aut feciſſe uideantur. Vehemens eſt & illa cauſa iraſcendi amico, cùm egeſta-

tem noſtram animaduertere non uidetur, ut Plexippus Antiphontis ille Meleagro: nã ipſum illud nõ animaduertere, ſignum eſt atq; argumentum contemptus: quia ſcilicet nemo ignorat, amici quid rerum gerant, quo'ue ſtatu ſint. Iraſcimur uehementer & ĳs, qui malis noſtris lætantur, aut omnino in aduerſa noſtra fortuna prę geſtiunt: hoc eſt, hilares eſſe, atq; alacres uidentur: quippe quòd uel inimicitiarum ſit, uel contemptionis indicium. Item ĳs, qui nihil uidentur curare, ſi dolorem, aut moleſtiam afferant. Hinc illud aliquando euenit, ut male accipiantur ĳ, qui moleſta renunciant. Item ĳs, qui mala noſtra audiunt, aut ſuſtinent oculis cernere: quia uel inimici ſunt, uel aſpernãtur. Alioquin amici ſi eſſent, condolerẽt. Porrò dolent omnes, qui in ſuis rebus aliquod incommodum intuentur. Iraſcimur uerò potiſsimum ĳs, qui nos in contentionẽ adducunt apud quinq; hominum genera. Primùm apud eos, quibus placere, probariq; uel ambitiosè cupimus: tum apud eos, quos admiratione proſequimur: deinde apud eos, quibus admirationi uolumus eſſe: deinceps apud eos, quosueremur: poſtremò apud eos, qui nos uerentur. Hi ſunt inquam, apud quos ſi quis infamare, & deformare nos auſit, grauiſsimè incẽdi, & cõmoueri ſolemus. Item ĳs, qui in ĳs rebus contemnere nos uidentur, quarum cauſa turpe ſit, nõ occurrere, aut dimicare: cuiuſmodi ſunt parentes, liberi, cõiuges, ſubiecti, clientes. Iraſcimur & ingratis: quòd & id genus uidetur immerentes cõtemnere. Solemus, & illudentibus nos, & cauillantibus, apud probos, & ſtudioſos uiros uehementer iraſci: quoniam omnia, quæ per ironiam, atq; illuſionem dicuntur, uidentur ex cõtemptu, atq; deſpicentia proficiſci. Item ĳs, qui in omnes ſunt, præterquàm in nos, liberales, atq; be

nefici

neficii:nã & hoc ludibrij genus eſt, Negare id cuiquam, quod conceſſeris omnibus. Eſt & obliuio interim iracundiæ cauſa, ut ſi quis noſtri nominis facilè obliuiſcatur, nam cùm in re tam modica ſupinus eſt quiſpiam, uidetur apertiſsimè aſpernari. Obliuio enim ex negligentia, atq; incuria oritur: Incuria nihil aliud eſt, quàm contemptus. A c quibus nam iraſci homines ſoleant, & quo pacto affici, & quarum rerum cauſa qui iraſcuntur, dictum eſt ſatis. Quare liquet eum, qui rapere in iracũdiã iudicem ſtudet, oportere primùm præparare animum eius dicendo ita, atq; in eum habitum formare, ut efficiatur talis, qualis eſſe, cùm iraſcitur, ſolet. Deinde perſonam aduerſarij deſtruere infamia eorum criminum, quæ iudex maximè deteſtetur. Poſtremò talem oſtendere eum, qui cum litigat, debet, quales ſunt ij, quibus iudex conſueuit iraſci.

De affectu contrario iracundiæ. CAP. VI.

QVONIAM uerò Iraſci, & Manſueſcere, item Iracundia, & Manſuetudo contraria eſſe cõſtat, indicandum eſt, quo nam pacto habent ſe, qui manſueſcunt, atq; placantur: Item quibus, & quarum rerũ cauſa placari, & manſueſcere ſoleant. Eſt igitur Manſuetudo compoſitio animi, atq; infrænatio iracundiæ. Si ergo iraſcimur ijs, qui nos contemnunt, contemnit autem nemo niſi uolens, prudensq;: apertè patet, erga eos, qui nihil huiuſmodi faciunt, aut per imprudentiam faciunt, aut qui facere non uideantur, miti nos animo eſſe, atque pacato. Itẽ ijs, qui contrà, quàm fecerint, probant: & ijs, qui tales in ſe ipſos ſunt, quales aduerſus nos fuerint: quia ſcilicet longiſsimè abſunt à ſuſpicione contemnendi, cùm nemo ſe ipſum contemnere uideatur. Item ijs, quos pœnitet feciſſe, proindeq; factum confitentur: cum

enim dolor ille, qui ex pœnitentia naſcitur, uice pœnarum ſit, ſatisfactum eſt libidini, & deſiderio ulciſcendi, ſimulq; iracundia ſopitur, & concidit. Hoc uerò in delictis ſeruorum experimur: nam ſi inficiantur, altercanturq; nobiſcum acrius, etiamnum, uehementiusq; cęduntur: ſin uerò fateantur erraſſe, atq; idcirco ſeſe dicant non immerentes plecti, tranſuerſam iracundiam auferunt, atq; impetu illum animi furentis abrūpunt. Cauſa ea, quòd mendacium impudens eſt, negare ea, quæ in oculis, ac luce uerſantur: Impudentia porrò cōtemptio, & deſpicientia eſt: quos enim quis contemnit, qui poteſt uereri? Item ijs, qui ſeſe nobis ſummittunt, nec contrà uelitantur: uidētur enim ceu fateri, ſe inferiores eſſe: inferiores autem timent: contemnit nemo, quem timet. Quàm uerò placabilis quiſq; ſit aduerſus eos, qui deijciunt ſeſe, atq; humiliter gerunt, diſci poteſt, à canibus, qui quos ſedere comperiunt, non mordent. Miteſcunt & erga eos, qui ſtudioſi aduerſus ſtudioſos ſunt: uidentur enim coli, non ſperni. Item ijs, qui maiora elargiti, gratificatiq; ſunt. Sunt qui rogari uelint, proindeq; ferè omnes placati, ac faciles redduntur ijs, qui cùm egent, noſtram opē implorant: quia ſcilicet inferiores nobis, atq; abiectiores rogando, & ſupplicando uidentur. Solemus & ijs eſſe placabiles, qui naſuti ſubſannatores, putidi, contumelioſi non ſunt: ſiue ita uerecundi aduerſus omnes ſint, ſiue aduerſus bonos duntaxat: ſiue aduerſus eos, quibus ipſi ſimiles ſimus. In plenum, quicquid iracundiam facit, ſi ex contrarijs cauſis in diuerſum ſpectetur, ad manſuetudinem, placabilitatemq; perducet. Miteſcimus & ijs, quos timemus, aut reueremur: quia quandiu ſubeſt metus, iraſci nō poſſumus: pugnāt enim duo illa inter ſeſe, timere, atq; iraſci ſimul. Planè nō iraſcitur

ſcitur quiſpiam, aut minus iraſcitur ijs, qui per iracundiam aliquid fecerint: quoniam non uidentur id contemptu feciſſe, ſed impetu: nemo enim cùm iraſcitur, contemnit: nam contemptus caret dolore, iracundia ſine dolore eſſe non poteſt. Omnino ijs ſumus placatiores, qui nos uerentur, colunt, obſeruant. Certè illud conſtat, omnes qui affecti ſunt cõtrà, quàm ij qui iraſcũtur, mitigato animo eſſe, atq; tranquillo. Quod quidẽ maximè cõtingit in iocis ac riſu, publicis ſacriſq; ludis, in ſecunda fortuña, in magno aliquo ſucceſſu, in fine aut defunctione laborum, demum in omni ſolutione triſtitiæ, in ſpe honeſta, in uoluptateq; contumelia careat. Facilè leniuntur & ij, qui non recenter commoti, ſed diu antè irati fuerunt: nam iracundiam tempus emollit, ac frangit. Solet & deſumptum prius ab alio ſuppliciũ iracundiam maiorem conceptam in alterum tollere. Quocirca Philocrates irato ſibi populo, interrogãti amico, cur non dilueret ea, quorum eſſet apud illum inſimulatus, ſapienter, & rectè reſpondit, Nondum tẽpus eſſe, ſed tunc futurum, cùm alium, inquit, uidero in odium deductum, & proſciſſum infamia. Planè ſimul atq; ſemel erupit ira, ceu effuſo, abſumptoq; ſpiritu, furor ille elanguet, atq; euaneſcit in altero: quod & Ergophilo accidit: is enim tametſi iudices inſenſiores, quàm Calliſthenes, haberet, facilè tamen abſolutus eſt: quia pridie Calliſthenes damnatus capite fuerat. Reuocatur & eo modo iracundia, ſi ij, qui nos iritauerũt, incommodum aliquod tulerint, perpeſsiq; fuerint maius, quod nos irati intuliſſemus, quaſi ſatis pœnarum dediſſe uideantur. Aliquando illa ratione miteſcimus, quòd peccaſſe intelligimus, proindeq; dignos eſſe, in quos animaduerſum ſit. Nemo enim iraſcitur ei, à quo iure inceſ-

ſitur:

ſitur: nã qui iure inceſsitur, arbitratur ſe contra fas, atq; immeritò non uexari: quæ una conditio demonſtrata eſt iracundiam facere. Quamobrem primam eſſe caſtigationem illam oportet, quæ uerbis conſtat: nam ſerui quoque minus moleſtè uerbera perferunt, ſi prius ita admoniti, coargutiq; fuerint. Sed & ea quoque cauſa iracundiã diſcutit, quòd eos, quibus infenſi ſumus, ignoraturos interim putamus, & autores non eſſe illius incommodi, & pro ea iniuria reponẽda, quam in nos illi priores intuliſſent: Ira enim priuatim ad ſingulos (ut definiendo oſtendimus) pertinet. Quapropter rectè fictum eſt à Poëta, Dic fuiſſe Vlyſſem expugnatorem urbiũ. Quaſi uideri uindicta non poſſet, quã & quis intulerit, & cuius iniuriæ cauſa retulerit, neſciatur. Quamobrem nemo ſubiraſcitur carentibus ſenſu, nec iracundia proſequitur mortuũ, tanquã ille extrema ſit paſſus, nec ſenſum ullum doloris habiturus, nec intellecturus, quod maxime concupiſcũt irati. Quare nec illud ab re Poëta de Hectore induxit, cui uel extincto Achilles uidebatur iratior, Surdam tellurem eſſe, quam cæderet. His locis facultas leniendi, componendi, tranquillandiq; iudicum animos conſtat. Ex ijs itaque rationibus primùm auditor ipſe præparandus eſt, atq; in eum habitũ formandus, ut faueat, deinde per commendationẽ eorum, quibus ſubirati iudices uiderentur, ita afficiendi mouendiq; ſunt, ut aut metuant illos, aut uereantur. Poſtremò oſtendendum eſt, gratificari illos, non lædere uoluiſſe, inuitiſsimos in hoc errati incidiſſe, neminẽ plus dolere ipſis, qui feciſſent.

De Amore. CAPVT VII.

NVNC quos, & quas ob cauſas diligere, odiſſeq; ſoleamus, definitio amicitiæ, atque illius ipſius

pſius quod eſt amare, demonſtrabit. Eſt igitur Amare, erga aliquē uoluntatem habere rerum bonarum illius, earumq́ pro uiribus earum autorem, atq; exploratorem eſſe, non ſua, ſed ipſius cauſa, quem diligit. Amicus eſt, qui ita diligit, cum eius pari uoluntate, quem diligit. Atq; ij ſibi uidentur Amici eſſe, qui quales ipſi in alterum ſunt, talem eſſe erga ſe illum arbitrantur. His conſtitutis, neceſſe eſt Amicum eſſe, qui ſecundis rebus alterius gaudeat, aduerſis indoleat, nō alia cauſa, quàm illius. Omnes enim rerum, quas optant, obuentu lætantur, contrariarum dolēt. Ita fit, ut uolūtatis, quam quis erga aliquem gerit, certiſsima ſint argumēta, uoluptas, & dolor. Amici ſunt & ij, quibus eadem cōmoda, atq; incommoda ſunt. Item qui eoſdē amicos, & inimicos habēt: utpote quos neceſſe ſit idem uelle. Quamobrem qui alteri uult ea, quæ ſibi, is proprie uidetur amicus eſſe. Diligimus & eos, qui nos, aut aliquem ex ijs, qui cari nobis ſunt, beneficio aliquo affecerunt: ſiue ex ſua ui magna fuerint illa, quæ tulimus: ſiue ex uoluntate dantis, quòd is prompte, ac ſtudioſe contulerit: ſiue ex tēpore, quòd tum maximè dederit, cùm indigeremus: ſiue eſt animo, quòd is non ſui, ſed noſtri cōmodi cauſa dediſſe uideatur. Diliguntur & ij, quos nobis bene facere uelle arbitramur. Diligimus & amicorum amicos, & eos, qui diligūt, quos ipſi diligimus: & eos, qui diliguntur ab ijs, qui diliguntur à nobis. Item eos, qui ijſdem, quibus & nos, inimici, hoſteſq; ſunt: & eos, qui odio habent, quibus & nos ſumus infenſi: & eos, qui odio habentur ab ijs, qui odio habentur à nobis. Nam ijs, quorum eadem eſt uoluntas, quæ nobis, eadē quoq; bona uidentur eſſe, quæ nobis. Cùm ergo uelint eadem illa, quæ nos, neceſſe eſt, ut bona nobis optent, & uelint,

ſint, quod quidem amicitiæ munus eſſe mõſtrauimus. Planè diligimus uehemẽter illos, qui nos pecunia, atq; opibus uehementer adiuuant. Item & illos ſtudioſiſſimè, qui ſalutem noſtram tuentur. Hinc euenit, ut liberales, fortes, & iuſti, paſsim in honore, ac precio habeantur: tales uerò cenſentur eſſe, qui externo quæſtu non uictitant, cuiuſmodi ſunt, qui laborando uictum, operandoq́; comparant: atq; ex eo genere potiſsimum, qui uiuunt ex agro: deinde ex cæteris, qui maximè degũt ex opificio manuum. Afficimur & temperatis, modeſtisq́;, quòd uidentur ab iniuria abhorrere. Eadẽ ratione & ijs, qui admodũ curioſi non ſunt. Item ijs, quibus amici eſſe uolumus, ſi ipſi uelle uideantur: cuiuſmodi ſunt, qui uirtute, & probitate iudicãtur excellere, quiq́; amplitudine, & claritate apud omnes, aut optimos præſtant, aut apud eos, quos ipſi admiramur, ſi in ea præſertim parte uirtutis, & laudis præſtare uideantur, in qua illi admirationi ſunt nobis. Allicimur & ijs uehementer, quorum in conuictu periucunda conſuetudo eſt: tales ſunt, qui morum facilitate ſunt præditi, qui ad eorum, quibuſcum uerſantur, errata conniueant, qui ab omni cõtentione, pertinaciaq́; remoti. Nã, qui pertinax, contentioſusq́; eſt, non uidetur idem uelle, atq; eadem ſentire, quæ cæteri, quod eſt ad conſtituendam amicitiã caput. Eſt & illorum pergrata conſuetudo, qui iocis tum ſalsè & commodè inferendis, tum facile & æquo animo perferendis, dexteritate quadam ingenij, habilitateq́;, & comitate excellunt. Quia eòdem properare, ac tendere, quò amici, uidentur ij, qui & dictum excipere, & perpeti leniter poſſunt: & contrà urbanè, ac uenuſtè ſalem inurere. Diligimus & eos, qui commendant ea bona, quæ à nobis habentur: præcipuè ſi illa

commendent, quæ à nobis nō haberi ſuſpicamur. Propendimus & in eos quadam uoluntatis inclinatione, qui munditia oris, habitus, ueſtium, demum totius uitæ elegantia cultum quendam præſeferunt, atq; ſplendorem. Prouocant & illi nos ad diligendum, qui neq; recenſere peccata, neq; beneficia exprobrare conſueuerunt: alioquin utrunq; reprehenſionis, & notationis cuiuſdam eſt genus, quod amicos, quibuſcum uerſamur, uehementer offendit. Amamus & eos, qui iniuriarum obliuiſcuntur, quiq; memoriam criminum diu retinere non ſolent, ſed facilè reuocantur in gratiam. Nam quales eſſe illos in alterū arbitramur, tales erga nos quoq; futuros ſperamus. Diligimus & eos, qui neq; uitiligatores, neq; maledici ſunt: qui nec mala noſtra, nec ſua, ſed bona duntaxat intelligunt, nam uir bonus hoc facit. Item eos, qui cum irato non altercantur, nec ſtudio alicuius uehementer, & incitata re obſiſtunt: alioquin dimicatio eſſet, quæ maxime beneuolentiam abdicat. Item eos, qui aduerſus nos ita ſunt affecti, ut admirentur, obſeruent, probos, & ſtudioſos putent. Demum qui nobis gratulantur, & gaudent, atque in ĳs potiſsimum rebus, in quibus tum admirationi eſſe, atq; præſtantes intelligi, tum iucundi, & comes uideri, haberiq; uolumus. Diligimus & eos, qui ſunt nobis aliqua ſimilitudine proximi, aut eiſdē artibus, ſtudĳsq; coniūcti. Atq; hoc ita, ſi alter alteri impedimento non ſit, aut ſi non ex una tantum ratione utriq; præſidia uitæ, alimentaq; pendeant, ut dimicare ſit neceſſe pro uictu: alioquin uulgatum ſolet illud eſſe ueriſsimum, Inſenſum eſſe figulum figulo. Amamus & eos, qui eodem quo nos deſiderio tenentur, utiq; ſi id communicari ſimul utrique poſsit: ſin minus, ſuccedat diſcordia illa figulorū oportet.

tet. Illi quoque quibuſcum ita licet loqui, ut ſine rubore confiteri poſsimus, non contemnere nos ea, quæ uel in oſtentatione ſunt poſita, potius contrà erubeſcamus, diſsimulato ambitu eò prætendere ſtudium ueritatis. Item ij, quibus placeri, probariq́ operoſe, & anxiè quærimus, quibusq́ non inuidioſi quidem eſſe, ſed quadam æmulatione obſeruari, cuſtodiriq́ cupimus. Huiuſmodi omnes aut diligūtur à nobis, aut amici eſſe, & cari illis optamus. Eorum quoq́ beneuolentiam quærimus, & quorum ſocietas ultrò ineunda ſit nobis, niſi maiora aliqua incommoda timeantur. Inſinuamus & nos in amicitiam eorū ſtudioſiſsimè, qui abſentes æquè diligunt, atq́ præſentes: quapropter ferè omnes diligere ſolemus eos, qui in mortuos pij, officioſiq́ ſunt. Solemus & eorum magnifacere beneuolentiam, quos erga amicos uehementer ſtudioſos eſſe cognoſcimus: & qui facilè non deſerant, quos ſemel diligere cœperint: nam ex omnibus bonis, ij potiſsimum diliguntur, qui ſciunt diligere. Item ij, qui expoſiti, ſimplices, & minimè ficti ſunt nobis: quod eo argumento maximè deprehendas, ſi nec incommoda quidē, aut uitia ſua diſsimulant: nam hoc eſt, quod paulo antè dicebamus, amicos haberi, quibus ſine rubore fateri, aperireq́ ambitus noſtros licet. Si igitur, quem ueretur quiſq́, non diligit: neceſſe eſt, ut diligat, quem non ueretur. Item & eos, quos non metuimus, & eos, quibus fidimus: quia amat nemo, quem metuit. Amicitiarū uerò ſpecies conſtat eſſe planè multas. Sodalitium, Familiaritatē, Neceſſitudinem, Cognationem, atq́ eius generis cæteras. Amicitia porrò ex ijs magnopere cauſis gignitur, ſi gratis beneficiū dederis, ſi nō rogatus, ſi poſteaquàm dederis, tu illud non inuulgaueris: alioquin non cauſa illius cui

dediſſes

dediſſes, ſed ut intelligeretur autor, dediſſe uidearis: illo autē modo nihil aliud ſpectaſſe, quàm ut ꝓdeſſes amico.

Differre Inimicitiam ab Ira. CAP. VIII.

DE INIMICITIA, offenſione, odioq́; quę nā edifferenda, præcipiendaq́; ſint, liquere ex cōtrarijs rationibus arbitror. Inimicitiæ contrahūtur ira, detractione, calumnia. Cæterum Inimicitia differt ab Ira: nam Iræ inſurgunt ex ea iniuria, quæ nobis affertur: Inimicitiæ frequenter nullius iniuriæ occaſione naſcuntur. Nam ſimulatq; de aliquo malè ſentimus, hoc ipſo induimus odium. Deinde Ira excandeſcit in ſingulos, Calliam, Pythagoram, Socratem: Odia plerunque in ipſum genus exardent: ut nemo eſt, qui non oderit delatores, & fures. Deinde Ira medicatur, & diſcutitur tempore: Inimicitiæ perſanari, & extingui nō poſſunt. Praeterea qui iraſcitur, cupit dolorem, moleſtiam'que afferre: qui uero odit, calamitatem potius, atq; damnum. Iratus enim ſentiri, cognoſci'que uult: Inimicus non magnopere laborat hoc ſtudio. Ac ea quidem, quæ dolorem, & moleſtiam afferunt, ferè omnia percipiūtur ſenſu: quæ uerò maxime mala, calamitoſaq; ſunt, longiſsime abſunt à ſenſu, ut iniuſtitia, amentia: nā malitia, improbitas, uitia cętera, atq; id genus incommoda nullum dolorem habentibus inferunt. Iram concomitatur dolor: Inimicitiæ poſſunt eſſe ſine dolore. Qui enim iraſcitur, dolet: qui odit, non dolet. Item iracūdiam ſæpe uis malorum eius, cui iraſcimur, inclinat, & ad miſericordiam reuocat: Odium nulla calamitas flectit. Item is, qui iraſcitur, indolere uult eum, cui eſt infenſus: At is, qui odit, optat omnino non eſſe eum, cui eſt infeſtus. Atq; ex ijs, nō modò ſi quæ ſunt inter aliquos inimicitiæ, amicitiæ'ue, id ipſum poteſt oſtendi: uerùm etiam

ſi non ſunt, accipi poteſt, quo pacto efficiantur: aut ſi ſe affirmauerint amicos eſſe, qua ratione diſſocientur, committanturq́. Qui uerò uel ſolicitati iracundia, uel ſimultate aliqua dubij uidebuntur eſſe, eos ad utrumcunq; uoluerimus motum impellendi ſuppeditabit facultas ex ijs locis, qui nobis latiſſimè ſunt expoſiti.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

De Timore, Metuque, & de iis, quæ timentur.
CAPVT IX.

QVAE ſint res, quibus homines timeant: item qui, & quomodo habeant ſe ſe, qui timent, mox aperiemus. Sit igitur Timor, ſeu Metus, dolor quidam, & trepidatio animi ex cogitatione profecta futuri mali, quod aut perniciem, aut moleſtiam uideatur adducere. Non enim mala omnia timentur, ut quòd iniuſti, aut tardi futuri ſimus, ſed ea, quæ magnas moleſtias, aut perniciem poſſunt afferre, præſertim ſi non procul, ſed propè ſint, ut inſtare, atque impendere uideantur. Nam remota admodum nemo formidat. Sciunt quidem omnes ſe mortales eſſe: ſed quia malum illud à nobis procul eſt poſitum, quaſi pertinere nõ uideatur ad nos, minimè curant. Ergo ſi hoc eſt timor, neceſſe eſt ea eſſe timenda, & terribilia, quæ magnam uim habere uidentur, aut ad perdendum, aut ad officiendũ uehementer, & cum dolore ſummo. Quò fit, ut uel ſigna ipſa, atq; indicia earum rerũ, quæ ita timentur, ſoleant timorẽ, ac metum incutere: quippe quibus quaſi prænũtijs intelligatur imminere pernicies. Nam & hoc eſt quod Periculũ uocamus, acceſsio uidelicet, appropinquatioq́ eius rei, quam quis magnopere formidat. Tales habẽtur iræ, inimicitiæq́ potẽtium: cùm enim & uelint, & poſsint obeſſe, propè ſunt, ut facere quod libido imperat, uideantur. Eiuſdem generis eſt, & Iniuſtitia ferẽs arma: nã in-

iuſtus

iuſtus uoluntate, propoſitoq́ iniuſtus eſt. Eódem ſpectat & Virtus quæ læſa eſt, ſi uires, ac neruos habeat: quoties enim quis iniuriã tulit, ſemper optat nocere ei, à quo tulit: at uirtus uires habẽs, ſtatim hoc poteſt implere. Ad eandem rationem pertinet metus eorum, ac trepidatio, qui aliquid poſſunt: nam ſimulatq; premi ſe periculo ſentiunt, euocant aciem, ac uires ſuas omnes exponunt. Cùm ferè omnes emolumento capiantur, & quæſtu, cumq́ pauci ſint in ſuſceptiõne, atq; aditione periculorum intrepidi, ſemper timẽdum eſt iuri alterius, ac poteſtati ſubeſſe. Hinc euenit, ut facti alicuius ingẽtis, & uehementer ardui cõſcios timeamus, ne aut prodere ſpe lucri nos uelint, aut deſerere præ timore cogantur. Timentur ſanè qui poſſunt iniuriam facere, potiſsimum ab ijs, qui facile lædi poſſunt: nec enim temere quiſpiam eſt, qui cum poteſt, contineat ſe ab iniuria. Timendi ſunt & ij, quibus iniuria eſt illata, aut qui ſibi arbitrantur illatam: nam & obſeruant tempus, & occaſionem expectãt. Metuuntur & qui iam iniuriã attulerunt, ſi poteſtatem habent: quoniam ultionis metu, pro ea iniuria, quam intulerunt, ſæuire, & graſſari non ceſſant: nam ſubiectũ eſt ſuprà, huiuſmodi eſſe id, quod nos terribile, & metuendum appellauimus. Timentur & qui eiuſdem rei cauſa dimicant, utiq; ſi eam conſequi ambo non poſſunt: quia neceſſe eſt, ut cum ijs ſemper bellum geratur. Timentur à nobis ij, quos nobis ſuperiores, & nobiliores timent, utpote qui plus nobis obeſſe poſſe uideãtur, quàm illis. Eadem ratione metuuntur & ij, qui potentiores nobis, aut deterrere, aut è medio tollere, profligaréue potuerunt. Timentur & ij, qui inferiores nobis infeſtant, ceu iam cauendi, formandiq; ſint, aut mox, ſimulatq; uires increuerint, ſubinde in nos quoq; manus iniecturi. Ex

ijs autem qui à nobis iniuriam acceperũt,uel quibus ob ſimultates,aut controuerſias aliquas odioſi, infenſiq́; ſumus,magnopere obſeruandi, & fugiendi ſunt: non qui in ira ſubiti,ac præcipites ruunt,qui'ue apertè,ac liberè inuehuntur, ſed qui pacata, quietaq́; fronte diſsimulando, & illudendo uafrum, ac uerſutum animum ſupprimunt:tales planè nocentiſsimi, perniciosiſsimiq́; habentur:quia cum propè inſidias,atq; dolos ſtruũt,ignorantur,& latent:ita fit,ut timeri,& caueri non poſsit,quod procul abeſſe uideatur. Omnia quidem, quæ timentur à nobis,ſanè tum maximè ſunt timẽda,cùm poſtquàm commiſſa,perpetrataq́; ſunt,corrigi,emendariq́; nequeunt:ſed uel omnino irreparabilia, deplorataq́; uidentur eſſe,uel talia,quæ non à nobis, ſed ab aduerſarijs reſtaurari,& inſtitui poſsint. Timentur & illa uehemẽter,quę aut nulla ope, aut magno cum labore defendi, euitariq́; poſſunt: & ut ſimpliciter dictũ ſit, omnia illa terribilia, & formidoloſa ſunt nobis, quę in altero miſerabilia ducimus. Et hæc quidem terribilia ſunt,atque ea, quæ homines timent,ferè dixerim, ex omnibus maxima, atq; præcipua. Nam quemadmodum habeant ſeſe, affectiq́; ſint,qui ita terrentur,ſubinde dicetur.

Quo modo afficiantur in metu,qui timent. CAP. X.

SI METVS eſt commotio animi cum expectatione pernicioſi alicuius incõmodi,cõſtat apertiſsimè, neminem timere,qui ſe nihil incommodi ſubiturum putat. Item nec ea timeri à quoquam, quæ ſe minimè perpeſſurum cẽſet:nec eos,à quibus ſibi nihil imminere ſuſpicatur:neq; tunc, cùm id minime fieri poſſe exiſtimat. Neceſſarium itaq; eſt,eos qui terrẽdi ſunt,primum ſcire ſe lædi poſſe, deinde haberi qui poſsint hoc facere, tum huiuſmodi eſſe incõmoda, quæ facile ſit ſubiturus. Poſtremò

ſtremò adeſſe oportunitatem,& tempus, quo uexari,offendiq́ commode poſsit. Cæterùm qui ſecundiſsima fortuna fruuntur, non putant poſſe ſe lædi. Proindeq́ haud temere quiſquam reperiatur,qui in eo afflatu non ſit cōtumelioſus,contēptor, & arrogans, id genus ſunt, quos uires,quos diuitiæ,quos clientelæ,quos potentia, quos amicitiæ ſubleuant.Nec illi quoq́ lædi ſe poſſe arbitrantur, qui cùm extrema ſint paſsi, ſpem omnem in poſterum amiſere: cuiuſmodi ſunt,qui ad ſuppliciū deſtinantur,& mortem. Nam ĳs,quos aliquis metus tangit,ſupereſſe ſpem aliquam ſalutis neceſſe eſt:cuius rei id ſignoeſt,quòd ſimulatq́ tumultuat animus metu,ſubit, ſuccedit'q́ ratio capiundi conſilĳ:atqui nemo conſilium init deſperatis rebus.Quamobrem quoties cauſę noſtræ ratio poſtulabit,pręparandi ſunt iudices, atq́ auditores ut timeant:quod ut conſequi ualeat orator, conquirere, ac ſubĳcere debet omnia illa,quæ diximus,Non eſſe illorum fortunam eiuſmodi,ut appeti, aut lędi nō poſsit. Alios fuiſſe uel potentiores, uel pares, qui aut læſi iam, atq́ offenſi fuiſſent,aut modo læderētur ab ĳs,alioquin & in ĳs rebus,atq́ eo tempore, à quibus, & in quibus, & quando ſibi minimè timuiſſent.

De Confidentia, Audaciáue. CAP. XI.

CVM autem explicatum ſit,quid nam ſit metus,& quæ res timeantur,& quo pacto habeant ſeſe, qui timent: facilè intelligi poteſt, quid ſit audacem, & confidentem eſſe,& quibus rebus confidentia gignatur: poſtremò quemadmodum affecti ſint, qui cōfidunt. Nam ſi confidentiæ contrāriatur metus, contrarias quoq́ res eſſe,& rationes illas oportet,quæ confidentiam, & audaciam pariunt ĳs, quæ metum, ac timorem incutiunt. Erit ergo confidentiæ motus eiuſmodi ſpes, quæ profi-

ciſcitur ex cogitatione, imaginationeq́ſalutarium rerum,quas homines breui ſe conſecuturos putant:aut terribiliũ,formidoloſarumq́,quas aut extinctas, aut ſublatas eſſe,aut remotas,& procul poſitas arbitrãtur.Confidentiam autem faciunt,diſiuncta, & longinqua pericula. Item cõmoditas proxima, & parata ſecuritas. Sed & ſucceſſus,& auxilia,quæ uel numero, uel magnitudine,uel utroque genere præcipua habeãtur.Ex illis quoque fiducia nobis interim oritur, cùm nemo eſt, qui uel nos laceſſierit, uel contrà ſit à nobis iniuria laceſſitus. Itẽ cùm intelligimus, uel nullos nobis aduerſarios, aut æmulos eſſe:uel ſi ſint,deeſſe illis uires:uel ſi non deſint, amicos tamen nobis eſſe, aut de nobis optimè meritos, aut nos contrà de illis.Fidentes & illi redduntur,qui uel multorum,qui eodem ſtudio teneantur,ope,uel meliorum,præſtantiorumq́ præſidio, uel utraque acceſſione adiuuantur. Atq́ hæc ſunt ea,quæ extra nos poſita,confidentiam,atq́ audaciam alunt,& excitant.

Quo modo affecti ſint,qui fidunt,confidũtue. CAP. XII.

NVNC quo pacto habeant ſeſe, atque afficiantur, qui fidunt, ordine inſtituto dicemus.Primùm uehementer fidunt, qui multas res proſperè, filiciter'que geſſerunt, nullo euentu contrario. Deinde qui pericula ardua, quæ frequentiſsimè adĳſſent, magno ſucceſſu euaſerunt. Nam duplici ratione fit,ut nunquàm temere quiſpiam graue aliquid paſſus uideatur: Vna, ſi non ſit unquam expertus: altera, ſi auxilĳs, copĳsq́ munitus, in pericula demum irruerit: nam & in mari confidunt hyemante ponto, tam ĳ, qui eius diſcriminis ſunt expertes, quàm ĳ, qui præſidium habent, quod in peritia,atque uſu eius artis eſt poſitũ. Fidimus & tum quoque non mediocriter, cùm eos, qui aut plures, aut pa-

res,

res, aut inferiores nobis ſunt, aut certè eos, quibus ipſi ſuperiores, & meliores uidemur eſſe, intrepidos, atque imperterritos cernimus: Videmur uerò meliores, & ſuperiores eſſe uel ijs, quos ipſi aliquando uicimus: uel ijs, quibus uel meliores, ſuperioresq́, uel pares, ac ſimiles uicimus. Fidunt & qui plures ſibi, & maiores copias eſſe arbitrantur, quarum abundantia formidoloſi ſint cæteris: ea poſita ſunt in multitudine pecuniæ, uiribus corporis, opibus regionis, potentia amicorum, poſtremò ijs auxilijs, uel omnibus, uel præcipuis, quibus bellici apparatus, & copiæ continentur. Item qui neminem lęſerunt, uel admodum paucos, uel eos, à quibus minimè timendum ſit. Præterea ij, qui rem iubentibus ſacris, & auſpicato ingrediuntur: quibusq́ue tum alia reſpondent, quæ ad Deos pertinere, quæq́ de Dijs quæruntur: tum præcipuè oracula omnia, ſigna de cœlo. Nam ira confidentiam facit: iram autem non illata gignit, ſed accepta iniuria. Numina porrò fauere cenſentur laborantibus, atque oppreſsis iniuria. Sunt & illi fidentiores, qui quod priores adoriuntur, aut nihil ſe paſſuros inde, aut certe conſecuturos quod uolebant, arbitrantur. Quę res timorem, & quæ fiduciam gignerent diximus.

De Pudore, & rebus, quarum pudere nos debet. CAP. XIII.

NVNC quibus ex rebus pudor, & impudentia proficiſcatur huiuſmodi, & quos potiſsimum uereri ſoleamus, & quo pacto affici, cùm nos uerecundia, aut pudor inceſsit, utique ſequens eſt docere. Sit igitur Erubeſcentia, Pudor'ue, moleſtia quædam, & æſtimatio animi ex malis orta, præſentibus, præteritis, aut futuris, ob quę ſubeunda ſit ignominiæ alicuius nota. Impudentia conſtabit in diuerſum, ut ſit contemptio, indo-

lentiaq; earum rerum, quas uerecundi magnopere reformidant. Ergo ſi ea eſt natura & uis pudoris, neceſſe eſt, ut nos earum rerum maxime pudeat, quæ uel nobis, uel ijs, qui nobis curæ ſunt, dedecori, aut turpitudini futura eſſe uideantur. Atque hæc ſunt peccata huiuſmodi, quæ ex animi uitio proficiſcuntur: deſerere locum in acie, abijcere clypeum, fugere: nam hæc ex pauore uidentur committi. Præterea inficiari depoſitum, quod iniuſtitiam, ac libidinem animi oſtendit: Coire quibuſcum non licet, & ubi, aut quando non licet: quod intemperantiam præfert. Minimis quibuſque emolumentis capi, & quæſtum turpem exercere. Poſtremò quacunque ratione, atque unde nihil exprimi poteſt, ueluti ex paupere, aut defuncto, odorari lucella omnia, atque ſectari, quando & hæc res in prouerbium ceſsit, Spoliaturum uel mortuos, qui ita cupidus uideretur. Planè totum hoc aſinarium eſt, atque ex præſtigioſa quadam auaritia, modicitateq; prouenit. Item illud, non iuuare opibus egentem, cùm poſsis: aut minus iuuare, quàm poſsis: aut iuuari uelle ab ijs, quibus ipſe ſis ditior. Item accipere ab aliquo mutuò, cum petere uideatur ille: & petere, cùm ille repetat: aut repetere contrà, cùm petere. Item laudare, ut petere, & optare aliquid intelligaris, & quod conſecutus non ſis, atq; unde repulſam tuliſti, nihilo ſecius urgere, efflagitareq;: uidentur hæc omnia ſordidæ cuiuſdam cupiditatis, auiditatiſque argumenta eſſe. Adulatoris autem ſigna ſunt, cõmendare, & prædicare præſentem: bona, uirtutéſue ſupra modum extollere: mala, uitiáque abijcere, alleuare, ſupprimere: dolentibus grauiter condolere: & cætera eius generis, quæ aſſentationis artificium detegunt. At labores detrectare, quos perferunt ſenes, quos

delicati

delicati amplectuntur, quos licentiores non recuſant, quos demum ſuſtinent, ſuſcipiunt'que minus uolentes, mollitiei ſunt, ac luxus indicia. Pati uerò non ornari ſe modo à quoquam beneficijs, ſed etiam onerari, ſua itẽ, ſi qua cõtuliſſet, frequẽter exprobrare, ſigna ſunt animi humilis, atq; præparci. De ſe ipſo autem ſæpius loqui, prædicare, polliceriq́; multa, aliena quoque benefacta aſſerere, ac uendicare ſibi, arrogantiæ eſt. Eodem modo & reliqua opera, actiones, ſigna ſimilia, quæ in moribus, uitaq́; hominis, ex cæteris animi uitijs proficiſcuntur, & ueniunt, ſunt & turpia, & pudenda. Eſt & illud dedecori pluribus, quòd ſoli priuãtur ijs bonis, quibus pares omnes, & plurimi perfruuntur. Pares intelliguntur, qui ex eadem ſunt gente, ciuitate, cognatione, poſtremò quorum æqua fortuna eſt. Proinde futurum turpe ſit ijs, ſi ea re, quæ cæteris nõ deeſt, aut ſoli deficiantur, aut minus excellant, ueluti eruditione, diſciplina, ac ſimilibus. Verùm omnia hęc maiorem ignominiam afferunt, ſi ij, quibus inſunt, infuerunt, aut inerũt, autores ſibi fuiſſe uideãtur. Hactenus de rebus ijs, quæ ſunt facientibus turpia: Nunc de ijs agatur, quæ ſunt paſsis, paſſuris, patientibus turpia. Ea ſunt, quæ probrum, & uilitatem, aut dehoneſtamentum adducunt: ut ſordida miniſteria, uel corporis, uel turpium officiorum, & operum, ex quorum numero eſt, Contumelia affici. Cõtumeliæ uerò genera duo: alterum ad libidinem, atque intemperantiam ſpectat, atq; hoc eſt & uolentibus, & inuitis turpe: Alterum pertinet ad uim, atq; hoc dedecori eſt duntaxat inuitis: nam perferre uim, neq; tueri ſe poſſe, imbellis, & præpauidi hominis eſt. Hæc ſunt, quæ pudorem, & uerecundiam afferunt.

Quorum hominum nos pudeat. CAP. XIIII.

CVM autem pudor ex cogitatione infamiæ, & ignominiæ alicuius fiat ipſius illius gratia duntaxat, non earum rerum, quæ eueniunt metu: cũq; nemo de opinione, exiſtimationeq; ſua ſollicitus ſit, niſi propter eos, qui opinantur: neceſſe eſt, ut eos uereatur quiſque, quos magni facit, & ſuſpicit. Magni facimus eos, qui nos admirantur, & eos, quos ipſi admiramur: & eos quibus placere, probariq; uel ambitu cupimus: & eos, quorum, quid de nobis ſentiant, non contemnimus. Planè admirari ſolemus eos, atq; è diuerſo admirationi eſſe illis ſtudemus, qui aliquo præſtanti bono ſunt præditi: aut earum rerum domini ſunt, quas ipſi uehementer optamus, cuiuſmodi ſunt amantes. Probari uerò, placereq; potiſsimum paribus uolunt omnes. Eorum autem iudicia tanquam ſolida, ſinceraq; nemo contemnit, qui gnari rerum, atq; prudentes habentur. Quales eſſe conſtat ſenes, & eos, qui uſu rerum edocti, multa noſſe, & uidiſſe creduntur. Certè in rebus omnibus plus ruboris habent, quæ in propatulo, atq; oculis omnium committũtur. Vnde ortũ prouerbium eſt, Habitare in oculis uerecundiam. Proinde uereri ſolemus eos, qui nobis aſsiſtunt, quiq; ſemper ceu ingreſſus noſtros obſeruãt, quoniam utriq; ob oculos diuerſantur. Item eos, qui eadẽ turpitudine non laborant, qua nos, utpote cùm diuerſa nobis ſentire uideantur. Item eos, qui tetrici, & minimè indulgentes habentur: nam ea, quæ quis facit, non indignatur, ſi ab altero fieri ſentiat: contrà quod quiſq; non facit, uix eſt, ut ab altero fieri, ægrè non ferat. Veremur & eos, qui lingua licentiore cùm ſint, efferunt omnia in uulgus, ac produnt: paria enim ſunt non uideri, & non prodi: parati autem efferre ſunt ij, quibus iniuriam fecimus, quoniam obſeruant

nos illi aſsiduè, atq; cuſtodiũt. Parati ſunt & maledici, nam qui aduerſus integros, & innocentes uiros immoderantes ſunt, obnoxios, & infames quî parcent inceſſere? Item eos ueremur, quorũ nullum negotiũ prius, quàm aliena errata explorare: cuius generis ſunt ſubſannatores, Satyri, Comœdiarũ actores, ſcriptores uè: nam omnes ij, & maledici, & eliminatores ſunt. Itẽ eos, à quibus nihil unquam fruſtra rogauimus: utpote qbus admirationi eſſe uideamur: idcirco uereri ſolemus eos quoque, à quibus primùm aliquid petimus, quia nondũ uidẽtur cauſæ illæ interceſsiſſe, quibus eorũ operam uoluntatẽq; promereri potuerint: huiuſmodi ſumus, cùm beneuolentiam inire cum aliquo ſtudemus. Nam eo tempore optima in eo ſpectantur. Ideoq; Euripides rectè dicitur aliquando Syracuſanis reſpondiſſe. Huiuſmodi habentur & ueteres familiares, notiúe, cùm nondum ullius rei noſtræ ſunt conſcij. Pudet autẽ nos non uerborum modò, atque dictorum, uerùm & ſignorũ, & nutuum aliquando: uerbi cauſa: in uenereis non ſolùm actus ipſius, ſed & notarum, atq; indiciorum eius rei nos pudet. Nec cùm turpia facimus tantum erubeſcimus, ſed etiam cùm turpia loquimur. Cæterùm non ſupradictos duntaxat ueremur, ſed & eos qui ſignificare hoc poſsint illis, & prodere: ut ſunt eorũ famuli, ſerui, amici. Prorſus nemo ueretur, quorũ, quid de ſe ſentiant, plurimum aſpernãtur: & qui procul abſunt, ut ueri iudicẽtur. Proinde belluas nemo, aut pueros ueretur. Sanè intelligendum eſt, diuerſas res eſſe, quarum nos inter notos pudet ab ijs, quarum inter ignotos: nam inter notos earum pudet, quæ pertinent ad ueritatem, & rem: inter ignotos earum, quæ ad oſtentationem, & fucum. Hactenus hæc.

Quomodo

Quomodo affecti ſint, quos pudet. CAP. XV.

DEINDE eſt, ut dicatur, quo pacto habeant ſeſe, qui uerecundantur. Ac primùm quidem afficimur ita, cùm adeſt aliquis eius ingenij, cuius eſſe diximus eos, quos uereri ſolemus: tales erãt quos admiramur ipſi. Item ij, qui nos contrà admirantur. Itẽ ij, quibus admirationi eſſe ſtudemus. Item ij, quorum operæ indigemus, quã minime aliàs impetraturi uideamur, quàm ſi opinio de nobis integra illis, & candida fuerit. Item ij, qui coràm facta, & actiones noſtras oculis intuentur: quem locum Cydias in oratione, quam de agraria Sami diuiſione ad populum habuit, non neglexit: Putate, inquit, Athenienſes huic iudicio Græciã uniuerſã adeſſe: nec audire modò ea, quæ decreturi eſtis, ſed etiã uidere, ac cernere. Item ij, qui propè ſunt ita, ut præſenſuri, quæ gerantur, intellecturiq; uideantur. Quapropter nemo eſt, qui in aduerſa fortuna non latitet, quiq; ab æmulis nuſquam uideri non optet. Nam æmulos quadam admiratione proſequimur. Eſt & ille non in poſtremis habendus rubor, qui contrahitur ob res aliquas à nobis, aut à maioribus noſtris, aut ab ijs, qui aliqua neceſsitudine ſunt coniũcti, perperam, ac turpiter geſtas. Poſtremò ab ijs, quorum infamia quoquomodo in nos redundat, & reſilit. Huiuſmodi ſunt, tum ij, quos mox enumerauimus, tũ ij, qui aliqua ratione referũtur ad nos: quòd ſcilicet aut edocti, inſtitutiq; à nobis, aut cõſilio noſtro uſi uideãtur. Erubeſcimus, & cùm pares adſunt, quippe quibus probari, & placere uelimus: nã reuerẽtia, quæ aliquibus habetur, interim aliquò impellit, interim animum ab ijs, quæ facienda ſunt reducit. Erubeſcẽtiores ſumus, & cùm uerſari in luce, ac ſole nos oportet, ubi à conſcijs uiſum iri ſit neceſſe. Vnde Poëta

Antipho

Antipho cũ damnatus capitis à Dionyſio uideret eos, qui unà deſtinati erant ad mortẽ ingredi, & portas exire uelatos, & adopertos ora, ne cernerentur: Quid, inquit, curæ hoc eſt? an ueremini, ne uos quiſpiam intueri cras poſsit? Ac de pudore quidem ſatis: nam impudẽtia contrarijs rationibus continetur.

De Gratia. CAPVT XVI.

QVIBVS hominibus, & quibus in rebus gratia fieri uideatur, & quo pacto affecti ſint, qui gratiam faciunt, ex definitione eius rei apertè conſtabit. Gratia eſt res, qua is, qui facit, & collocat gratiam, dicitur obſequi precibus, indigentiæ'ue alicuius, non reddendæ uiciſsitudinis cauſa, aut gratiæ referẽdæ, ſed gratuitò: nec aucupandi ullius beneficij, ſed illius gratia, cui gratiam facit. Magnitudinem uerò ſuſcipiunt, & cumulum gratiæ, ſi tunc fiunt, cùm uehementer, & ſtudiosè quæruntur: ſi ad eas res, quæ magnæ, ac difficiles indicantur: ſi ijs temporibus, cùm maximè indigeretur: ſi in ſolum quempiam, ſi in primum, ſi in unum potiſſimè uideantur eſſe collatæ. Egentia autem omnis appetentia quædam eſt. Atq; illa præcipuè cenſetur hoc nomine, quæ coniuncta eſt cum moleſtia euentus aduerſi. Huiuſmodi ſunt concupiſcentiæ, ut amores, ut afflictio corporis, ut periculorum horror. Nam concupiſcunt, & qui periclitantur, & qui moleſtia quoquomodo afficiuntur. Propterea qui in ſuprema noſtra egeſtate, aut exilij tempore opitulantur nobis, tametſi modica conferant, ex ui tamen precum, & conditione fortunæ beneficẽtiſsimos, & gratioſiſsimos ducimus: ut qui in Lyceo fiſcellam dedit. Atq; has eſſe res illas oportet, ad quas opitulari, & ſubuenire debemus: aut ſi non illas, certè aut æquales, aut forte maiores. Quare cùm ma

niſeſtum ſit, quando, & quibus in rebus, & quos ad homines facienda, & conſtituenda ſit gratia: iјs, qui uolũt hoc oſtendere, prouidendum eſt ex uſu cauſæ, ut hinc eſſe, aut fuiſſe demonſtrarent, qui incommodo aliquo, aut inopia laboraſſent, hinc, qui aliqua ratione ita laborantibus ſuccurriſſent. Eodẽ ex fonte in contrarium quoq; ſumuntur loci, quibus poſsit & deſtrui gratia beneficiј alicuius, & oſtendi gratuitò non feciſſe, qui fecit. Id conſequemur, ſi aut commodi ſui cauſa ſuccurriſſe, ſuccurrere'ue demonſtrabitur: quod longe abeſt ab ingenio gratiæ. Aut ſi non induſtria, ſed aut fortuna, aut neceſsitate feciſſe uidebitur. Aut ſi reddere beneficium, & referre, non dare, & conferre intelligetur: ſiue id prudens, ſiue imprudens feciſſe dicatur: nam utroq; modo remuneratio, & uiciſsitudo intelligitur eſſe, non gratia. In hoc autem genere conſiderandum erit, & quid, & quantum, & quale, & quando, & ubi collatum beneficium ſit, ut per decẽ illa rerum primordia diſcurratur. Illa uera ſunt ſigna non gratuitæ alicuius erga nos uoluntatis, ſi is in re aliquãtò minore nõ ſubuenit: ſi abſq; delectu ullo præterea in eiſdem, ſimilibusq; aut maioribus etiam in rebus, inimicis quoq; auxilio fuit: utpote cum ita conſtare poſsit, hoc quoq; quod nos accepimus beneficium ab eo, cauſa noſtra collatum non fuiſſe. Itẽ gratia non eſt, quam is, qui facit, prauam, atq; inutilem putat: nemo enim fatetur egere ſe prauis, aut optare incommoda. Ac de gratificatione quidem, & gratia, qua nam ratione contineantur, dictum eſt.

De Miſericordia. Quo modo affecti ſint, qui miſerentur.

CAPVT XVII.

NVNC quæ natura res miſeratione dignæ habeantur, & quorum hominum miſereri coueniat,

& quo

& quomodo affecti ſint, qui eo genere mouentur, ſubinde aperiemus. Sit itaq; Miſeratio, dolor quidam animi, ſuſceptus ex cogitatione grauis, & pernitioſi alicuius incommodi, quo quis immerenter affici uideatur, quodq; aut in nos, aut in aliquē ex noſtris poſſet incurrere, atque hoc cùm proximè intelligitur affuturum. Clarum eſt enim eum, qui miſericordia commouetur, ita affici oportere, ut aut ſibijpſi, aut ſuorum alicui putet aliquod graue incommodum imminere, quale definiendo attulimus, aut par, aut certè non multum abſimile. Propterea ij, qui iam omnino perditi, ac miſeri ſunt, miſericordia non mouētur, cùm nihil habeant amplius quod uereantur, qui extrema ſunt paſsi: nec ij, qui ſe beatiſsimos, ac fortunatiſsimos putant, ſed ad contumeliam, atq; iniuriam conuertuntur. Nam qui ſe ornatos, munitosq; omnibus bonis, atq; auxilijs uident, nullo ſe incommodo affici poſſe credunt: hoc ipſum enim inter bona numeratur. Miſerentur autem omnes, qui ſe lædi poſſe arbitrantur, & qui iam ſunt læſi, & qui euaſerūt. Iam ſenes duplici ratione, & quod prudentes ſunt, & quod longo uſu rerum edocti, atq; experientes facti uidentur. Flectuntur miſericordia, & debiles, & meticuloſi. Item periti, q̄ imperiti magis, quòd id genus conſideratius, & circumſpectius habeatur. Item qui parentes, liberos, uxores habēt, eos quiſq; inter res ſuas deputat, proindeq; ijs, ut iniuriæ obnoxijs, ob ea quæ diximus, timet. Planè omnes incōmoda aliena conqueruntur, nō qui ob aliquam animi perturbationem ſubitas, & commentitias uires inſumūt, aut iraſcentia, aut fiducia uehementer euecti, quoniam ij ad euentum non reſpiciunt: nec ij, qui contumelia, atque iniuria aliena lætātur, quia ij nō credūt ſe poſſe lædi: ſed qui inter utrūque

genus

genus affectiones medias obtinent. Item nec qui ſupra modum timent: nam qui attoniti, ſtupidiq; ſunt præ metu, miſereri non poſſunt alienum dolorē, occupati, atq; detenti ſuo. Item qui uiros probos, & æquabiles eſſe aliquos iudicat: nam qui neminem uirum bonum putat, neceſſe eſt, ut omnes arbitretur pœna, atque incommodis dignos. In plenum miſereri ſolemus, quotiens huiuſmodi moleſtiam aliquam aut nobis, aut noſtrorum alicui accidiſſe meminimus. Dictum eſt quemadmodū habeant ſeſe qui miſerentur.

De rebus miſerabilibus. CAP. XVIII.

QVAE nam autem res uideantur miſerabiles, definitio eadem illa declarat. Omnia, quæ cum moleſtia, ac dolore perniciem afferunt, miſerabilia exiſtimātur. Præterea ea mala, quorum cauſa fortuna eſt, cùm modum excedunt. Dolorem, & perniciem afferūt, interitus, uerbera, afflictiones, morbi, ſenectus, inopia. Fortuita uerò ſunt mala, habere qui nos diligant aut neminem, aut quàm pauciſsimos. Quapropter abduci, diſiungiq; ab amicis, aut quibuſcum familiariter uixeris, ſolet & graue, & miſerabile exiſtimari. Præterea fœditas oris, laxitas, turpitudo, imbecillitas, læſio corporis. Inter fortunæ incommoda numeratur & malus euentus, cùm quis unde ſucceſſum ſperat, calamitatem incurrit. Pertinet ad fortunæ uim & illud, cùm quis frequenter eodem caſu pulſatur. Videtur ea quoque fortunæ inuidia eſſe, cùm ita accidit, ut poſteaquam quis confectus, peremptusq; eſt, ſuperueniat proſperitas aliqua: quod Diophiti eueniſſe dicitur, cùm decreta ei, miſſaq; à rege munera, mortuum inuenerunt. Fortunæ & illa poteſtas intelligitur, cùm nihil unquam nobis feliciter, ac proſperè ceſsit: aut ſi ceſsit, uti tamē, ac fructū ſen-

tire

tire non licuit. Hæ ſunt res, quę miſerabiles iudicantur.

De iis, quorum miſerentur homines. CAP. XIX.

NVNC quorum nos miſereat proſequemur. Miſeret ergo familiarium, ac neceſſariorum: non omnium quidem, ſed eorum, qui nobis multa conſuetudine, uel affinitate, cõiuncti non ſunt. Alioquin eorum, qui nobis arctiſsimè ſunt deuincti, nos non miſeret, ſed ita affecti ſumus in eorum incommodis, ut ſolemus in noſtris. Quamobrem Amaſim ferũt, cùm filium, quem ad mortem duci uidebat, non defleuiſſet, in Philippo amico, & ſupplici lacrymas effudiſſe. Nam quod in amico miſerabile erat, horrendum, ac terribile uidebatur in filio. Terribile porrò non modò diuerſum à Miſerabili eſt, ſed etiam commiſerationem expellit, & diſcutit: fitq́ idcirco, ut ſæpe ſit aduerſario utile. Miſeremur & eorum, quibus graue aliquid, ac terribile imminet. Miſeremur æqualium, ſimiliumq́ ætate, moribus, habitu, genere, dignatione: quippe quibus in rebus præcipuè aliena calamitas pertinere uideatur ad nos: nam illud recipere generatim oportet, Omnia, quę formidoloſa ſunt nobis, in altero miſerabilia eſſe. Planè quoniam propinqua incommoda miſericordiam mouent: longinqua uerò, & quæ decies milleſimo ab hinc anno, aut retro fuerunt, aut etiamnum olim ſunt futura, cum illa neque ſperet ullus, neque meminerit, aut procul à commiſeratione omnino ſunt poſita, aut non ſimiliter mouent: neceſſe eſt, inclinentur propenſius ad miſericordiam animi, cùm efficitur, ut ad orationem & uerba idoneus etiam corporis motus accedat, ueſtis item, ac uox, poſtremò actionis ipſius moderatio apta, ac ueluti habitus quidam rebus, quæ deflentur, accommodatus: qui enim hoc poſſunt præſtare, conſequuntur ut quaſi ante

oculos poſita, & propinqua eſſe calamitas illa uideatur: ita ut aut recenter facta, aut paulo mox futura, affectis iam auditoribus, & perturbatis appareat. Sane omnis iactura, quę aut nuperrime occurrit, aut breui occurſura eſt, plus habere commiſerationis uidetur. Miſericordiam ſæpe & ſigna ipſa, & facta ſolicitant, ut cruenta ueſtis, ut dicta aliqua, & conqueſtiones eorũ, quibus miſericordiam quærimus, puta cùm ſermones aliqui à morientibus habiti, ſupremo ſpiritu referuntur, præſertim ſi egregia aliqua uox, ſi fortis ratio, ſi digna uiro conſtanti, atque etiam in ipſa morte excelſo proferatur. Omnia hæc quò propriora uidentur eſſe, rapiunt nos acrius ad commiſerationem, & quòd illos immerenter afflictos putamus, & quòd mala eorum quaſi habere præſentia, & oculis intueri uidemur.

De Nemeſi, indignationéue. CAP. XX.

MISERATIONI obijcitur ea, quam Nemeſin, hoc eſt, indignationem uocant. Nam dolori, qui ſuſcipitur ob res alicuius immerentis aduerſas, quodam modo opponitur, atque ex eiſdem moribus ducitur dolor is, quem capimus ex ſecundis rebus alicuius, qui ſit ea fortuna indignus. Atque uterque dolor, affectus'ue, ex probitate morum, & ingenij bonitate proficiſcitur. Nam uirum bonũ decet & dolere, cum per iniuriam uexantur, iactanturq́ innocentes: & indignari, cùm ſupra meritum flagitioſi tolluntur. Quia iniquum eſt, quicquid dignitatē ac modum tranſcendit. Quapropter ſolemus dijs potiſsimum indignationes, ac nemeſin adſcribere. Inuidia quoq; eodē modo uideri quidem poteſt oppoſita miſerationi, tãquam proxima, ac cognata res Nemeſi: ſed ſecus eſt: Quamuis enim inuidia ſit dolor, ac perturbatio quædam ob res alicuius ſecundas

ſuſcepta:

ſuſcepta:non tamen modum illũ retinet,quem indignatio nemeſisq́ cuſtodit,ut ſcilicet perſequatur dũtaxat indignos: ſed ſemper deſæuit in pares. Cæterùm inuidia, & indignatio in ea re concordant, quòd non periculo, metúue aliquo rerum noſtrarum ſuſcipiuntur: ſed illius ipſius odio,ac ſtomacho, quẽ nos ęgre ferimus beatum, ac fortunatum eſſe. Alioquin ſi propterea quis indolet, quòd ueretur ne illius felicitas incommodum aliquòd allatura ſit ſibi, utique affectus huiuſmodi nec indignatio, nec inuidia dicitur eſſe, ſed planè mẽtus quidam, ac timor. Sanè perſpicuum eſt, contrarias interim eſſe affectiones, quibus qui indignantur permouere ſolent. Nam qui rebus aduerſis ac fractis innocentium, & immerentium dolet: certè nocentium, & facinoroſorum, uel gaudebit,uel non dolebit: Vbi enim ſceleratus quis; parricidáue plectitur,nemoeſt utiq́ bonus uir,qui ea re doleat: quoniam in rebus huiuſmodi, honeſtum, & æquum ſit lætari. Quemadmodum quoque contrà gaudendum eſt, cùm quis pro dignitate, ac meritis iuſta indeptus uidetur: nam utrunque conuenit,congruitq́: & præterea ęquo, uerecundoq́ huiuſmodi uoluptatem parit: neceſſe eſt enim ut, quæ quis contigiſſe paribus uidet, ſperet aliquando poſſe ſibi quoque cõtingere. Atq́ omnia hæc ex eodem ingenio, moribusq́ deducuntur, quemadmodum contraria ex contrarĳs: nam ĳdem habentur, & qui malis alicuius peruerſe gaudẽt, & qui bonis inuidẽt. Qui enim ob rem, quã quis habeat,conſecutusq́ eſt, dolet,neceſſe eſt ut eius priuatione,amiſsioneq́ gaudeat: quapropter huiuſmodi omnes affectus miſerationem excludũt. Differẽtia tamẽ eorũ nonnulla reperiatur,ea uidelicet quã ſuperius attuli. Ita intelligi poteſt ad diſcutiendam miſericordiã utiliſsimas eſſe rationes has.

Quas ob res homines indignentur. CAP. XXI.

PRIMVM quidem de indignatiõe dicamus, quos in homines, & quarum rerum cauſa contingat, & quomodo habeant ſeſe, qui ita afficiuntur: deinde ſuo de reliquis ordine. Certè quid nam ſit illa, ex ſupradictis patere liquido arbitror. Si enim indignari eſt dolore affici ob res alicuius ſecundas, qui ea fortuna uideatur indignus: apertè conſtat, nõ in omnes res cadere indignationem poſſe. Nam ob uirtutem, iuſtitiam, fortitudinem alicuius nemo indignatur: quando neque cõtraria ijs uitia ad miſericordiam pertinẽt. Sed ob diuitias, poteſtates, honores, & demum ob ea bona, quibus (ut generatim loquar) digni ſunt duntaxat boni, & qui dotibus naturæ præcellunt, cuiuſmodi habentur genus, & forma. Cùm uerò ea bona, quæ diu poſſeſſa ſunt à nobis, quaſi natiua, atq; ingenita uideantur, neceſſe eſt, ut earum rerum cauſa, quas nuperrime conſecutus ſit quiſpiam, atq; ideo felix, ac beatus putetur, maior & grauior indignatio ſuſcipiatur. Plus enim doloris inuritur inuido, cùm is, qui inuidetur, paulò antè ditatus eſt, quàm cùm per ſucceſsionẽ diuitias hæreditario iure accepit à prauis. Eodem modo in reliquis rebus, qui magiſtratus, poteſtates, honores, amicitias, ſobolem, non pridem adepti ſunt, grauiorem inimicis moleſtiam afferũt: præſertim ſi aliud, quàm cõmodum inde prouenturum uideatur. Nã qui nuper ditati ſunt, hi maiores etiamnum habent opes, quàm qui olim: propterea quòd qui nunc ditantur, magiſtratibus quoq;, atq; honoribus potiuntur. Idem in cæteris comperias: cauſa ea, quod hi uidentur poſsidere ſua, illi non uidentur. Quod enim ſemper eodem iure, atq; uno modo fuiſſe patet, etiam uerum uidetur, ac debitum. Contrà alteri, non ſua ferre, ſed aliena

putantur

putantur inuadere. Plane cum non omne bonum ſit paſſim cuilibet inuulgandum, ſed ratio quædam dignitati & decori habenda ſit: & ut uerbo complectar, ſpectandum quid cuique conueniat: ut, arma non iuſto, ſed forti uiro ſunt danda: & uirgines excellentes non ſunt collocandæ nuptui ijs, qui partis recenter diuitijs poſſeſsionem nobilitatis arripiunt, ſed ijs, qui genere, & uetuſtate familiæ prænitent. Cùm inquam hæc ita ſint, neceſſe eſt, ſi uir bonus aliquis, ac frugi præteritur, indignationis plenam rem uideri: aut ſi deterior cum meliore eiuſdem præſertim rei cauſa dimicauerit. Hinc illud in Poëta legitur, Vlyſſem Aiacis Telamonij uitaſſe congreſſum, quia infenſum, & indignatũ Iouem haberet, propterea quod cum uiro fortiori cõtentionem iniſſet. Sed & ſi non eadem ſit res, quæ in controuerſiam, dimicationemque uenerit: omnino indigna, & inuidioſa ratio eſt, inferiorem cum ſuperiore quoquo modo certare, ut ſi muſicus uir cum forti conferatur, ac iuſto. Atqui iuſtitia longe eſt nobilior, ac præſtantior muſica. Quibus hominibus, & quas ob res indignari ſoleamus, ex ijs, quæ diximus, abunde ſatis demonſtratum eſt.

Quomodo ſint affecti qui indignantur. CAP. XXII.

FACILE uero indignantur, primùm, qui digni ſunt maximis bonis, & præterea conſecuti ſunt ea: nam paria obtinere, qui nobis impares, atque diſsimiles ſunt, utique iniquum omnibus uidetur. Deinde boni ſtudioſique, nam eius generis omnes proculdubio rectè, perfecteque iudicant, quodque minus æquo eſt odio habent. Item ambitioſi, & cupidi rerum gerẽdarum, præſertim cùm ſtudio earum tenentur, quas indigni ſaltem plerique ſunt conſecuti. In uniuerſum qui ſeſe dignos arbitrantur ijs rebus, quibus dignos eſſe alios non pu-

tant,indignationem aduerſus eos, & earum rerum cauſa ſuſcipiunt. Quamobrem ſordidis, ſeruilibusq; ingenijs, & ijs, quos nulla gloriæ cupiditas tangit, nihil eſt tam indignum, tam turpe, tam fœdum, quod ſtomachum moueat: quia ſcilicet nihil quoque ſit, quo ſeſe illi dignos putent. Hinc latè patet, qui nam ſint homines, quorum caſibus, & aduerſa fortuna, aut planè repulſa, uel gaudendum ſit, uel utiq; non dolendum. Ex ijs enim quæ expoſita nobis fuerunt, facilè poſſunt contraria dici. Quare qui præcludere aduerſario miſericordiam uolet, debebit ea ratione præparare cognoſcentium animos, ita, ut indignentur, oſtendereq; eos, qui incommodis ſuis miſericordiam petunt, & indignos eſſe, qui conſequantur, & dignos, qui non conſequantur.

De Inuidia. CAP. XXIII.

EST & illud ex ijs manifeſtum, & quas res, & quibus, & quomodo affecti homines inuident: nam ſi inuidia eſt dolor is, quem quis capit ex ea re, quod bonis illis, quæ memorauimus, abũdare intelligit aliquos pares ſibi, nec cauſa aliqua ſua, ſed illius odio, cui inuidet: apertè poteſt colligi, eos primum inuidere conſueuiſſe, quibus ſimiles, ac pares uidentur eſſe. Similes porrò ac pares intelliguntur, qui genere, cognatione, ætate, habitu, opinione, copijs, dignitate ſunt pares. Inuident, & ij, quibus parum deeſt, quo minus omnia uideantur conſecuti. Quò fit, ut qui res magnas, & uehementer arduas gerunt, quibusq; feliciter ſtudia ſua proueniunt, inuideant plerunque ſucceſsibus aliorum, quaſi præripientium, inuadentiumq; ea, quæ illi tantum ſibi deberi arbitrantur. Inuident & qui aliquo genere laudis mirificè excellunt, cuiuſmodi eſt ſapientia, aut felicitas. Item qui cupidi ſunt honorum, inuidentiores ſunt ijs, qui ab

eo ambitu ſunt remoti. Inuident, & qui uideri ſapientes uolunt: quia cum clarum ſapientiæ nomen anxiè perſequantur, neceſſe eſt ut in eo quoq; genere ſtudioſi, ambitioſiq; ſint. Prorſus in quo quiſq; laudem, & commendationem ſolicitè magis quærit, in eo ſolet inuidus eſſe. Tabeſcunt uerò inuidia præcipuè qui animi humilis ſunt, atq; præparci, quòd ijs minima quæq; magna, atq; excellentia uideantur. Dictum eſt, quæ ſint bona, quæ inuideantur: ea uidelicet in quibus ſeſe homines præſtare uideri operoſe conantur: atq; inde honorem, & gloriam appetunt: Et præterea omnis aliena proſperitas, ac ferè circa omnia hæc uerſari uidentur inuidiæ. Quanquàm præcipuè circa ea, quæ aut ipſi cõſequi cupimus, aut quæ nobis debita eſſe ſolis exiſtimamus, aut quibus alios parum excellere, aut contrà ab alijs parum uinci, ac ſuperari uidemur. Sed & quibus inuideant homines, obiter eſt explicatum: ijs ſcilicet, qui nobis tempore, loco, ætate, exiſtimatione, ac dignitate ſunt proximi: orto inde prouerbio, Semper eſſe inter pares, & cognatos inuidiam. Item ijs, quibuscum de honore ac dignitate contenditur: cuiuſmodi ſunt ij, quos nominauimus ſuprà, proximi ſcilicet, & cognati. Nemo enim cum ijs certauerit, qui mille annos, aut ante nos fuerunt, aut erunt poſt nos, aut omnino defuncti iam ſunt: nec cum ijs, qui à nobis ſunt longo terrarum tractu, atque interuallo diſiuncti, ueluti qui ad Herculeas columnas cœlo remotiſsimo habitant: nec cum ijs, à quibus tum noſtro, tum aliorum quoque iudicio, longiſsimo diſcrimine uincimur: aut contrà cum ijs, qui à nobis latiſsimè ſuperantu. r Par ratio eſt de rebus ipſis. Porrò quoniam cum aduerſantibus ſemper, riualibusq; & in uniuerſum cum ijs, qui eiuſdem rei, cuius & nos, cupiditate, deſiderioq;

tenentur, diſceptatio omnis, dimicatioq́ haberi ſolet, neceſſe eſt, ut inter eos quoque, atque id genus homines potiſsimum liuoris, inuidiæq́ ſit locus. Vnde in prouerbio uel ludicrum abijt, Inuidere figulum figulo. Sed & qui uix, ſero'que, aut nunquam impetrare ſolent ea, quæ cupiunt, inuident ijs, qui facile, & nouiter omnia conſequuntur. Inuidetur & ijs, quorum ſecundæ res, atque ſucceſſus, notam aliquam exiſtimationi noſtræ uidentur afferre: nam & ij pares nobis, propinqui'que ſunt. Quare ſimulatque conſtat eorum cauſa nobis aliquod commodum eripi, neceſſe eſt, ut ex eo dolore ſubeat, ac ſuccedat inuidia. Inuidetur & ijs, qui obtinent, aut adepti ſunt ea, quæ aut nobis debebantur, aut aliquando poſſeſſa ſunt nobis: eoq́ inuident interim iuuenibus ſenes, & qui rem quampiam ægrè magno impendio conſecutus eſt, inuidet ijs, qui ad eam modicis ſumptibus peruenerunt. Parte alia nec illud quoque obſcurum uidetur, quæ nam, quales'que res afferant inuidentibus gaudium. Item quo nam pacto habeant ſeſe qui ita afficiuntur: nam modo quo affecti non ſumus, cùm nos dolor inceſsit, utique illo affecti ſumus, cùm ex incommodis alienis gaudium ſentimus. Quamobrem ſi ita iudices affecti, permoti'que fuerint, & præterea ſi ij, qui rogant, ut ſui miſereantur illi, aut ut quoquomodo bene faciant, tales eſſe, quales diximus, demonſtrentur, proculdubio miſericordiam conſequi, ac promereri non poterunt.

De Aemulatione. CAP. XXIIII.

NVNC de æmulatione agendum, quemadmodum eo genere homines afficiantur: item quibus, & quas potiſsimum res æmulentur. Ergo ſi æmulatio dolor quidā eſt, ex ea cauſa profectus, quòd bona quæ-

dam

dam excellentia, & quæ nos quoq; aſſequi poſſe arbitramur, haberi uideantur ab ijs, qui nobis natura ſunt pares: nec illorum inuidia à quibus ea habentur, ſed cauſa noſtra, quòd ipſi quoq; aſſecuti non ſumus: planè efficitur ut æmulatio honeſta quædam, & probitatis plena res ſit, nec ab æquiſsimo etiam ingenio aliena. Inuidia contrà pernicioſa, ac praua res ſit, & ad homines planè improbos pertinens: Alteris ad uirtutem æmulatio quaſi ſtimulos inijcit, ut id, quod ipſi capere, obtinereq; cupiunt, conſequantur. Alteros impellit inuidia ad facinus, uti ne alij ſtudia ſua perficiant. Neceſſe eſt autem eos eſſe maximè æmulos, qui ſe dignos putant ijs bonis, quibus carent. Nemo certe in ea re ſtudium ſuum collocat, quæ haberi non poſſe uideatur. Quapropter æmulatio iuuenes, & magnanimos potiſsimum inceſſit, & eos, in quibus huiuſmodi bona non deſunt, quæ præſtantibus uiris digna iudicantur: ea ſunt opes, amicitiæ, poteſtates, & cætera id genus. Quotiens enim tales ſumus, ut quaſi iuris noſtri ſit, ac propemodum interſit noſtra, uiros bonos eſſe: neceſſe eſt, ut ea, quæ uiris bonis debentur, nos quoq; æmulatione quadam, & ſtudio proſequamur. Aemulantur & ij, quos alij quoque dignos ijs bonis, quæ commemorauimus arbitrantur. Item ij, quorum maiores, affines, neceſſarij, natio, ciuitas, honeſta, claraq; habentur, utiq; tales bona ea, quæ diximus æmulantur: quod ſcilicet quaſi ſua illa, ac ſibi debita uendicant.

Quibus, & ob quæ æmulemur. CAP. XXV.

QVOD ſi ad præſtãtia, & excellentia bona æmulatio pertinet, neceſſe eſt ad uirtutes quoq;, & ad ea potiſsimum pertinere, quæ utilitatem, & beneficium humano generi afferunt: idcirco boni, & benefici ma-

gnopere, paſsimq́ue honorantur. Proſequimur & ea bona æmulatione, quorum fructus in alios quoque redundat, atque ſubſiſtit. Proinde pulchritudo, & diuitiæ ſtudioſius, ac ſolicitè magis appetuntur, quàm ualetudo. Hinc quoque manifeſtum eſt, qui nam ſint, quibus æmulari homines ſoleant: eos uidelicet qui bona ea, quæ diximus obtinent, Fortitudinem, Sapientiam, Principatum. Nam qui alijs præſunt, benefacere multis poſſunt: ut Duces, Oratores, demum omnes, qui aliqua huiuſmodi poteſtate ſunt prædití. Aemulamur & ijs, quorũ ſimiles eſſe plurimi cupiunt, quorum beneuolentiam multi conſuetudinemq́ue frequentant, quos plerique, aut ipſi ſaltem admiramur: item quorum laudes, & præconia, uel à Poëtis decantãtur, uel ab alijs ſcriptoribus prodita, & commendata ſunt literis. His contrarios fere omnes contemnunt: nam Contemptio Aemulationi aduerſa eſt: ſunt & Contemnere quoque, & Aemulari contraria. Plane illud neceſſe eſt, eos qui uel æmulantur ipſi aliquos, uel quos contrà alij, contemptores eſſe eorum hominum, qui contraria uitia obtinent: qui que ijs bonis, & probitatibus carent, quas admirari, & æmulari ſolemus. Quapropter frequenter accidit, ut multi eos aſpernentur, contẽnantq́ue, qui felices habentur, non merito uirtutis, aut præſtantis alicuius boni, ſed impetu, ac temeritate fortunæ.

DANIEL BARB. *à Cap. II. uſque ad XXVI.*

SVnt ergo animi affectiones. *Cicero in ſecundo de Oratore: Huic autem eſt illa diſpar adiuncta ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes iudicum permouet, impellitq́ue, ut aut oderint, aut inuideant, aut ſaluum uelint, aut metuant, aut ſperent, aut cupiant, aut miſereantur, aut punire uelint, aut ad eos motus adducantur, ſi qui finitimi ſunt,*

ſunt, & propinqui his, ac talibus animi perturbationibus. Hæc Cicero, cuius uerba primùm innuunt, diuerſam eſſe rationem mouendi, & conciliandi, ſicut diuerſa eſt uis iraſcentis animæ, & concupiſcentis: nam illa ui quadam impellit, hæc blanditijs allicit, ratio ſola ſuadet. Deinde apparet Concitationem adiunctam eſſe Conciliationi: nam & Amor quidam motus eſt: ſed hoc plus habet Conciliatio, quòd prudentiam, & probitatem requirit, quæ res à uirtute, non ab appetitu proueniunt. Tractat igitur Ariſtoteles de ijs locis, in quibus propoſitiones illæ collocantur, quæ impellunt & concitant auditorem. Ac diuinus certè in hac re fuit Ariſtoteles, nam ſingularum permotionum ratio triplex ab eo ponitur. Primò enim quo quiſq; pacto afficitur ad motum illum, de quo agit, declarat. Deinde in quos homines affectio, & motus ille ferri ſoleat. Poſtremò quarum rerum cauſa in huiuſmodi affectiones deueniant. Perinde ac ſi medicus de ægritudinum cauſis, de natura humani corporis, deq; ipſis morbis tractaret. Sed ante omnia ſingulas ſuo loco affectiones deſcribit uel definit, quæ res & oratori, & dialectico eſt aduertenda. Oratori primùm, quia definitio affectus, eſt tanquam ſignum, quo dirigere orationem debeat, & omnia efficere, ut res huiuſmodi inducatur in animum, cuiuſmodi acceperit definitionem: uerbi gratia, ſi iracundia eſt feruor ſanguinis circa cor, & uindictæ appetitio, certè orator uolens iratum iudicem, omnia efficiet, ut ferueat circa cor eius ſanguis, & appetitus pœnæ, ultionisq; inducatur. Dialecticus interim obſeruabit, poſita rerum definitione, poſſe nos maximam uenari propoſitionum copiam: quemadmodum facit Ariſtoteles, qui expoſita definitione alicuius rei, magnam ſibi ſupellectilem parat ad dicendum. Tantæ uirtutis eſt definitio. Hæc igitur tria ab Ariſtotele primùm neceſſario eſſe oſtenduntur in quaq; permotione, ut patet: max

de Iracundia loquitur. At in primis oſtendit tenui ratione & craßiori modo affectionum uim, & naturam, & numerum: easq; eſſe huiuſmodi declarat, ut qui aliquo earum genere permouentur, diuerſum faciant rerum iudicium. Aliter enim incenſus iudicat, ut dictum eſt, aliter ſedatus, & compoſitus. Sed quæ cauſa diuerſitatis huius? An quia in omni affectione uoluptas concomitatur, & dolor? Voluptas autem, & dolor duo quaſi fontes habentur, ex quibus qui hauriunt, ita afficiuntur, ut ſequi ferè cogantur eos motus, qui ab ijs proficiſcuntur. Et quoniam plura ſunt genera rerum iucundarum, & moleſtarum, ideo per diuerſos motus, quaſi uias, ad diuerſa iudicia tendimus. Cæterum Delectatio, & Voluptas in omni perſuadendi genere ponitur, ſiue doceas, ſiue concilies, ſiue moueas. Suauißimum enim eſt docere, ut patuit, cùm de iucundis loqueremur: ſuauiſſimum etiam eſt uoti compotem fieri. Conciliatus, uel commotus iudex, uoluptatem habet, quia facilè ſperat ſe id conſecuturum, quod appetit. Quòd ſi ira ſuauior melle eſt, ut ait Homerus, ob uindictæ facultatem, uel memoriam: multò magis amor ſuauis erit, & gratus. Voluptas ergo, & Dolor naturæ maximè inhærent: & nihil eſt de his conſultoribus quod non aggrediamur. Atq; hæc natura eſt affectionum omnium: numerus autem expoſitus eſt. Patet etiam non debere aliquid deeſſe ex his tribus, quæ dicta ſunt, in omni affectione docenda, & quòd, quemadmodum in ſingulis generibus primo libro ſuas cuiq; propoſitiones accommodauimus, ita ſingulis affectibus ſuas cuique accommodare oportet. Valet autem plurimum in unoquoque animi motu, atq; illud optandum eſt oratori, ut ait Tullius, ſi aliquam permotionem animorum ſua ſponte ipſi afferant ad cauſam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret accommodatam. Facilius eſt enim currentem (ut aiunt) incitare, quàm

re, quàm commouere languentem. Sin id aut non erit, & reliqua.

Sit igitur ira uindictæ apparentis. *Definit Iram: definitionis particulas exponit, ac primùm quod propoſuerat, exequitur: ſcilicet, qua ratione ſeu modo qui iraſcantur, affecti ſint: quæ ibi facilia ſunt.*

Quoniam uerò contemptus. *Cicero de Off. Deſpiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorum putant, non enim omnes nos contemnunt, de quibus malè exiſtimant. nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam iniuriam inſtructos, eos haud contemnunt quidem, ſed de his male exiſtimant. Quamobrem, ut dixi, contemnuntur ij, qui nec ſibi, nec alteri proſunt, in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Detrahit, qui deſiderijs alienis impedimento uult eſſe, non ut quippiam ipſe conſequatur. de qua re queritur Carinus ille Terentianus, & iraſcitur Pamphilo, qui non tam ut ſibi commodaret, quàm ut ei incommodaret, Glycerium à Carino amatam ſibi nuptum dari uolebat. Ita enim erat affectus Carinus, ut detrahi ſe à Pamphilo agnoſceret. Dolet item Corydon deſpectus ab Alexi, quoniam ipſum ut in gratiam uocet, declarat, quàm diues, quàm pulcher, & quàm bonus ſit. Horatianus etiam Zelotipus, Vt meum, inquit, difficili bile tumet iecur. Harum rerum Poëtarum, & ſcribentium libri referti ſunt: ab ijs exempla ſtudioſi ſument, quemadmodum fecit Ariſtoteles, qui diligentiſſime quid à quoq; diceretur, obſeruauit. Quòd ſi omnes Poëtæ cõſumpti, omnium memoria deleta eſſet, ſolus hic ſatis eſſet ad exornandam copia quamlibet orationem.*

Dulcior illa fauo circum præcordia Gliſcit. *Homerus hæc de Achille irato. Quemadmodum abſurdum eſt dicere eandem ſagittarij manum ſimul arcũ intendendo protrahere, atq; contrahere, cum æquius dicẽdum ſit alteram eſſe manum, quæ intendat,*

intendat, alteram quæ adducat: ita & abſurdum eſt, idem unum, eadem ſui parte circa idem contraria operari. Quare cùm multi ſint, qui cùm ſitiant, bibere interdum nolint, neceſſariò ſequitur, ne incommodum ſuprà dictum afferamus, ut in eius qui ſitit, anima, inſit aliquid, quod alliciat ad bibendum, & aliquid quod contrà reuocet, quod ab eo ſanè diuerſum ſit, & ei, quod allicit, dominetur: unde rationis illud eſſe, hoc appetitionis, & ſenſus fatendum eſt. Hoc ſigno probatur duas eſſe animæ partes, quarum altera in ratione, altera in appetitu poſita ſit, ut nos aptè ſuprà diſtinximus. Sed hæc modo repetimus, ut clarius de dolore, ac uoluptate loquamur. Duas igitur inuenimus ſeparatas animæ ſpecies, alteram qua ratiocinatur animus, unde rationis compos dicta eſt: alteram qua eſurit, & ſitit, & ad alias cupiditates prona dilabitur, quæ rationis expers uocari poteſt. Hæc quoque diuerſas habere partes nota illa uidetur, quòd multi ad horrenda rerum ſpectacula uidenda cupiditate feruntur horrentes, & trementes, quemadmodum legitur de Leontio quodam, qui ex Piræo, ut ait Plato, ſubboreali muro ad ciuitatem aſcendens, cadauera prope littus iacentia ſimul cernere optabat, & horrebat tamen, terrebaturq́;, & faciem contegebat, ſecum ipſe diſſentiens, cupiditate denique ſuperatus, ad cadauera reclufis, & apertis oculis aduentauit dicens, Ecce iam uobis licet ò miſeri libidinem ueſtram pulchro explere ſpectaculo. Et quis non uidet, iram ſæpe aduerſus cupiditatem pugnare, quanquam etiam ſæpe eadem pro cupiditate arma ſuſcipiat? ut in canibus eſt manifeſtum, qui propter cupiditatem, qua in rodendis oßibus feruntur, morſu eos laceßunt & petunt, qui pede oſſa dimouere ab eorum ore pertentant. Quare fit ut eadem ſæpe res in altera parte ſui uoluptatem, in altera dolorem concipiat. Accidit interdum eam eſſe rerum naturam, ut quemadmodum in

animis

animis noſtris uariæ ſunt facultates, quibus animus operatur, ita & in rebus multiplex habeatur uis, ut parte alia delectent, alia moleſta ſint. Non eſt igitur mirum ſi eloquentia hos excitet motus, *in quibus dolor, & uoluptas ſimul inſit.* Dulce igitur eſt iraſci, uel duplici de cauſa. Primùm ob ultionis ſpem, deinde propter eam cogitationem: nam qui ulciſcitur, diu ſolet in ea cogitatione uerſari, quæ uoluptatem ſimilem refert, qualem interim inſomnia repræſentant. Sed reliqua in Ariſtotele ſunt facilima. Differt autem Ira ab Iracundia, quanquàm Cicero Iracundiam eſſe ulciſcendi libidinem dicat, quòd Ira de cauſa eſt: Iracundia de uitio multum iraſcentis. Et quia quaſi extra ſe ire uidetur, qui furore cietur, ideo Ira dicta eſt: & Redire in ſe eſt, iram ponere. Ira enim magno feruore, & æſtu omnia uincit, tenebras menti, & rationi obducit, cuius remedium eſt, menti uim ſuam reddere, ut diſcrimen queat ponere inter proprium, & alienum malum: quod iratus minime poteſt, ſed malorum confuſione, non minus alteri, quàm ſibi nocet. Nihil ea re turpius, & præſertim magiſtratum gerenti: namq; acerbitas naturæ ſummo imperio adiuncta, pernicioſiſſima res eſt. Fieri tamen poteſt, ut ita pro ratione dimicet, ut laudabilis eſſe iudicetur: non enim ad uitium data eſt appetitio illa, ſed ad uirtutem, ad gloriam, ad liberalitatem, ad animi celſitudinem tanquam calcar, & ſtimulus addita. Sed illud oratori cauendum, ne diu in aliquo uno motu detineat auditorem, ſed opus eſt ut ab una ad aliam affectionem tranſeat. Varietas enim dolorum, uarietatem etiam uoluptatum in his motibus affert. Satietas plus doloris, quàm ſuauitatis habet. Sciet autem quid in animis imprimat tanquam medicus, & paulatim afficiat, ut cùm adhibere telum uoluerit, præparatum, ac certum habeat locum: ita enim medici faciunt, antequam ultima remedia proferant: quoniam natura uim diu non tolerat. Neq; ſolùm in-

uentione

uentione rerum id efficiendum, ſed uoce, uultu, & actione: nam ſuauiſſimum eſt conformem intelligentiæ & menti audire ſermonem. Quomodo enim non iraſcetur, qui cauſis iraſcendi affectus, & re ipſa commotus, idonea iræ uerba, conſortem ſonum, concitatam motionem, uultum, atq; animum penè æſtuantem intuebitur? Hoc eſt, ſcire, quæ animæ pars, quibus rebus, & quo ſermone afficiatur? Hoc eſt eloquentiæ faces adhibere, hoc eſt de manu iudicum ſententiam eripere, hoc eſt animos quibuſdam quaſi incantationibus detinere. Sed quia deferuet citò feruor ille, ideo non ſic habendus eſt iudex iratus, quare ſedandus eſt, & placandus interdum. Et quia præcepta de ira concitanda ſatis clara ſunt in Ariſtotele, ideo de his ſatis.

Quoniam uero iraſci & manſueſcere. *Orator noſter tanquam alter Aeolus animorum fluctus attollet, idem quoq; cùm uolet, tranquillitatem, ac ſerenitatem inducet: inducet autem, cùm ſciet totidem requiri in ſedandis animis, & componendis, quot in turbandis, & impellendis, modò contrarijs locis utatur. Poſita igitur lenitatis, & manſuetudinis definitione, ad quam ueluti ad portum orator reſpiciens, lenes propoſitionum auras dirigere decet, ut pax & quies in animis auditorum inſeratur. Manſuetudo igitur eſt compoſitio animi, & quies ab ira. De hoc affectu nihil ferè Cicero, quanuis enim de Lenitate agat, non tamen de Manſuetudine, quæ eſt affectus iræ contrarius, loquitur. Lenitas uero conciliationi propria eſt. Conciliatio autem non eſt iræ mitigatio, quanquàm qui conciliatus eſt, non iraſcatur. De manſuetudine igitur tractat Ariſtoteles tam facilè, & clarè, ut quiuis ea intelligat. Cicero autem dum comparat has duas probandi rationes inter ſe, Cōciliationem ſcilicet, & Permotionem, hoc modo præcipit: Sed eſt quædā in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum uehemens eſſe uolumus, difficilis ad*

diſtinguen

diſtinguendum ſimilitudo. Nam *ex illa lenitate qua conciliamur ijs qui audiunt, ad hanc uim acerrimam, qua eoſdem excitamus, influat oportet aliquid: & ex hac ui nonnunquàm animi aliquid inflandum eſt illi lenitati, neque eſt ulla temperatior oratio, quàm illa, in qua aſperitas contentionis oratoris ipſius humanitate conditur:* Remiſſio *autem lenitatis quadam grauitate, & contentione firmatur. In utroque autem genere dicendi, & illo, in quo uis atque coutentio quæritur, & hoc, quod ad uitam, & mores accommodatur, & principia tarda ſunt, & exitus tamen ſpiſſi, & producti eſſe debent, & quæ ſequuntur, in ſecundo de* Oratore. Πρᾳΰνοις, *actiuam hoc loco ſignificationem habet. Primus autem locus* Homeri *de* Vlyſſe *eſt, qui cùm oculum* Polyphemo *eruiſſet,* Dic, *inquit, huius facti autorem* Vlyſſem *urbis expugnatorē fuiſſe.* Vnde φᾶσθαι. *uerba ſunt* Homeri, *quæ* Polyphemo *refert* Vlyſſes, *non enim pœna, & ultio illa uidetur eſſe, in qua qui ulciſcitur, & cauſæ propter quam ultio fit, ignoratur: dicenda igitur prius cauſa eſt ultionis, quàm ulciſcantur.*

Nunc quos, & quas ob cauſas diligere. *Cicero de Finibus,* Quid *autem eſt* Amare, *ex quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi uelle bonis aliquem affici, etiam ſi ad ſe ex ijs nihil redeat?* Ariſtoteles *autem in* Ethic. *copioſiſſimè tractat de* Amicitia, *ubi eius ſpecies diſtinguit, diſtinctas definit, definitas declarat, declaratas ſuis ornat proprietatibus.* Pertinere *autem ad eum, qui de moribus, ac uirtutibus agit, de amicitia pertractare, ex eo loco iam patet. Certè quidem* Amicitia *uel uirtus eſt, & præcipua in ipſa iuſtitia: uel non ſine uirtute, quoniam præcipua, & legitima ueræ amicitiæ cauſa uirtus eſt.* Præterea *tanta eſt ubiq; amicorum neceſſitas, ut nullum genus, nulla ſors hominum ſine amicis uitam eligeret, nō diuites, non pauperes, non iuuenes, non ſenes, non in ciuitatibus permanentes, non peregrinantes. Sed quid aliud ſacroſanctæ leges intendunt, niſi*

amicos eos efficere, uel effectos conſeruare, qui communi ſocietate boni alicuius gratia inuicem congregantur? Non poſſumus *certè naturæ omnium parenti non ſine magna infamiæ, ac turpitudinis nota refragari, ea parentibus liberos, uxoribus maritos, fratres fratribus, dominis ſeruos conciliat communi quodam amicitiæ iure: à quo ſtatim diſcedere, tam turpe eſt, quàm pulchrum celeriter aßilire.* Namq; *hanc tacitam conſenſionem uulgus ueritatis inſtinctu laudare maximè ſolet, quis enim non eos laudabiles putet, qui amici, benigni, & propenſi in amicos habentur?* Quinimo *tanta eſt uirtutis huius præſtantia, ut eius cauſa qui amicus dicitur, idem uir bonus meritò cenſeatur. Ac ut prætereamus ea uincula, quibus natura res omnes conſtrinxit, ita ut medijs infima, cum his ſumma cohæreant, (mirum ſane opus, & præclarum) ad humanas ueniamus actiones, & quæramus ſciendi cauſa, quid ſit Amicitia, utrum ea ſit in omnibus, an inter malos etiam cadat: quot eius ſpecies, quot omnium proprietates habeantur. Certè quodcunque amamus, uel ſpeciem quandam boni præfert. Bonorum ratio triplex, nam uel honeſtate, uel ſuauitate, uel commodo metiuntur. Amicitia ad aliqua, uel ad omnia hæc intendet.* Hinc *patet, quòd cum belluis amicitia non initur, neque cum ijs, qui mutuum non reddunt, neque cum his quorum latet conſenſus. Ferimur ergo in honeſtum, utile, ac iucundum: ac ita ferimur, ut quandiu amabilitas horum poſtulat, hoc eſt, quandiu huiuſmodi res ſubiectæ durant, tantum amicitia duret, & perſiſtat.* Quare *cùm honeſtas per ſe durabilis, & diuturna ſit, uoluptas uerò, & commodum facilè dilabantur, certè ius illud amicitiæ, quod honeſtate ſancitur, æternum habetur, & alia fluxa, & caduca iudicantur.* Quare *illud maximum eſt, quoniam eſt rerum ſuapte natura pulcherrimarum, & ob id maximè amabilium. Eſt etiam perfectum, & rarum: perfectum, quia nihil in eo deſideratur: rarum, quia perfectum, & quia*

quia temporis longitudine confirmatur. Cadit autem inter bonos, & morum ſimilitudine, conuictuq; maximè deuincitur. Quare qui celeriter amici fiunt, hi uoluntate potius, quàm habitu amici dicendi ſunt. Sed honeſta, & legitima uis amicitiæ non exigit multitudinem: neq; enim facile eſt multis conſueſcere, neque in promptu ut idem placeat multis: adde quòd beneuolentiæ exceſſus, is qui in uera eſt amicitia, non poteſt ad multos pertinere. Commoditas autem, & uoluptas, propterea quòd multi ſunt huiuſmodi, qui nobis utiles, & ſuaues eſſe poſſunt, numerum poſtulat. Imperfectorum enim maxima copia eſt, nec longa experientia indiget. At perfectorum conſenſio ſola ſine querela eſt, nam temporis teſtimonio confirmata, malum de amico non ſibi facile perſuadet. Pro utili uerò & iucundo querimoniæ multæ, ac controuerſiæ fiunt, unde animi conſenſio, & uoluntas optima labefactatur. Suas uerò actiones honeſtas habet, unde non tam præſentes, quàm abſentes diligit, ut ait Iſocrates. nam cùm adſunt, ſimul uiuunt, ſe'que mutuo iuuant: cùm abſunt nullum memoriæ, ac recordationis munus omittunt: frequens eſt illis ſermo, ac honorificus de amico, nec tanquam dormientes locorum diſiunctione amicitiam ſilentio dirimunt: ſcribunt, reſcribuntq; de proprijs ac domeſticis rebus, ac demum id quod ſunt, amicorum ſunt. Amor autem ſimilis eſt affectioni, Amicitia uerò habitui: amici enim uolunt bona amicis, tum eius quem diligunt gratia, & hoc eſt ex recto animi habitu, qui propriam negligit utilitatem, non propter affectum: quare Ariſtoteles in hoc loco ad utranque partem reſpicit. Ad amicitiam inepti ſunt ſenes, iuuenes, & qui acerbitate quadam naturæ ac moroſitate tenentur. Senes enim aut moroſi conuiuere non amant: Iuuenes autem honeſtis rebus non admodum delectantur, licet quàm celerrimè amici fiant, ſed hoc commodo ac uoluptate propria metiuntur. Sed hæc ſatis. Volumus autem hæc ſtu-

dioſis præponere, ut ad ea, quæ hoc loco dicit Ariſtoteles, iſta quoque adderentur, nam facilitas eorum, quæ hic dicuntur, expoſitionem nullam requirunt: & quæ in Ethicis dicta ſunt, ad mores, & actiones pertinent: unde orator moratam, & ciuilem facere orationem poterit, ex amicitiæ ratione inimicitia, & odium tanquam contraria ex contrarijs dignoſcentur. Diligentia legentis harum rerum exempla paßim in Poëtis, ac Oratoribus quæret.

Quæ ſint res quibus homines timeant. *Cicero: Item timor incutitur aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. Interior eſt ille proprius, ſed hic quoque communis ad eandem ſimilitudinem eſt perducendus, par atque una ratio eſt ſpei, lætitiæ, motus. Hæc Cicero, & non amplius de timore: quare ab Ariſtotele reliqua ſunt petenda, uel à Platone, qui in dialogo de Fortitudine, & in libris de Legibus, & de Iuſto multa de terribilibus, de metuendis, & de ipſo timore ac confidentia loquitur, quæ omnia hoc loco ab Ariſtotele ingenioſißime ſumuntur. Cùm igitur bonum uel malum expectamus Spes dicitur, communi ut dixi uocabulo. Spes etiam partis nomen eſt, & ad bonum fertur, Timor uerò in malum: is duplex, aut malum doloris futuri, aut turpitudinis, formidat: ille Timor, hic Pudor appellatur. Timor aut uehemens eſt, aut remiſſus: hic ad conſilium nos reuocat, ille ab omni actione dimouet. De ijs omnibus, deq; rebus obiectis, & cauſis, loquitur Ariſtoteles ita clarè, ut pudor ſit mihi aliud ſuperaddere. Cicero Formidinem permanentem Metum uocat in Tuſculan. Metum autem futuræ ægritudinis recordationem ſollicitam, & malum diuturnitatis cuſtodem. Aegritudini etiam finitimum metum eſſe dicit, eſt enim metus ut ægritudo præſentis, ſic ille futuri mali. Itaque nonnulli metum Præmoleſtiam appellabant, quod eſt quaſi dux conſequentis moleſtiæ. Timor autem eſt metus appropinquantis mali. Verecundiam timiditas imit*

tas imitatur: unde ingenuus timor Verecundia dici ſolet: hæc cuſtos eſt omnium uirtutum, dedecus fugiens, laudem'que maximè conſequens: quæ cùm ſit quaſi quidam ornatus uitæ, maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui eam ex amicitia tollit. Hanc in bello ualere maximè dicit Plato. Audacia non contrarium eſt fidentiæ, ſed appoſitum ac propinquum, & tamen uitium eſt fortitudinem imitans, atque idem cum confidentia. Vnde animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habet, quàm fortitudinis. Fidentia eſt uirtus, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. alias'que Cicero, Fidentia, id eſt, certa animi confiſio, ſcientia quædam eſt, & opinio grauis, non temere aſſentiẽs. Hæc ego attuli, ut uim Latinitatis intelligamus. Quid autem ſit quæque harum affectionum, & quibus de cauſis, & quomodo ad eas homines propenſi ſunt, copioſiſſimè diſſeritur ab Ariſtotele, & declaratur. In quarto autem Ethicorum uerecundiam non eſſe tanquam uirtutem aliquam pertractandam, ſed perſimilem affectioni oſtendit, à definitione primum: nam cùm uerecundia quidam timor ſit, timet enim quem pudet ne malus uideatur: cumq́; timor affectio quædam ſit, certè ſequitur, ut uerecundia ſit affectioni potius, quàm uirtuti ſimilis. Effectus deinde uerecundiæ rubor eſt. ſuffuſus pudentis uultus rubore eſt, ſicut timentis pallore, quare ad corpus pertinet, quod in uirtute non cernitur. Pallet autem, qui timet, nam cor ſanguine petitur, & ſpiritibus, in corde uitæ domicilium eſt, ad quem refugiunt ſpiritus, ut ſubſidio ſint. Rubeſcit, quem pudet, quoniam exterius damnum minatur, honor enim exterior quædam res eſt. Non omni autem uitæ curſu affectus is cernitur, ſed in iuuentute maximè, tum quia ætas ea maximè affectibus commouetur, unde turpitudi-

nem timent: tum quia laudabilis eſt, & conſuetudine ingenua iudicatur affectio. Seniorem uerò nemo laudat, quòd ſit uerecundus: nihil enim ab eo fieri cenſemus, quod ſit uerecundia dignum. Probis autem non ineſt uerecundia, quid enim mali agunt? Præterea bonus, neque aget, quæ ſunt turpia, neque quæ uideantur: & licet ita eſſet affectus, ut eum puderet, ſi quicquam turpe committeret: non tamen uerecundia illi ineſt: tum quia uoluntas cernitur bona, tum quia uirtus abſolutè intelligitur: quod non eſſet, ſi eo modò uerecundum uocaremus eum, qui probus eſſet. Quòd ſi uerecundia non ineſt uirtute prædito, multo minus inuerecundia inerit, & impudentia.

- Cum autem pudor ex cogitatione infamiæ, & ignominiæ alicuius fiat, non earum rerum. *Hunc credo eſſe Ariſtotelis ſenſum, uidelicet pudorem ex metu infamiæ proficiſci, non rerum illarum, quæ fiunt, ad quæ ſequatur infamia, ſed ipſius opinionis duntaxat: quoniam quæ ſequuntur, quatenus huiuſmodi ſunt & ſua ui, non afferunt pudorem, ſed inquantum δοξαστά, id eſt, uiſa, ut inquit Euſthr. in quarto Ethicorum, ſicut ἀκόλαστος diciturqui delectationes ſequitur per ſe, non per id, quod conſequitur, ut ait Ariſtoteles in ſeptimo Ethicorum.*

Ideoq́ Euripides rectè dicit. *Quid Euripides dixerit, notum erat ſuis temporibus, ideo eius uerba non ponuntur. Euripides Syracuſis legatus agebat, opem ab ijs pro Athenienſibus imploraturus: id illis negantibus reſpondit, non debere id ſibi primo petenti negari: præterea non poſtulare Athenienſes, niſi quod Syracuſios admirarentur. Illud autem animaduertendum, pudorem aut uerbis, aut factis fieri, & diuerſas res eſſe, quarum nos inter notos pudeat, ab ijs, quarum inter ignotos. Fabius autem, Pudor, inquit, refrangit animum, & abijcit, atq; ipſius lucis fugam, & tædium dictat.*

Quibus

Quibus hominibus, & quibus in rebus gratia fieri uideatur. *Gratia eſt affectio, in ea parte, qua concupiſcimus collocata, qua is, qui facit, & collocat gratiam, dicitur obſe= qui precibus, indigentiæ'ue non reddendi, & reliqua. Licet à præcepto uideatur hæc gratiæ definitio remoueri, propterea, quòd idem in ſui definitione collocatur, hoc tamen non eſt con tra præceptum: aliud enim ſignificat* Gratia, *quæ definitur, aliud* Gratia, *quæ in definitione ponitur: nam prior abſolutè beneficium non ſignificat, ut poſterior, ſed beneficium, quod gratia illius fit, in quem confertur, reliqua ſunt facilia.* Cicero *autem gratiam eſſe dicit, in qua amicitiarum, & officiorum, alterius memoria, alterius remunerandi uoluntas continetur, neminem uerò gratiarum immemorem gratum fuiſſe inuentum affirmat.* Sophocles *autem gratiam gratiam parere, atque unam ex alia gratiam fieri dictat.* De Miſericordia *uerò* Ci= *cero hoc modo: Iam miſericordia mouetur, ſi is, qui audit, ad= duci poteſt, ut illa, quæ de altero deplorentur, ad ſuas res re= uocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium, crebro ad ſe ipſum reuertatur. Ita cùm ſinguli caſus humana= rum miſeriarum grauiter accipiuntur, ſi dicuntur dolenter, tum afflicta, & proſtrata uirtus maximè luctuoſa eſt. Quid au tem ſit, & in qua parte collocetur, diximus: pari forma de* In= *dignatione. Sed haud ſciam, inquit Cicero, an acerrimè longè ſit omnium motus inuidiæ, nec minus uiriũ opus ſit, in ea com= primenda, quàm in excitanda. Inuident autem homines maxi= mè paribus aut inferioribus, cùm ſe relictos ſentiunt, illos au= tem dolent euolaſſe. Sed etiam ſuperioribus inuidetur ſæpe ue= hementer, & eo magis, ſi intolerantius ſe iactant, & æquabi= litatem communis iuris præſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſcunt, quæ ſi inflammanda ſunt, & reliqua in ſecundo de* Oratore, *ubi uidetur indignationem tangere.* Fabius *autem*

ubi de procemijs agit, affectuum rationem explicat, quare illuc ſtudioſi mittantur, & ad Ethicen Ariſtotelis, *ſi uolunt aliquid amplius addiſcere.* Illud *autem in* Inuidia*, &* Indignatione *conſiderandum, quòd qui indignatur, & inuidet, non propriam utilitatem intuetur, eſſet enim timor, ne alterius ſibi nocerent commoda, & bona efficerent. Sunt autem affectus hi contrarij* Iracundiæ*: qui enim ſuccenſent, lætantur, ſi qui habet bonum, eo dignus ſit: ſed qui inuidet, dolet, ſiue dignus, ſiue indignus habeatur.*

Quid hactenus dictum ſit, quidq; dicendum ſuperſit.

CAPVT XXVI.

QVIBVS rebus aut excitentur, aut ſoluantur affectus, unde ratio aliqua ad faciendam fidem aſſumi poſsit, dictum. Nunc quales qualibus mores, affectiones, & habitus: Item quæ ſint ætatum, quæ fortunæ diſcrimina, deinceps percurramus. Affectiones ſiue Affectus appello, Iraſcentiam, Cupiditatem, & ſimilia ijs, de quibus pauló antè præſcripſimus. Habitus intelligo uirtutes, & uitia, de quibus etiam demonſtratum eſt ſuprà. Simul & quas res quiſque optet, & quarum actione oblectetur expoſitum. Aetates ſunt Iuuenta, Status uirilis, Senecta. Fortunæ diſcrimina ſunt, nobilitas, diuitiæ, potentia, & ijs contraria: & ut generatim poſsint accipi ſecundæ, & aduerſæ res omnes.

De moribus Iuuenum. CAP. XXVII.

IVVENTVTIS itaq; mores hi: & primum propensè concupiſcunt, & quod concupiſcunt, etiam conantur explere: ex uoluptatibus corporis maximè uenerea perſequuntur, eorumq; impatientes, incontinentesq; ſunt. Alioquin facilè mutantur, & uoluptates breui faſti

ui faſtidiunt. Concupiſcunt quidem uehementer, atque immodicè, ſed celeriter languent: ſunt enim eorum acuta, non grauia, magnáue admodum deſideria, qualis eſt in ægroto plerunq; ſitis, aut fames. Parati præterea, atq; acres in iras, quibus ſuccenſi ſemel ui illa præcipites feruntur, nec cohibere impetum ſufficiunt. Cùm enim cupidi laudum ſint, pati non poſſunt, ſe ab ullo contemni: ſed ſimul atq; ſe iniuria petitos putãt, moleſtè, & impotenter ferunt. Adeo uerò ſtudioſi honoris, ambitioſiq; ſunt, ut uictoriæ cauſa dimicationes grauiſsimas ſæpenumero adeant. Gaudet enim ætas illa exceſſu, & eminentia, qualis planè uidetur eſſe uictoria: utrunq; autem uehementius, quàm pecuniã appetunt. Pecuniã quidem modicè, atq; exiliter diligunt, quia nondum inopiam ſunt experti, ut eſt à Pittaco proditũ præclaro illo apophthegmate de Amphiarao. Præterea nõ malitioſi, non uafri: ſed aperti, ſed ſimplices: quoniam uerſutijs, nequitijsq; nondũ multis muniti, coinquinatí ue ſunt. Creduli deinde, facilesq;, quòd haud ſæpe circũuenti, deceptiq; ſunt, eoq; bona ſemper ſpe: ut enim temulẽti uino, ita adoleſcentes ætate, naturaq; incalent: ſimul quia nõ ſæpe fruſtrati ſunt, bona ſpe plurimũ uiuunt: ſpes quidem futurum tempus ſpectat, memoria præteritum. At iuuenibus futuri magna pars reſtat, præteriti modica acta eſt. Porrò prima ſtatim die, cùm nihil meminiſſe uideãtur, certã ſpem omnia conſequendi, & adipiſcendi cõcipiũt. Ea ratio facit, ut ætas illa dolis, & circũſeptionibus maxime pateat: quia ſcilicet facilè, atq; leuiter ſperãt. Inſurgunt & fortius in pericula, tum quòd ira, & animis pleni ſunt, tum quòd optima ſpe deſcendunt in pugnã: quorum alterum intrepidos, alterũ etiamnum fidẽtes & audaces facit. Nemo quippe, cũ iratus eſt, timet, atqui ſpe-

rat, audacia etiam multa euehitur. Verecundi quoq; pudentesq; ſunt, qui honeſta alia eſſe nō putāt, extraquàm ea, quæ certis legibus, & diſciplina domeſtica continentur. Sunt & magnanimi, quoniam ætas ipſa, deiecto, atq; humili animo eſſe non ſinit: & præterea neceſsitatis omnis, difficultatisq; inexperti cùm ſint, neceſſe eſt, ut in omnibus rebus excellenter, magnificeq; uerſentur. Eſt autem magni animi argumentum, putare ſe magnis, & amplis rebus, atq; apprimè excellentibus dignum: magno certè animo eſſe non poteſt, qui ſpe bona non ſit. Eſt & ætati illi præcipuus quidam uel ambitus, honeſta utilibus anteponēdi: quod illi proprietate quadam morum, & habitu potius, quàm ratione, aut conſilio faciunt. Conſilio quidem, & ratio utilitatem ſectatur, Virtus honeſtis incumbit. Præterea nulla eſt ætas, quæ amicos, ac ſuos uehementius diligat: quia conſuetudine plurimum, conuictuq; gaudent: nec tam id, quod expedit, quàm quod libido imperat, intuentur. Quò fit ut, perinde uti in alijs quoq; rebus, ut in deligendis amicis peſsimè iudicent. Quāobrem contrà, quàm Chilo præcepit, ut ſcilicet quiſpiam nihil nimium cuperet, Omnia illi immodicè perſequuntur. Propenſiſsimi cùm diligunt, infenſiſsimi cùm odere: in cæteris poſtremò intemperantes, uehementes, & iniurij. Iidem ſcire ſe omnia arbitrantur, omnia cum aſſeueratione, & conſtanter affirmant: quod quidem cauſa eſt, ut uehementer, & nimis omnia moliantur. Iniuria quoq; non malignitatis nocendiq; ſtudio, ſed in contumeliam faciunt. Clementes præterea, miſericordesq; ſunt, quoniam ferè optime de omnibus ſentiunt: ſua nempe ſimplicitate, cæterorum quoq; animos metiuntur: ita facilè adducuntur, ut credant innocentes omnes eſſe, & immerenter plecti. Sunt

autem riſus affectatores, proinde dicaces, facetiq́ꝫ: nam facetiæ ſunt urbana, & caſtigata conuitia.

De moribus Seniorum. CAP. XXVIII.

HIS moribus iuuenes, contrarijs ferè ſeniores, & ætate prouecti cenſentur. Primum quia multorũ annorum attritu experientes facti, dolis ſæpe appetiti delictis plurimis coinquinati, rerum uitijs longo uſu de tectis, & cognitis, nihil impudenter aſſeuerant, omnia quàm par ſit ſegnius, atq; tepidius, eoq́ꝫ res, quas norũt, putare ita eſſe aiunt, & uideri ſibi, non planè ſcire, aut explorata habere. Quamobrem in omni ſermone res, quas affirmant, moderatione uerborum aliqua temperant, qualia ſunt aduerbia illa, fortè, fortaſſe, quibus adiectis, quaſi eliditur, & eleuatur aſſertio. Ita anceps ſemper, ac pendens eorum oratio eſt, nihil ut firmè, ſecurèue polliceantur. Malitioſum præterea, & uerſutum ingenium. Malitioſos intelligo, qui omnia in deteriorem partem accipiunt, interpretanturq́ꝫ: in ſuſpicionem quoque celeriter ueniunt, quia increduli: incredulos experientia, & uſus facit. Eadem ratione nec uehementer amant, nec impotenter oderunt: ſed cum adiectione Biantis, amant hac fini, ceu aliquando ſaltem oſuri: hac itidẽ tenus odere, ceu fortaſſe pòſt amaturi. Humiles præterea, abiectiq́ꝫ ſunt: nam longinquitas, & ſpatium uitæ uniuſcuiuſq; animum reprimit. Proinde illi nihil magnum, nihil excelſum, aut magnificum, ſed res duntaxat ad uſum uitæ neceſſarias contuentur. Ea cauſa facit etiam, auari, & illiberales ut ſint. Nam facultates, ſubſtantiaq́ꝫ una rerum eſt neceſſariarum ad uitam: ſimul diuturna experientia didicerunt, difficilimum eſſe acquirere, facilimum iactare. Pauidi deinde, meticuloſiq́ꝫ, ut enim dictum eſt, habent ſeſe contrà, quàm adoleſcen-

tes,

tes, & iuuenes. Feruent illi ætatis, naturæq; facibus: frigent hi calore abſumpto, igniculis'que reſtinctis: ut intelligi poſsit, ſenectutem quaſi præſtruere, ac ſternere uiam ad metum: nam metus refrigeratio quædam eſt. Sunt & cupidi lucis, ac uitæ, ſupremo præſertim die, quia ſcilicet ea, quæ abſunt, quorum'que quis indiget, ualidiſsimè expetuntur. Item incuſatores queruli, contentioſiq; ſupra modum, id quod modicitatem quandã eius ætatis oſtendit: quia uerò ſeipſos uehementer amant, utilia præferunt honeſtis, ea'que impẽſius, quàm ſit æquum ſectantur: nam Vtilitas bonũ eſt eius unius, qui illam captat: Honeſtas ſimplex, & abſolutum bonũ eſt: ea ratio præſtat, ut impudentes, inuerecundi'que uerius, quàm uerecundi intelligantur ſenes: nam cùm non æquè honeſtatis, ut emolumenti rationem habere uideãtur, cura famæ non laborent, & quid de ſe ſentiatur, facilè contemnant. Sunt & ſpe ſemper mala, quod tum uſus plurimarum rerum, quæ in contrarium ſæpe, atq; in deterius cadunt, tum metus facit, qui in ea ætate contingit. Aluntur quoq; non tam ſpe, q̃ memoria ſenes, quia ſpatium uitæ, quod reliquũ eſt, illis breue, ac perexiguum eſt, actæ uerò & præteritæ multum. Spes quidem, ut dictum eſt ſæpe, futurarum eſt rerum: memoria uerò præteritarum. Atq; ea cauſa eſt loquacitatis, & nugarum in ſenibus: cùm enim recordatione rerum geſtarum ſola oblectentur, in ijs recenſendis, recitandisq; pertinaciter, & moleſtiſsimè perſeuerant. Iræ autem ea ætate quanquam uidentur peracutæ, imbecillæ tamen infirmæq; ſunt. Ex cupiditatibus uerò aliæ abierunt, deſeruerunt'ue illos, aliæ adhuc quidem apparent, ſeruanturq;, ſed languidæ, & ſubobſcuræ: quamobrem nec cupidi admodum ſunt, nec ſi quas retinent cupiditates ma

gnopere

gnopere exercent. Prorſus lucro duntaxat, & quæſtui inhiant: Quamobrem grandes natu ferè moderati, & tẽperantes uidentur: quia cupiditatum acrimonia detritu annorum domita, ac ſubacta deferbuit in illis, aut reſedit. Quò fit, ut emolumẽtis uitæ tantum, & utilitatibus ſeruiant, uiuantq́ non tam inclinatione morum, quàm ratione, & conſilio. Cõſilium eſt, quo captatur utilitas. Mores, quibus uirtutes deſignantur animi. Iniurias itẽ afferunt, non contumeliæ ſtudio, ſed nocendi, ac planè lædendi libidine. Cæterùm miſericordes ſunt ſenes, ut iuuenes: non tamen ea ratione, qua iuuenes. Illi benignitate, humilitate'que: hi debilitate, infirmitateq́ permouentur. Nam ſenes omnia ſibi impendere putant, ea'que uelut imminentia, inſtantiaq́ reformidant: quæ exiſtimatio (ut diximus ſuprà) ad commiſerationem multũ ualet. Quapropter & queruli plurimum, lacrymoſi'que ſunt, non urbani, non faceti, non riſu, non ſalibus gaudent. Nam ridicula lacrymis aduerſantur. Hi ſunt ſenum: hi iuuenum mores. Ergo cùm ea potiſsimum oratio paſsim, uulgiq́ placeat, quæ noſtris moribus competit: cum'que eos ſermones probemus, qui ſimiles noſtris uidentur: liquere arbitror latiſsimè rationem, qua naturæ eorum, qui audituri ſunt, aſſumi poſsint in cauſam: ita ut tum ij, qui dicunt, tum oratio ipſa, quæ dicitur, ſimilima eſſe audientibus uideantur.

Qui mores eorũ, qui ætate ſunt media. CAP. XXIX.

INTER hos, qui ætate media ſunt, mores quoq; medios occuparunt, exuperantijs naturæ utriuſq; amputatis. Non fidunt uehementer: nam hoc ferox audacia eſt. Non magnopere metuunt: ſed mediocriter in utroq; affectu uerſantur. Præterea non paſsim creduli, non pertinaciter increduli: ſed ueritatem in omni iudi-

cio ſo

cio ſolam intuentur. Nō prodigi, non præparci, ſed frugi: non iracundi, non cupidi, ſed temperati. Ac temperati quidem, non ſimpliciter, ſed fortitudine adhibita, & fortes temperantia comite. Nam uirtutes illæ in ſenibus iuuenibus'que ſunt ſeparatæ. Iuuenes enim fortes quidem ſunt, ſed intemperantes: Senes contrà temperati, ſed pauidi: & ut in uniuerſum dicatur, Ea bona, quæ iuuenes, ac ſenes diducta priuatim, ſeorſum'que habent: in ijs, qui media ſunt ætate, collecta reperiuntur, & iuncta. Mala uerò, & incommoda, quæ uel exceſſu, uel defectu laborant in illis, in his ad temperamentum, & mediocritatem reuocata uiſuntur. Media ætate corpus uiget à x x x. ad trigeſimum quintum annum, anima uerò ad unum de quinquaginta. Iuuentutis, ſenectutis, & ſtatus interiacentis, qui cenſeantur mores, hactenus demonſtraſſe libeat.

De moribus hominum ſecundum fortunas.

CAPVT XXX.

NVNC de bonis, quæ fortunæ feruntur accepta, quales ſcilicet in quaq; fortuna ſint hominum uoluntates, & mores, agamus. Primùm ij, quibus ea obtigit, ambitione, & gloriæ cupiditate tanguntur. Solet enim quiſq; ſi quid præcipuum habet, ad id ornandum, amplificandumq; operam omnē impendere. Eſt autem Nobilitas maiorum quidam ſplendor, & claritas: Dein de contēptores eorum, qui ſimiles eſſe ſuis maioribus uideātur: nam res à noſtra ætate remotæ, peruetuſtæq; præſtantiores ſemper, & iactātiores habētur, quàm proximæ, & recētes. Porrò Nobilis eſt, qui inſigni, ornamētoq; generis prænitet. Generoſus, qui non recedit, à probitate maiorum, quod quidē nobilibus inſolēter, & rarò contingit: Nec temere multos comperias, qui non

degen

degenerēt. Eſt autem ut annonæ, cæterarumq́ rerum, quæ ex agro naſcuntur, coctura interim quædam, atq́ feracitas: ita & clarorum uirorum ex aliqua illuſtri familia fœcundus quidam, reſtibilisq́ prouētus: interim contrà, cùm certo temporis ſpatio celebres, & excellentes uiri ex bono aliquo genere proceſsiſſent, pòſt ſecuta penuria eſt. Degenerant uerò familiæ nobiles, non uno modo, ſed uarie: nam ingenioſæ, & acres, exeūt in mores ſæuos, ac truces: quod intelligi poteſt in ijs, quæ ab Alcibiade, & à Dionyſio ſuperiore fluxerunt. Contrà pacatæ, quietæq́ in ſegnitiem, uecordiamq́ degenerant: ut qui à Cimone, Pericle, Socrateq́ ſunt orti.

De moribus Diuitum. CAP. XXXI.

MORES deniq́ qui diuitem ſequantur, ferè omnes intelliguntur uulgo. Contumelioſi primùm, impotentes, elati, ipſa demum abundantia copiarum laborantes, & putidi. Nam qui ita diues eſt, perinde comparat animū, ac ſi omnibus bonis ornatus eſſet, ac præditus. Perſuadet enim ſibi diuitias ſuas, quaſi pretium eſſe, quo uirtus aliorum omnis, & dignitas rependi poſsit, & redimi. Quò fit, ut diuitibus uenalia omnia uideantur eſſe. Delicioſi deinde ſunt, ſupini'que, atque molles: tum iactatores, omnia ſibi qui ſumant, & arrogent: alterum, quòd luxu ipſo gaudent, & oſtentatione fortunarum; alterum, quòd in eo omnes uerſari plurimùm ſolent, quod plurimum diligunt, & uenerantur: ſimul quòd ab alijs quoque ſpectari, optariq́ credunt eas res, quas ipſi auidiſsime perſequuntur: nec mehercle iniuria, cùm plurimi uiſantur, qui auxilio diuitum egeant. Hinc Simonides cùm ab uxore Hieronis interrogatus fuiſſet, Vtrum diuitem eſſe, an ſapientem præſtaret: Video, inquit, ſapiētes liminibus diuitum obuerſari.

ſari. Deinde qui opulenti ſunt, atq; locupletes putant ſe digniſsimos eſſe principatu: quia adeſſe ſibi auxilia omnia arbitrantur, quorũ cauſa præeſſe, & imperare cæteris debeant. Et ut plurima in pauca conferam, Diuitię nihil ferè aliud ſunt, quàm felix amentia. Cæterùm refert, ditatus quis modo, locupletatusq; ſit, an olim. Nã nouitiæ opes grauiora omnia, & impotentiora habent: Qui enim magnis copijs non pridem datus eſt, tanquã tiro diuitiarum habetur, eoq; ſeſe imperite, atque intemperanter gerit. Sunt præterea & iniurij, non quidem malignitate, aut nocendi libidine, ſed ſtudio contumeliæ, aut uoluptatis alicuius cupiditate. Cõtumeliam intelligo uerbera, uoluptatem, adulterium.

De Potentum moribus. CAP. XXXII.

MORES quoque eorum, qui in aliqua poteſtate conſtituti ſunt, partim ſimiles habentur ijs, quos diuites præferunt, partim meliores. Sunt enim magni, ac potentes uiri cupidiores honoris, & generoſiores aliquanto, quàm diuites: quia earum actionum ſtudioſi, appetentésque ſunt, quorum perficiendi tum facultatem, tum rationem amplitudo potentiæ exhibet. Studioſiores item, & circumſpectiores uidentur: quia & diligentes, & de imperio ſuo ſoliciti coguntur eſſe. Moderati quoque & honeſti potius, quàm graues: nam cùm ea dignitas, quam obtinent, claros, & ſupra alios, quaſi extantes, atque ſpectabiles faciat, neceſſe eſt, ut moderationem, & honeſtatem in rebus omnibus præferant. Moderatio autem, & honeſtas uitæ, eſt mollis quædã, uerecundaq; grauitas. Alioquin ſimulatq; iniurij eſſe ſtatuerunt, non friuolas, aut leues iniurias, ſed graues, & plane magnas conſectantur. Bona, & ſecunda fortuna qui utuntur, præditi ſunt particulatim his moribus,

quos ſuprà perſcripſimus: nam bona omnia uidetur ſecunda fortuna complecti, & præterea ſobolis bonitatem, uirium, ualetudinis, formæ exceſſum quendam, & cumulum. Inflatiores quidem, inſolétioresq́, & omnino minus conſideratos ſecundæ res faciunt. Sed tamen in ſcelerum uicem probitatis genus illud prꝺſtantius rependunt, quòd pios, & rerum diuinarum cultores efficere uidentur. Dijs enim afficimur quadamtenus, & credimus, cùm beneuolentia eorum conſecuti uideamur ea bona, quæ fortuna nobis, caſusq́ attulit.

DAN. BARB. à *Cap.* XXV. *uſq; ad* XXXIII.

QVibus rebus aut excitentur, aut ſoluantur affectus. *Commemorat Ariſtoteles hoc loco, quid hactenus executus ſit, & quid in poſterum executurus: oſtenditq; ſe dixiſſe de inuentione earum propoſitionum, quibus animi concitantur, quo pacto odium in alios ſtruatur, & à nobis dimoueatur, timor incutiatur, inuidia excitetur, uel comprimatur, indignatio, æmulatio, miſericordia, & reliquæ affectiones inducantur: dicitq; ſe dicturum de moribus, & habitibus per ætatum, & fortunæ diſcrimina, & breuißimè, quæ ſint affectiones, qui habitus, quæ ætates, quæ fortunæ ſint declarat: his enim cognitis facile moratam efficere orationem ualemus.* De *uſu uerò, & tractatione harum rerum dicetur in tertio, quare illic neceſſaria maximè & pulcherrima tradentur præcepta: & in primis cùm de morata oratione, affectuoſaq́; loquemur.* Nunc *illud animaduertendum, quòd* Fabius *cùm ſe reprehendat, ubi de affectuum diuiſione loquitur libro ſexto, tacitè quoque reprehendere* Tullium *uidetur.* Nam *cùm ad obtinenda ea, quæ uolumus, affectuum opus potentißimum eſſe dicat: hac de re pauciora quàm poſtulabat hæc materia, ſic attigiſſe dicit, ut magis quid oporteret fieri, quàm quo id modo conſequi poßimus, oſtenderit: quod etiam fecit* Cicero. Potentißimùm

autem opus eſt affectio: nam cùm iudices aliqua incipiunt perturbatione moueri, agi iam rem ſuam exiſtimant. Et quemadmodum qui amant, in rebus eius quem diligunt, obcæcantur: ita omnem inquirendæ ueritatis rationem iudex amittit, occupatus affectibus. Affectus autem Fabius duplices ait, ſpeciem alteram πάθος *uocat, alteram* ἦθος, *atque ut ſuperior Affectus nominatur, ita hæc inferior nomine Romano caret,* ἤθοι *tamen mores dicuntur, hi rei naturam ſpectant, & non tam mores uidentur ſignificari, quàm morum quædam proprietas: ratio eſt, quia ipſis omnis habitus animi continetur. Differunt effectus hi: nam* πάθος *concitatum eſt,* ἦθος *lene: illud imperat, hoc perſuadet: ſed* ἦθος *propriè id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur, non ſolum mite, ac placidum, ſed plerunque blandum & humanum, & audientibus amabile, atque iucundum: in quo exprimendo ſumma uirtus ea eſt, ut fluere omnia ex natura rerum, hominum'que uideantur, quò mores dicentis ex oratione perluceant, & quodammodo agnoſcantur: quæ res Comœdiarum propria eſt, in quibus illa uirtus ineſſe debet, quæ res ante oculos ponit: de qua loquitur Ariſtoteles in tertio. Sicut affectus proprij ſunt Tragœdiarum. Quoniam uerò nihil obſcurum, aut abſtruſum eſt in Ariſtotele, ideo hæc omittemus, illud monentes, neminem me legiſſe, qui magis morata oratione uteretur, quàm Socratem: quem imitari qui uolet, aßiduus eſto Platonis lector. Sed hæc clariora in tertio reddentur, cùm de generibus dicendi loquemur: ibi enim ex Hermogene totum negotium tranſigemus.*

Orationis uſum ad iudicium inſtitui, ac de multiplici iudicio. CAP. XXXIII.

DICTVM eſt de moribus quales cuique ætati, & fortunæ conueniant, nam contrarij ex contrarijs facilè elicientur: puta cuiuſmodi mores pauperis,

ris,infortunati, impotentis habeantur. Porrò uſus orationis ad iudicium inuentus, inſtitutus'que eſt: nam ad ea, quæ iam ſcimus, de quibus'que iudicatum nobis eſt aliquando, fieri non poteſt, ut oratione ulla ſit opus. Iudicium uerò intelligitur multiplex. Nam & cùm uni ſuadere quis uult, Iudicium eſt, quod faciunt, qui ſeorſum quempiam admonent, aut hortantur. Quamuis'que unus ſit ille, quicum inſtitutus eſt ſermo, nihilominus poteſt iudex uideri in ea re, pro qua ſolus aditur. Nam quem ſibi quis perſuadendum ſumit, quid uetat, ut ſi ſimpliciter loquimur, is in ea notione conſtitutus iudex intelligi, & haberi non poſsit? Item Iudicium eſt, quatenus aduerſarius habetur, quicum oratione pugnatur: aut quoties ſine aduerſario ad aliquam cauſam propoſitam diſputatur. Eſt enim utroque caſu neceſſaria oratio, & in poſteriore contraria diluere oportet, quibuſcum ceu cum aduerſario controuerſia inſtituenda eſt. Eodem modo in demonſtratiuo genere Iudicium appellatur: nam & in eo negotio ad ſpectatorem, tanquam ad iudicem, dirigi ſolet oratio. Cæterùm is propriè dicendus eſt Iudex, cui quæſtionum, quæ in ciuilibus contentionibus agitantur, demandata notio eſt. Nam tam eorum, quæ in foro uerſantur, quàm eorum, quę in conſilijs quęſtiones, & cauſæ nuncupantur. Ac de ciuilibus quidem moribus dictum eſt abunde, cùm de ſuaſorijs ageremus, ut demonſtrata, ac planè definita ſit ratio, qua is, qui dicturus eſt, afferre poſsit orationem eorum qui audiunt moribus accòmmodatam. Cùm autem tribus generibus cauſarum ſingulos fines haberi docuerimus, proinde'que ſingulis eorum proprias, & peculiares propoſitiones, locosq́ꝫ diſtribuerimus; quibus in deliberatione, laudatione,

iudicio facienda ſit fides: cum'que illud etiam ſit prætermiſſum à nobis, quibus rebus morata oratio efficiatur: reliquum eſt, ut communes locos paucis aggrediamur.

DANIEL BARB.

DIctum eſt de moribus, quales cuique ætati. Colligit Ariſtoteles & admonet, ibi quæ dicta ſunt, hic quæ dicuntur, hoc enim perſpicuitatem facit. Sciendum igitur eſt hactenus de inuentione tractatum fuiſſe propoſitionum illarum, quæ ſingulis rebus conuenirent: tanquam de proprijs quibuſdam generibus, nam ſingulis cauſis ſuæ propoſitiones definitæ ſunt, demonſtratiuæ, deliberatiuæ, ac iudiciali, nec tam partibus his, quàm earum portionibus, ſui ſunt loci collocati, ſingulæ quoque probationes artificio carentes ſuis aſſumptionibus ampliatæ, ſinguli affectus, ſinguli mores, ſuæ cuique ætati, uel habitui deſcripti: quare nihil deſiderari poteſt, niſi ut communes omnibus his locos aperiamus. De ijs ſeſe dicturum pollicetur Ariſtoteles, declarat'que orationis uſum ad iudicium inſtitui, atque ornari, multiplex item eſſe iudicium declarat, quæ res apertius oſtendet, quod in principio ſecundi huius ſignificatum eſt, quando dixit, Quoniam uerò omnis totius Rhetoricæ inſtitutio ad iudicij præparationem confertur. Ibi enim probauit id fieri in genere iudiciali, & deliberatiuo, hic & in demonſtratiuo dixit ineſſe, quanquàm ſolus & uerè iudex forenſis cauſæ auditor dici debeat. Declaratur etiam quid intellexerit in primo libro per genera, & per locos. Genera enim uocauit ſingularum rerum propoſitiones, & opiniones, Locos autem communes quaſdam ſedes, in quibus omnia cauſarum genera collocarentur. Huiuſmodi ſunt loci qui res oſtendunt, quæ fieri, & non fieri poſſunt: quid fuerit, quid'que futurum ſit. Item & qui augent, & minuunt: quanquàm hi maximè demonſtratiuæ cau-

ſæ conueniant, ſicut præteritum iudicijs, futurum conſilijs accommodatur, ut diximus.

De iis, quæ fieri, aut non fieri poſſunt.

CAPVT XXXIIII.

IN PRIMIS igitur omnibus cauſis neceſſarium eſt, quid fieri poſsit, aut non poſsit, uidere. Deinde quid fuerit, quid futurum ſit, ſcire dicendo comprobare. Poſtremò tenere argumenta ad demonſtrandam magnitudinem rei, quod genus in omnem quæſtionem frequentiſsimè incidit. Nam & qui conſilium dant ſuadendo, diſſuadendóue, & qui laudem, aut uituperationem tractant, & qui accuſant aut defendunt, amplificatione,& attenuatione plurimis locis utuntur. His expoſitis, excutiamus in commune enthymematum, & exemplorum locos, ut ijs abſolutis ad eam partem ueniamus, quæ finem inſtituti nobis initio operis obtinet. Cæterùm ex communibus locis amplificatio demonſtrationibus maximè conuenit, quod & ſuprà docuimus. Præteritum iudicialibus cauſis, nam in re factæ controuerſiæ illæ uerſantur: Futurum, & poſsibile deliberatiuis. Primùm itaque de ijs, quæ fieri poſſunt, aut non poſſunt, dicamus. Cuius contrarium eſſe, aut fieri poteſt, ipſum quoque fieri poſſe uidetur: exempli gratia, Si poteſt ſanari homo, poteſt ægrotare:nam contrariarum rerum, quatenus contrariæ ſunt, eadem poteſtas habetur: Item, ſi poteſt eſſe quippiam, poteſt & quod ei par ſit: ſi poteſt eſſe quod difficilius habetur, poteſt & quod facilius. Si poteſt quicquam luculenter, & magnificè fieri, poteſt omnino etiam fieri:eſt enim difficilius ornatam domum ædificare,quàm ſimpliciter domum. Videtur & eius rei poſsibilis exitus, cuius poſsibile habetur initium: quia non temere

quippiam fit, aut fieri incipit, quod perfici, & ad ſummam conferri non poſsit: nam quadrare, aut coæquare diametrum lateri, neq; poteſt, neq; incipit quiſquam. Inuicem quoq; ratio eadem commeat. Cuius admittitur ſumma exitusq́;, eius quoque initium uidetur admitti: quippe quòd omnia ex initio proficiſcantur. Item, ſi poteſt eſſe, quod natura & generatione poſterius eſt, poterit & quod prius: ut ſi uir poteſt eſſe, poſsit & puer: nam puerum eſſe prius, quàm uirum oportet. Recurrit & retrorſus, ſi poteſt puer eſſe, poteſt & uir: quia puerum eſſe, initium atque iter ad uirilitatem eſt. Poſſunt & illa eſſe, quorum amor deſiderium'que natura eſt inſitum homini: Nemo enim amat, deſiderátue, ut frequentiſsimè dixerim, quæ haberi non poſſunt. Ea quoque quorum ſcientiæ aliquæ, aut artes habentur, poſſunt tum eſſe, tum fieri. Poſsibilia nobis, & illa intelliguntur, quorum facultas in poteſtate eorum eſt poſita, quos ipſi uel imperando cogere, uel perſuadendo impellere poſſumus: ut ſunt ij, quibus potentiores, & ſuperiores ſumus, quibus'que aut ut amicis, aut ut clientibus, & mancipijs utimur. Item quorum poſſunt partes eſſe, ipſa quoque tota poterunt. In diuerſum quoque ualet, ſi poteſt tota res eſſe, ut partes ferè poſſint eſſe. Nam ſi lacinia, pileum, tunica, fieri poſſunt, poteſt & ueſtis omnino: contrà, ſi ueſtis poteſt, poſſunt & illa. Si genus uniuerſum poteſt eſſe, poteſt & ſpecies: ſi ſpecies, poteſt & genus: ut, ſi nauigium, continuò & triremis: ſi triremis, utique & nauigium poſſit. Item ſi eorum, quæ aliò referuntur, alterum poteſt eſſe, poteſt & alterum: ut ſi dimidium poſsit haberi, poſſit duplum: & ſi duplum, & dimidium poſsit. Item ſi abſque artificio ullo, atque induſtria fieri quippiam po

teſt, longe magis adiunctis illis, atque adhibitis poterit. Atque Agatho, Quædam, inquit, facimus caſu, quædam nobis neceſsitate, ac arte accedunt, & adſunt. Item quod inferiores, impotentiores, & inſipientiores poſſunt, qui ijs contrarij fuerint, melius, ac ualidius poterunt, id quod & Iſocrates dixit, Graue porrò quod Euthymus didicit, id Iſocratem inuenire non poſſe. Ex ijs, quæ de poſsibilibus rebus dicta ſunt, contraria de impoſsibilibus facilè accipientur.

De argumentis factum coniectura oſtendentibus.

CAPVT XXXV.

NVNC de argumentis illis agamus, quibus facta ſit res, an non ſit, coniecturæ ducuntur. Primùm, ſi quod minus fieri potuit, factum eſt, utique uidebitur factum, quod magis potuit fieri. Eodem modo, ſi quod poſterius ſit, fieri ſolet, factum eſt, quod prius ſolet, factum eſſe uidebitur. Exempli cauſa, ſi oblitus es, didiciſti ergo. Si potuit, quiſquam & uoluit, fecit igitur: Nam omnes, quod uolunt, & poſſunt, etiam exequuntur, ac faciunt. Si enim uolunt, ſi nulla uis obſtat extrinſecus, ſi poſſunt, ſi cupiunt, ſi ea re delectantur, nihil poteſt impedimento eſſe quin faciant. Planè uidetur nemo ferè, qui ea, quæ optat, oblata occaſione, & facultate non faciat: malus, quia inſanis cupiditatibus agitur præceps: bonus, quia tantum æqua, & honeſta concupiſcit. Item ſi ſtatuerit facere, fecit igitur: eſt enim maxime conſentaneum, atque credibile, ut quod quis inſtituat facere, feciſſe etiam uideatur. Item ut factum ſit, quod conſequitur. Si facta ſunt ea, quæ antecedebant, aut ea, quæ illius gratia fieri conſueuerant, ut ſi coruſcauit, intonuit igitur. Si attentauit, perpetrauit igitur. Cõtra ſi facta ea ſunt, quę poſterius fieri, ſequiq́;,

aut quorum gratia fieri alia conſueuerunt, ut facta ſint priora, & quæ illorum gratia inſtituebantur, ut ſi intonuit, coruſcauit igitur: Si perpetrauit, attentauit igitur. Atq; omnia hæc quæ enumeraui, aut prorſus, aut magna ex parte neceſſaria eſſe reperientur. Quibus autem rationibus demonſtrari poſsit, factam rem non fuiſſe, facilè ex contrarijs ſuppetet facultas.

Quibus argumentis futura coniiciamus. CAP. XXXVI.

FVTVRA quoque quibus argumentis conijcere, & æſtimare poſsimus, ferè ex eiſdem locis colligendum eſt: nam quod in poteſtate cuiuſquam eſt, ſi uoluntas, cupiditáſue per iracundiam, aut aliam cogitationem acceſſerit, etiam fiet. Futurũ uidetur & quod in expedito, atque procinctu eſt, uti fiat: hoc eſt, quod in ipſo conatu iam ſit. Frequentius enim ſequuntur ea, in quæ quis incumbit, quàm ea, quæ negligi, & differri uidentur. Futura quoq; intelliguntur ea, quorum præcedentia omnia ſunt ſecuta: ut ſi coactis nubibus cœlum obducitur, utique expectãda ſit pluuia. Conſentaneum eſt, ut illud quoque futurum ſit, cuius gratia inſtitutæ res aliquæ ſunt ſecutæ: ut ſi fundamenta ſunt iacta, ædes quoque factum iri uideantur.

De Amplificatione pauca. CAP. XXXVII.

DE AMPLIFICATIONE, & Attenuatione rerum tum per ſe, tum per comparationem maiorum, minorumq; in Suaſorijs abundanter expoſitum eſt: quamobrem ſi trium generum fines ſuapte natura ſunt boni, ut ſi utilitas, ſi ęquitas, ſi honeſtas: manifeſtum eſt ex rationibus earũ accipiendos eſſe amplificationum locos. Porrò de magnitudine, & exuperantia ſimpliciter, & per genera quærere, ambitioſius eſt, quàm ut inanis diligentia, & ſuperuacaneum ſtudium uideri non

poſſit.

poſsit. Equidem quod ad uſum dicendi attinet, particularia generalibus pręferũtur. Ergo de rationibus illis tribus, Quid effici poſsit, nec ne: Factum ſit, an nõ factum: Futurum ſit, an nõ futurum: poſtremò de amplitudine, & tenuitate rerum, hactenus in tranſcurſu dixiſſe ſat eſt.

DAN. BARB. *à Cap.* XXXII. *uſq; ad* XXVI.

IN primis igitur. *De ijs quæ fieri poſſunt, deq́; factis, & futuris,* Fabius *exemplorum copia diſſerit in quinto libro: ibi enim de omni argumentorum ratione loquitur, & nihil nos ſinit deſiderare: quare non decet ut tempus in his conſumemus. Similis ratio eſt de* Amplificatione, *&* Attenuatione *rerum.* Notandus *uerò eſt locus ille, ubi* Ariſtoteles *dicit,* Atq; Agatho *quædam inquit facimus caſu, quædam neceßitate & caſu proueniunt. Difficilis locus eſt & huiuſmodi, ut* Hermolaus *nondum ſe intelligere ſatis dicat, quid uelit* Agatho. *ſic enim notat:* Allegat *Ariſtoteles hunc* Agathonem *in ſexto* Ethicorum *dicentem, Ars fortunam, fortuna diligit artem: innuens, ut Ariſtoteles uult, circa idem uerſari artem, & fortunam: hoc eſt, ut ait* Euſtrathius, *quemadmodum ars præter actum habet effectum aliquod: ita & fortuna præter actum habet effectum aliquod, puta theſaurum inuentum, & cætera. Tu conſidera, nondum enim intelligo ſatis, quid hic* Agatho *uelit, hæc ille.* Nos *primùm hunc locum corrigemus ex Ariſtotelis ſententia, corruptus enim eſt, poſtea hunc ipſum interpretabimur, & declarabimus: ſunt enim duo* Senarioli, *hoc modo legendi,* καὶ μὴν, τὰ μέν γε τῇ τύχῃ πράσσειν, τὰ δ᾽ ἡμῖν ἀνάγκῃ, καὶ τῇ τέχνῃ. *ut ſit ſenſus, dictum eſt ab* Agathone, *atqui quæ licet fortuna facere, ea adueniunt nobis neceßitate, hoc eſt, induſtria, & arte. & ita ſenſus conuenit ijs, quæ in* Ethicis *dicuntur: ut ibi etiam ſenſus ſit,* Ars *dilexit fortunam, fortuna artem: ſcilicet ex ea parte, quatenus utriq; eadem ſubiecta materies eſt:*

quanquam ars cum ratione faciat, & fortuna ſine ratione. Eſto igitur argumentum, Si caſu quid fit, multò melius arte fieri poterit. Eſt autem eadem materies utriq; ſubiecta: quoniam, ut diximus in primo libro, cùm de fortuna loqueremur, Ea quæ fiunt electione, ſi aliter, & præter intentionem ueniant, fortuna fieri dicuntur: ſi ad uoluntatem ſequuntur, conſultò, & ex arte. Vnde in primo etiam primi de Rhetorica loquens Ariſtoteles, Alios inquit caſu, & temere id facere, alios arte, in qua re ualebit argumentum. Si caſu bene quis dicit, multò melius arte id faciet. Non eſt autem mirum, ſi illud τὰ μὲν interpretamur loco eius ἃ μὲν. Similis modus eſt apud Theocritum, quod animaduertit Lampridius meus, cui lectio Trapezuntij non ſatisfaciebat. Sed eſto, uerba illa τὰ μὲν, ſint, & ſuam retineant ſignificationem, non immutabitur propterea ſenſus. Cùm igitur Hermolaus dicat, Atq; Agatho, Quædam, inquit, facimus caſu, quædam nobis neceßitate, ac arte proueniunt: & ſenſus per ſe clarus erit. De augendis & minuendis rebus dictum eſt in primo libro: nam cùm de maiori, & minori bono dictum ſit, certè patet quòd ad omnia genera ea præcepta poſſunt accommodari. Finis enim ſingulorum generum quoddam bonum eſt: nam utile in delib. honeſtum in demonſt. iuſtũ in iudic. bonum quoddam eſt, quare eadem ratio in omnibus habetur. Superuacaneum uerò eſt, præter hæc quærere aliquid de magnitudine, & exceſſu ſimpliciter, & abſolutè: atq; ea ratio eſt, quoniam ſingularia potiora ſunt ad uſum, quàm uniuerſalia: nos autem quærimus ea, quibus uti commodè ualeamus. Et de ijs in primo libro ſatis loquuti ſumus. Nunc poſtquàm de proprijs generum probationibus dictum eſt, reſtat ut ad communes ueniamus. Communes probationes appellat duas illas machinas, quibus ad probandum rhetores utuntur, ſimili modo cum dialecticis: atq; hæ ſunt Exemplum, & Enthymema;

ma. Nonnulli Sententias addunt: ſed has refert Ariſtoteles ad Enthymemata.

Duo eſſe communium probationum capita, ac primum de Exemplo. CAP. XXXVIII.

NVNC poſtquam de probationibus trium generũ proprijs diximus, reſtat ut ad cõmmune præceptio noſtra ſe uertat. Communium probationũ duo ſunt capita, Exemplum uidelicet, & Enthymema: nam ſententiæ, quas Gnomas uocamus, partes Enthymematis ſunt. Ac primum quidem de Exemplo agamus. Eſt enim Exemplum inductioni ſimilimum: inductio autem initium eſt ad faciendam fidem. Exemplorum duo genera habentur: nam alterum rei geſtæ autoritate: alterum fictæ, & ut geſtæ commemoratione, appoſitioneq; nititur. Huius poſterioris rurſus duæ ſunt ſpecies: altera Parabole, id eſt, Collatio dicitur: altera Apologus: Apologos intelligo quales Lybici ſunt, & qui Aeſopi nomine maximè celebrantur. Sit igitur Exemplũ tale: Controuerſia eſt, aduerſus regem Perſarum ſuſcipienda ſint arma, quibus arceatur Aegypto, nec'ne. Cõtenditur ſuſcipienda eſſe: adducitur ſimile, Darium non antè in Græciam traieciſſe, quàm occuparit Aegyptum: capta Aegypto, traiecit. Traiecturum ergo & modò regem illum, niſi prohibeatur Aegypto. At Collatio, & ea argumentatio, qua eſt plurimum Socrates uſus, hanc ferè habuit uiam: ut, ſi quis dicens, Magiſtratus in ciuitate non eſſe eligendos ſorte, hanc referat ſimilitudinem: Eadem ratione athletas non optimos, & fortiſsimos quoſque ad ſtadium comparandos eſſe, ſed quos alea, urnæ, & caſus extulerit: aut in gubernatore legendo, non peritiam rei naualis, ſed ſortem, & fortunam ſpectari oportere. Apologus huiuſmodi eſt, qualem Aeſopus

ſopus in defenſionem principis cuiuſdam Samij affin=
xit: qualem etiam Steſichorus commentus dicitur, cùm
ab Imereis in conſilio tractaretur, de ſtatuendis ſtipa=
toribus corporis, & cuſtodibus ſalutis Phalaridi, quē
aduerſus hoſtes imperatorem, & ducem exercitus fe=
cerant. Is ubi multa diſſeruiſſet, quibus eam rem diſ=
ſuadebat, ſubdidit fabulam: Equus, inquit, olim pa=
ſcua ſolus obtinebat: inuaſit eam poſſeſsionem ceruus,
ut paſceret, depopulareturq́: incenſus eo dolore e=
quus, cogitabat incommodum ſuum ulciſci. Adit ho=
minem, ut conſulat: eum implorat, ut ſecum ratio=
nem aliquam ineat iniuriæ uindicandæ. At homo, In=
ueni, inquit, illam: Patere addi frænum in os tibi, ego
haſta deſumpta dorſum inſcendam: ita incurremus, &
conficiemus improbiſsimum animal. Approbauit con
ſilium equus, infrænatus eſt, equitem recepit in ſedem:
ita loco ſupplicij de Ceruo ſumendi, abactus eſt ipſe in
ſeruitutem huiuſmodi. Vereor, inquit Imerei, ne dum
conamini ueſtras iniurias perſequi, idem uobis eue=
niat, quod æquo illi. Ac frænum quidem iam inieci=
ſtis uobis, præfecto, & creato imperatore Phalaride.
Quòd ſi cuſtodes etiam ſalutis adhibendos ei cenſetis,
ac dorſo recipitis: non uideo hercule, cur hoc non ſit
ſeruire Phalaridi. Ab Aeſopo quoq; alter Apologus
fertur compoſitus in ea oratione, in qua Sami prima=
rium quendam capitis poſtulatum iudicio defendebat:
Vulpes, inquit, fluuium tranſitura in foueam cecidit,
inde cum egredi non poſſet, longo tempore afflictata
eſt, atq; hirudinibus multis obſeſſa. Errabat illâc for=
te fortuna herinaceus, deſpexit, miſertus eſt: tum in=
terrogat, nunquid ſe uellet: opem, atque operam ſu=
am pollicetur peſsimis animalibus auellendis. Negan=

te illa, ſciſcitatus eſt cauſam. Quia, inquit, hirudines hæ, quæ me habent, iam expletæ ſunt ſanguine, atque depaſtæ, parumq́ amplius hauriunt: quòd ſi abegeris, inanes aliæ, & famelicæ irruent, quæ reliquum mihi ſanguinem ebibent. Idem uobis uiri Samij cenſeo cogitandum eſſe. Hic, quem uos morte mulctandum putatis, nihil uobis officit amplius: iam locupletatus eſt, iam ſatur eſt. Quòd ſi è medio illum ſuſtuleritis, inuadent alij pauperes, qui rem ueſtram publicam depopulabuntur. Sunt igitur Apologi ad popularitatem maximè accommodati: habentq́ utilitatem illam uel exploratiſsimam, quòd facilime ſubeunt, & quaſi ſponte occurrunt, utpote quos ſibi quiſque confingere, & afformare poſsit. At exempla rerum geſtarum nō æquè facilè ſuppetunt. Collationes quoq; ſiue Parabolæ ex ſuo cuiq; arbitrio, atq; ingenio cōponuntur: modo ſimilitudinum ſpecies perſpicere, & annotare calleat: quam ſolertiam ſtudiū philoſophiæ præſtabit. Eſt quidem (ut dixi) facilius ſimilitudinē aliquā dicendo formare, & fingere. Sed ad conſilium dandum efficaciſsima eſt rerum geſtarum admonitio, quia fere ſemper ſolent reſpondere præteritis: atq; exemplis quidem, ſi deſint enthymemata, argumentationum, & demonſtrationum loco utemur: teſtimoniorum uerò, ſi ſuppetunt. Sane in peroratione, id eſt, poſt Enthymematum explanationem, adiungenda erunt exempla: nā cùm ea primo loco ponuntur, uim inductionum habēt. Inductiones non niſi rariſsimæ ab oratoribus adhibentur. At ſi collocantur ſummo, atteſtationis uicem præſtant. Teſtis quocunq; loco adhibitus iuuat. Quāobrem ſi primo ſtatim ingreſſu exempla promuntur, neceſſe eſt ut multa admodum comparata, collectaq́

habeantur:

habeantur: quorũ copia faſtidium præpoſteri ordinis corrigatur. At ſi ultimo loco conſtituuntur, uel unius autoritas ſufficit: nam probus, & integer teſtis, etiam ſi unus eſt, deſiderio ſatisfacit. Quot igitur exemplorum ſpecies haberentur, & quemadmodum, & quando illis eſſet utendum, abſoluimus.

DANIEL BARB.

NVnc poſtquam de probationibus. *Breuiter de exemplo, eiusq; generibus, & modis loquemur: addentes quēadmodum, & quando illis utendum ſit: nam hæc eſt in hoc loco mens Ariſtotelis, Multa diximus in primo libro, quæ repetere ſuperfluum eſt.* Exemplum *eſt inductioni ſimile,* Inductio *eſt principium, ſiquidem ab ea originē trahit exemplum.* Ex*emplorum duo genera ſunt, alterum rei geſtæ ueritatem continet, alterum fictæ commemorationem. Huius duæ ſunt ſpecies,* Collatio, Apologus. *Poſt hanc partitionem Ariſtoteles dat exemplum* Exempli, Collationis, *&* Apologi: *& comparat hæc inter ſe: nanq; Apologum maxime popularem dicit, & quaſi ſponte occurrere, & confingi poſſe:* Exemplum *non eſſe ita in promptu: in* Collatione *fictiones certè ualere, ſed ſimilitudinem maximè requiri. At rerum ſimilitudines agnoſci ab eo, qui ueritatem ignorat, minimè poſſunt: plus enim in hac parte Philoſophia, quàm Rhetorica ualet. Nam inuentio ſimilium facilis erit, ut ait Cicero, ſi quis ſibi omnes res animatas, & inanimatas, mutas, loquentes, feras, & manſuetas, terreſtres, & cœleſtes, & maritimas, & artificio, caſu, natura comparatas, uſitatas, atq; inuſitatas frequenter ante oculos poterit ponere, & ex his aliquam uenari ſimilitudinem, quæ aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos poßit. Non enim res tota toti rei neceſſe eſt ſimilis ſit: ſed ad ipſum, ad quod conferetur, ſimilitudinem habeat oportet, ubi ad ſimilitudinē uerba quoq; habeamus*

habeamus accommodata. Collationis autem exemplum à Cicerone mutuandum eſt. Cicero pro Muræna. Quod ſi è portu ſoluentibus, qui iam ex portu in altum euehuntur, & reliqua. His poſitis, quemadmodum, & quando utendum eſt, exemplis declarat. Vtimur exemplis in genere ſenatorio in primis: hæc ſi deſunt, ad Enthymemata confugiendum: ſi adſunt, tanquam obſides ueritatis adhibeantur, & teſtimoniorum loco ponantur. Sunt autem adiungenda in peroratione. Perorationem aliter hoc loco intelligimus, quàm in tertio: ibi enim orationis extremam ſubaudit partem, hic Epilogum intelligit ſermonem, qui ad alium adiungitur: unde rectè Hermolaus poſt Enthymematum explanationem dixit, Aut igitur ante argumentorum & Enthymematum explanationem ponentur, aut pòſt. Si antè collocantur, inductionem quandam referunt (porrò inductio rarius eſt ab oratore deſumpta) Si pòſt, teſtimoniorum uim obtinent. Teſtis ſemper, & ubiq; iuuat: ſed hoc eſt diſcrimen, quòd numerus exemplorum requiritur, ſi ea primo loco adhibeantur. Diximus enim ea ſic poſita inductionem ſapere, inductio autem ex multis colligit, & comprehendit. Si uerò extremas occupent partes, hoc eſt, poſt Enthymemata ponantur, unum ſatis exemplum erit, probus enim & integer teſtis, etiam ſi unus eſt, deſiderio ſatisfacit. Exemplum autem ſumitur iiſdem de cauſis, quibus ſimilitudo, ut ornet, ut probet, ut apertam, ut ante oculos poſitam rem faciat. In eo tamen certa perſona, & actio certa requiritur, poteſt autem eſſe ſimile, diſsimile, contrarium, & ex maiori: ex minori ductum diſsimile ex ſe plures cauſas habet: fit enim genere, ut ait Fabius, modo, tempore, & loco, cæteriſq;, quæ ferè omnia Cicero præiudicia, quæ de Cluentio uidebantur facta, ſubuertit: multa etiam Fabius in capite de exemplis libro quinto affert ex Cicerone deſumpta.

ter efferuntur. Deinde genus hoc poſterius bifariam ſcinditur, ut aliæ rationis confirmatione non egeant: quia quoquo modo cognitæ à nobis antè, perceptæq́ fuerunt. Vt illud, Meo quidem animo optimum huiuſmodi eſt, incolumem, & ualentem eſſe. Nam hoc plurimis ita uidetur. Aliæ idcirco nullam rationis ſubiectionem requirunt, quòd ſimulatq; efferuntur, apertiſſimæ ſunt, & euidenter ueræ: ut illud, Non dicitur amator eſſe, qui aliquando non diligit. At ſententiarum, quæ cum rationis adiunctione promũtur, aliquæ Enthymematis adhibentur ut partes: cuiuſmodi eſt illa ſuperior, Prudens pater curare debet, ne liberi ſuperuacuam operam ſapientiæ impendant, & reliqua. Aliæ quanquàm ad rationem Enthymematis pertinent, proindeq́ Enthymematicæ appellantur, non ſunt tamen Enthymematum partes: atque hoc genus ſententiæ maximè probatur, celebraturq́: id tale eſt, quoties in ipſa expoſitione ſententiæ ratio dicti identidem quaſi inſeritur, ac ſubinde ſtatim elucet: ut cùm dicitur, Immortalem iracundiam fouere, mortalis noli. Nam immortalem iracundiam eſſe non oportere, ſententia eſt. Sed adiunctio illa, Mortalis, cauſam dicti obiter inculcat. Par eſt huic & illa: Mortalem mortalia, non immortalia ſapere oportere. Ex ĳs, quæ monſtrauimus, facilè intelligi poteſt, quot ſint ſpecies ſententiarum: deinde quales quando interponere conueniat. Nam de re admirabili, id eſt præter opinionem hominum conſtituta: item de re dubia, & controuerſa, ſine ratione ſententiæ non effertur. Ratio porrò dupliciter adĳcitur: nam uel præponitur ita, ut ſententia concluſionis loco utamur, hoc modo: Equidem puto, poſtquàm neq; inuidia obrui, neque marceſſere ignauia expedit, non eſſe dandam ſa-

x pientiæ

pientiæ impenſius operam. Vel ſubijcitur ita, ut ratio concluſionis locum obtineat, hoc modo: Rectè conſulere, qui dandam non eſſe impenſius operam ſapientiæ putant, ne aut inuidia obrui, aut marceſſere ignauia neceſſe ſit. Cæterùm refert dubiæ, obſcuræque ſint, an admirabiles ſententiæ: quòd in dubijs præcepta ratione grauiſsimè & molliſsimè audiunt. Ad hęc Laconica dicta, & quæ uocantur Aenigmata, atque Scirpi, commodiſsimè adhibētur: quale eſt quod apud Locros Steſichorus dixit, Non oportere contumelioſos eſſe, ne cicadæ canant ex humo. Nec ſententiæ tamen feliciter à quocunque dicuntur. Sed id genus prouectis ætate, magno ſucceſſu, ac ſenibus prouenit. Rerum quoque à quibus ſententiæ conſtituuntur, delectus quidam, & ratio quæritur: ut ſcilicet ea duntaxat in ſentētias aſſumantur, quorum quiſque gnarus, peritusque eſt. Profectò quemadmodum indecentiſsimum eſt adoleſcentem in dicendo iudicare, atque præcipere, perindeque ſit hoc ea ætate quenquā audire, qui faciat, quàm qui meras fabulas recitat: ita uani, & imperiti hominis erit, conferre in ſententias ea, quorum nec uſum, nec notitiam tenet. Atque huius rei argumentum illud minimè contemnendum eſt, quòd ruſticos ferè omnes uidemus promptiſsimè ſententias confingere. Ac ſententias quidem interponere, ſimpliciterque efferre quod ſimplex, & uniuerſale nō ſit, in conqueſtionibus, prægrauationibusque maximè conuenit: idque aut initio, aut in calce probationum, & clauſulæ faciendum eſt. Ea quoque quę uulgò recepta ſunt, & quæ communes ſententiæ appellantur, quoties pro cauſa noſtra uidentur, adhibitæ plurimum conferent: cùm enim communes habeantur, tanquam conſenſu gentium confirmatæ, approbantur ab omnibus. Cuiuſmodi uox il-

lius

lius erat, qui ingreſſuros periculum hortabatur, ne ſacrificia,& auguria expectarent: Satis,inquit, bona aui, & auſpicato deſcendit in aciem, qui pro patriæ ſalute deſcendit.Quale item illud,quod de paucioribus,& inferioribus dici ſolet, Communis mars.Item illud, quo monemur, tollendos eſſe liberos inimicorum alioquin inſontes:Deſipere enim qui patre ſublato liberis parcit. Sunt & prouerbia nonnulla ceu ſententiæ quædam, & teſtimonia:ut illud, Atticus aduena. Accidere autẽ nõnunquam ſolet,ut neceſſe ſit contra peruulgatas,& populares ſententias dicere: Populares intelligo: Noſſe ſe ipſum quenq;: Nihil nimiũ cupere. Cæterùm hoc tunc uſu uenit, quoties per eum modum conſtantior, & moratior uideri poteſt oratio. Aut quoties per aliquam animi commotionem impugnatio illa quaſi conceditur. Per commotionem hoc modo:ut ſi quis ira percitus ſalſum eſſe tritum illud dicat,Noſſe ſe ipſum quenq;.Nam ſi hic, inquit,iudices,ſeipſum nouiſſet, magiſtratum petere non fuiſſet auſus.Moratior oratio hoc modo uidebitur eſſe,ſi quis contra illud Biantis dicat,Non eſſe uiri grauis,& integri, ad eam finem amare,tanquam forte fortuna oſurum: ſed contrà potius eatenus odiſſe, tanquam fortaſſe pòſt amaturum. Sanè utile eſt, quoties ſententias refellimus uoluntatem noſtram habitu ipſo orationis, & actione, ſi fieri poteſt, ſignificare: ſin minus, ſubiectione rationis, hoc modo: Viri boni eſt non ea fine diligere, ut quidam perhibent, ut oſurus ſit aliquando:ſed quaſi ſemper amicitiam eius,quem diligit,ſecuturus. Alioquin amare nihil aliud fuerit, quàm inſidiari.Aut hoc modo: Non probatur mihi,quod circunfertur à multis: ſiquidem uerum amicum accipio, qui ita amet,tanquam amaturus ſemper:nec illud,ut ni-

hil nimis: quandoquidem uir ſaltem malus ſatis odio haberi non poteſt. Habent uerò ſententiæ tales in oratione magnam utilitatem, & uim. Primùm, quòd illis auditores potiſsimùm capiuntur, & fauent. Etenim mirificè delectantur omnes, quoties quis in aliquam ſententiam incidit, eamq; tanquam indubitatam, & uniuerſam pronuntiat: quam illi, qui audiunt, particulatim tenebant. Quod quidem quemadmodum intelligatur, ſimulq; qua ratione ſententijs allicere, ac ducere animos iudicum poſsimus, liquebit hinc. Sententia, ut ſuprà præſcripto noſtro monſtrauimus, uox prorſus quædam, atq; oratio uniuerſalis eſt: quod uerò uniuerſaliter, & abſolutè profertur, proculdubio grate accipitur ab ijs, qui id pro parte uerum eſſe arbitrabantur. Exempli gratia: Cùm quis uicinos aut liberos malos, & moleſtos habet, libentiſsimè audit, qui dicat, Nihil eſſe uicinia grauius: Nihil ſtultius ſtudio ſobolis procreandę. Quamobrem perpendere animo, & conijcere prius oportet, quo doleat, quò ſpectet quiſq;, quid ſentiat: ita deinde aſſumere ſententias eorum in cauſam, eaſq; ſimpliciter, & in uniuerſum efferre: Atque hæc eſt utilitas una, quæ ex ſententiarum interpoſitione reponitur. Eſt & ſecunda, uel potior, quod moratam, & grauem orationem facit. Porrò Morata oratio eſt, quæ ſenſu quodam, ac ratione dicendi quaſi mores oratoris effingit. Atq; hoc omnes ſentētię præſtāt: propterea quòd is, qui ſentētiam aliquā infert, in uniuerſum de rebus illis enunciat, quę optari, & perſequi ſolēt in uita. Quò fit, ut ſi bonæ, moratęq; ſunt, ipſi quoq;, qui dicūt, bene morati, & boni uiri eſſe uideātur. Quid eſſet ſententia, & quot eius genera haberentur, & quēadmodum tractare illas oporteat, & quę eius rei utilitas uideretur, dictum ſatis puto.

DANIEL BARB.

NVnc de ſententiarum appoſitione tractandum. *Proponit quid acturus eſt. Inde ſententiam definit, & ex eius definitione declarat ea, quæ propoſuit, ſcilicet quibus de rebus, & quando, & quibus hominibus aſſumenda ſit auto ritas ſententiarum. Mox diuidit eas in duo genera, & in quaternas ſpecies. Aut enim ſimpliciter profertur, aut cum adiectione rationis. Simpliciter profertur, & breuiter, quæ nihil habet arduum, & admirabile. Cum rationis adiectione profertur, quæ demonſtrationem requirit. Simplex ſententia duas habet partes: aut enim quia quoque antè perſpecta eſt nobis, non indiget approbatione, aut quia euidentiſsima, & uera eſt. Adiuncta ſententia aut eſt Enthymematis pars, aut Enthymematica dicitur. Enthymematis pars eſt ea, qua poſita ratio adiungitur. Enthymematica dicitur illa, in cuius expoſitione ratio dicti inſerta eſt. Ratio adiungitur, uel ante ſententiam, uel poſtquàm ſententiam attuleris: illam initium, hanc clauſulam Enthymematis dicunt. His declaratis, de rebus, temporibus, & perſonis agit, in quibus ſententiarum uis eſt collocata: mox de ſententiarum utilitate loquitur. & ita claudit hunc ſermonem. Sententiam, quæ γνώμη Græcè dicitur, ueteres teſte Fabio quod animo ſenſiſſent uocauerunt: interdum pro decreto ſumitur, cùm à iudice latam ſententiam dicimus. Hoc tamen loco ſententia eſt oratio ſumpta de uita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in uita breuiter oſtendit: de qua hic loquutus eſt Ariſtoteles: hæc conſilijs, & ſecretis ſimilis eſt. Hæc Fabius, & alia libro octauo cap. de Sententiarum generibus.*

Qua ratione Enthymemata quærantur.

CAPVT XL.

NVNC de Enthymematis primùm, ſed in uniuerſum agemus, qua ratione quærantur: deinde

ingrediemur tractatum locorum. Eſt enim utriuſq; rei ratio planè diuerſa. Enthymema eſſe ſyllogiſmum quendam, dictum eſt ſuprà: pariter & quemadmodum ſyllogiſmus ſit, & quid à Dialectico differat, explicatum, & demonſtratum eſt. Sanè ratiocinatio omnis conſtituenda eſt, ita ut res, nec longè petitæ, accerſitęq; uideantur, nec ſine delectu paſsim aſſumptæ: nam alterum ob prolixitatem offundet rationibus tenebras: alterum ob nimiam claritatem uanum, & garrulum oratorem oſtendet. Hinc plerunq; illa opinio ſequitur, ut in turba probabilius dicere uideantur indocti, quàm docti: quod quidem & Poëtæ intellexerunt, dum affirmant, uideri uulgo imperitos fortius, & concinnius dicere. Illi communia, & uniuerſalia duntaxat ſectantur. Periti uerò ex ijs, quæ ſciunt, etiam proxima eliciunt. Quamobrem non omnia, ut quiſq; ſenſus, & argumẽtum occurrit, afferenda ſunt: ſed certa quædam, & cognita ijs, qui iudicaturi ſunt, uel ijs, quos nobis quoquo modo auditores conſtituimus. Ea uerò, quæ nobis probãtur, tunc demum dicenda, aſſumendaq; ſunt, cùm uel omnibus, uel pluribus ita uidẽtur, ut nobis. Nec ſolùm ex ijs, quæ aliter fieri nõ poſſunt, ſed etiam ex ijs, quæ ferè fieri ſolent, argumentatio ſumitur. Primùm itaq; ſcire oportet, neceſſariũ eſſe, ut is, qui de aliqua re dicturus, ratiocinaturus'ue eſt, ſiue id ad ciuile negotium pertinet, ſiue ad quoduis aliud genus, ut eas res, quæ ad demonſtrationem illam, & probationem ſpectabunt, aut omnes, aut aliquas teneat: nam ſi nullam tenuerit, quî fieri poteſt, ut aliquid efficiat de nihilo? uerbi gratia: Quonam modo conſilium Athenienſibus dederit, ſuſcipiendum ſit bellum, an ſecus, ſi quales, quantæq; ſint uires eorum: mari, an terra, an utroq; genere polleant: ſi

quanti

quanti prouentus ciuitatis habeantur, ſi quibus ſocijs, quibuſcum hoſtibus, ſit ineundum bellum, ignorat? Deinde quæ bella, quo euentu, qua ratione, quo conſilio geſſerint: & cætera id genus, quibus (ut dixi) ignoratis, ſententia de bello exponi non poteſt. Eodem modo nemo laudauerit Athenienſes, ſi duas clariſsimas uictorias apud Salamina, & Marathonem, ſi magna illa, atq; inſignia pro genere Heraclidarum facta, ſi reliqua eius urbis præclara monumenta commemorare neſcierit: Omnis enim laudatio, uituperatioq́;, ex ijs rebus conſtat, & dicitur, quæ inſunt, aut uidentur ineſſe ijs, de quibus dicendum eſt: laus ex bonis, uituperatio ex contrarijs. Hoc modo, Athenienſes Græciam in ſeruitutem egerunt, & Aeginetas, Potideataſq;, qui cõtra Barbaros bello ſociali fortiſsimè pro cõmuni libertate pugnauerant, parere ſibi compulerũt. Et cętera huiuſmodi, ſi qua eius ciuitatis errata feruntur. Eodẽ modo, qui in iudicio accuſant, aut defendunt, ex ijs, quæ habentur, accuſationem, & defenſionem inſtituunt. Planè nihil intereſt, de Athenienſibus excẽplum ſit ſumptum, an de Lacedęmonijs: de homine aliquo, an de Deo: eſt enim ubiq; ratio, ac præceptio eadem. Nam & qui Achilli ſuaſurus, aut diſſuaſurus eſt aliquid: & qui eius laudes, aut uitia demonſtraturus, & qui accuſaturus, aut defenſurus illum acceſſerit: procul dubio ea conquireret, quæ in eo uiro aut ineſſent, aut uiderentur ineſſe. Compertis illis, ſi honeſta, aut turpia fuerint, laudaturus, culpaturus'ue: ſi iuſta, aut iniuſta, accuſaturus, defenſurus'ue: ſi utilia, aut inutilia, conſilium ſuadendo, aut diſſuadendo daturus eſt. Eadem obſeruatio cuſtodienda eſt, quoties de rebus ipſis agitur, citra complexum perſonarum. Vt ſi quæſtio illa ſit, Bonum ſit iuſtitia, an non bonum: utram

partem defenderis, illam ex ijs, quæ ineſſe in iuſtitia uidebuntur, confirmare oportebit. Atq; hoc, quod dico totum, partim teſtimonio, partim ratione comprobatur. Teſtimonio, quòd tam periti, quàm imperiti, hoc eſt, & qui rationem argumentandi exquiſitè, accurateq; tenent, & qui eam leuiter, & negligenter attingunt, in omni ſermone ea præcipuè intuentur, quæ rei, aut perſonę, de qua dicunt, arbitrantur ineſſe: quòd non facilè quiſpiam uiderit, extra hanc, uiam aliam demonſtrandi ea, quæ uolumus. Quamobrem apertè conſtat hoc loco, quod in Topicis dicimus, oportere ei, qui dicit, earum rerum quæ haberi poſſunt, quęq; ad cauſam utiles, peropportunęq; ſunt, conſtare electionem, & modum. Eodem pacto neceſſe eſt, & proximè facta aſſumantur, non ut incerta quęq;, & infinita ſequare: ſed ut ea duntaxat, quæ pertinere uidentur ad cauſam. Præterea deſcribere plurima, & quàm fieri poteſt affinia, & propinqua rei, quam dicamus. Nam quò plura afferuntur ex ijs, quæ in re inſunt, eò facilius omnia demonſtrantur: Et quò propriora, & coniunctiora rei, quam dicimus, uidentur, & accommodatiora, & minus communia intelliguntur. Communia ſunt, ut ſi quis Achillem laudet, quòd homo, quòd ſemideus fuit, quòd cum cæteris Græcis Ilium uenerit, quæ omnia plurimis contigerunt. Quò fieri, ut qui ita Achillem laudauerit, non magis Achillem, quàm Diomedem laudare uoluiſſe uideatur. Propria uerò ſunt illa, quæ præter Achillem nemo unquam conſecutus ſit: Quòd Hectorem interfecerit, qui fortiſsimus Ilienſium habebatur. Quòd Cygnum ſuſtulerit, qui quòd inuulnerabilis eſſet, Græcos omnes unus arceret à littore. Quòd uenerit adoleſcentulus in bellum. Quòd nõ ut cæteri iureiurando adactus,

ſed ſponte, & uoluntarius militiam ſubierit, & reliqua ad hoc exemplũ. Atq; hic unus, ac primus eſt locus, quo continetur electionis modus.

De locis Enthymematum, deq; duobus Enthymematum generibus. CAP. XLI.

NVNC elementa Enthymematum excutiamus. Elementa ſunt loci. Ac primùm de illis agamus, quorum prior eſt ratio. Nam duo habẽtur genera Enthymematum: Alterum, quod rem eſſe, aut non eſſe, demonſtrat, appellatum eſt Dicticon: Alterum, quod pugnantia deprehendit, Elencticon. Differuntq; inter ſeſe ea, quantum ij, quos Dialectici Elenchos, & Syllogiſmos uocant. Dicticon nititur ex planè confeſsis: Elencticon, ex pugnantibus, & non confeſsis. Eſt quidem ſuperius à nobis habita de locis omnibus mentio, qui ex unoquoq; genere rerum utiles, & neceſſarij haberentur. Nam propoſitiones, ex quibus ad ſingulas partes dicendi enthymemata elicerentur, de bono, de malo, de honeſto, de turpi, de iuſto, de iniuſto, præterea quales ex affectibus, & motibus animi ducerentur, ferè omnes à nobis prius expoſitæ, & diſquiſitæ fuerunt. Nunc iterum quidem de locis omnibus, ſed in alium modum dicemus: ita ut penes illam duplicis Enthymematis diuiſionem, duplex etiam ordo locorum ſignificetur. Alter eorum, qui ad demonſtrandum, alter eorum, qui ad deprehẽdendum, & coarguendum idonei habeantur. Sed & illos quoque indicabimus, ex quibus mentita Enthymemata peti ſolent. Dixi Mentita, quoniam Enthymemata omnino non ſunt, quando nec ſyllogiſmi, ſed uidentur eſſe duntaxat. His expoſitis rationem inſtandi, obijciendiq;, & diſſoluendi ſubiũgemus, unde Enthymematum aculei excitentur.

De ſedibus ac domiciliis Enthymematum, rem eſſe, aut non eſſe demonſtrantium. CAP. XLII.

AC LOCVS quidem unus ex contrarijs cõſtat, atq; is ad demonſtratiuam argumentationẽ, hoc eſt, Dicticã pertinet. In eo ſpectabitur, an contrario contraria inſint: ſi nõ inſunt, ut deſtruas: ſi inſunt, ut aſtruas: hoc modo, Frugalitas bonum, luxuria enim malũ. Itẽ illud in Meſenniaco, Si malorum cauſa bellum eſt, erit emendatio pax. Si ueniam meretur, qui imprudens nocuit, non meretur præmium, qui imprudens profuit. Si creduntur ſæpe falſa quæ ſunt, euenire etiam putandum eſt, ut non credantur interim uera. Eſt & ex ſimilibus caſibus locus, id eſt, à coniugatis, quotiens ſimiliter aut eſſe, aut non eſſe, uidentur ea, quæ afferuntur: ut ſi dicat, Non omne iuſtum etiam bonum eſſe, alioquin bonum ſit, quicquid iuſtè factum diceretur: at iuſtè mori optabile nemini eſt. Habetur & locus is, qui ex rebus mutuam confirmationem præſtantibus, & ſub eandem rationem uenientibus ducitur. Si huic iuſtum eſt facere, illi iuſtum eſt perpeti: ſi iubere uobis honeſtum eſt, & mihi honeſtum eſt exequi. Cuiuſmodi fuit & illud à Diomedonte publicano dictum, Si uobis locare turpe non eſt, nec Diomedonti conducere. Si tu iuſtè & honeſtè ſupplicio es affectus, ego iuſtè & honeſtè ſupplicio te affeci. Contrà quoq; ſi retro agas, ualebit: Si ego iuſtè & honeſtè id facere potui, & tu iuſtè & honeſtè id perpeti uideris. Quanquàm non me fugit, in ea ratione cauillationem interdum incurrere. Quamuis enim ſequatur, ut qui iure cæſus eſt, iuſtè etiam ſupplicio ſit affectus: non tamen id mihi efficis, ut abs te illud iure factum eſſe uideatur. Quamobrem ſeorſum conſiderare duo illa oportet, an qui læſus dicitur, iure ſit

læſus: deinde, an licuerit ei, qui læſit: demum ita ingredi locum illum, prout cauſæ congruere, & conuenire uidebitur. Nihil ſiquidem uetat, quin duo illa diſsidere aliquando poſsint, ut eſt in Alcmæone apud Theodectum, Matrem tuam mortalium quis non oderat? Cui ille reſpondens, Sed diducendum eſt, inquit. Cùm Amphesibea interrogaſſet, Quomodo? Illam, inquit, mortis quidem damnarunt: à me uerò non oportuit, mater quæ fuiſſet, occidi. Par iudicium fuit & illud, quod de Demoſthene, & ijs, qui Nicanora interfecerunt, conſtitutum fertur. Num cum iudicatum eſſet illos iuſtè interfeciſſe, continuò ſecutum eſt, ut Nicanor iure cæſus intelligeretur. Similis ratio in eum ualuit, qui occiſus eſt Thebis. Cùm enim ad iudices ea res eſſet perlata, in eo uerſari iuſſus eſt cardo quæſtionis illius, ut æſtimaretur, an is qui eſſet occiſus, dignus fuiſſet mori, quaſi non eſſet iniuſtum occidere hominem, qui quoquomodo poſſet iure cæſus uideri. Appoſitè & comparatiua dicimus, quæ minora ex maioribus, maiora ex minoribus confirmant. Ex maiore, Si ne Dij quidem omnes ſciunt, homines quî ſcient? Atq; hoc ita exponitur: Si quod magis debuit eſſe, non eſt: quod minus debuit, quî fieri poteſt, ut ſit? Ex minore, Veraturum omnes, qui patrem cędit. Nam ſi quod minus debuit fieri, fit: quod magis debuit, cur non fiet? Quare utram partem oſtendere libeat, ſiue eſſe, fieriue: ſiue non eſſe, aut non fieri defendas: ex ijs locis ratio, & facultas ſuppetet. Habetur & locus à pari, quotiens nec magis, nec minus quippiam conuenit, ut illud: Erit tuus pater liberis amiſsis infelix, ac miſer: Oeneus non erit, qui filium tota Græcia clariſsimum amiſit? Si Theſeus iniuriam non fecit, nec Alexander fecit.

Si ne

Si ne Tyndaridæ, utiq; nec Alexander. Si Patroclum Hector, & Achillem Alexander. Si cæteri artifices mali non ſunt, nec Philoſophi. Si Duces non ideo mali habentur, quòd interim ſuperātur: cur Sophiſtæ male audiūt, ſi aliquādo falluntur? Si priuatus debet curam ueſtræ exiſtimationis habere: æquū eſt ut uos Græciæ uniuerſæ habeatis. Sumitur & locus per conſideratione collatam ad tempus, ut eſt illud Iphicratis, Si, inquit, Harmodius priuſquam periculū ingrederetur, ſtatuas ſibi publice poni pro cæde Tyrānorū uoluiſſet, procul dubio conditionē illā libētiſsime accepiſſetis: nūc cùm ſecuta res eſt, non ponetis? Obſecro uiri Athenicſes nolite cōmittere, ut quod illi antequam beneficium cōferret in uos, repromiſſuri alacriter fuiſſetis: nunc poſtquā cōtulit, intercipere, atq; eripere uideamini. Idem fere exemplum in ea cōtrouerſia ducitur, An Thebani Philippū in Atticam tranſire cū exercitu ſint paſſuri: Si prius, inquit, quàm Thebanis auxilium Philippus rex mitteret contra Phocenſes, tranſitū in Atticā ſibi cauiſſet, non'ne recepiſſent Thebani? Abſurdum igitur fuerit, propterea quòd neglexit accipere, quodq; cauſa rem in fidem eorum, & beneficij conſcientiam contulit, dubitare tranſitum ei intercluſuros. Solet & locus ille interim afferri, quo ea, quæ contra nos dicta ſunt, per reiectionē in eum, qui dixit, eludimus. Plane genus hoc plurimum habet honeſtatis, & gratiæ: eoq; in Teucro uſus eſt Iphicrates: qui, cùm Ariſtophontem, quo accuſante proditæ hoſtibus claſsis reus agebatur, interrogaſſet, an is accepta pecunia rempublicam proditurus eſſet: iſq; id negaſſet: Quod igitur, inquit, Ariſtophon non feciſſet, Iphicrates fecit. Sane defenſio illa potentiſsima fuerit, quoties is, qui accuſat, facilius uidetur deſcen-

ſurus

ſurus in ſcelus, quàm is, qui accuſatur. Alioquin ridiculus habeatur, qui contra Ariſtidem tueri eo modo ſe uelit. Cæterùm ad refellendam, retundendamq́; aciem criminationis, & ad detrahendam accuſatori fidem, qui ſemper fingitur eſſe melior, & innocentior reo, magnopere adiuuabit hic locus. In uniuerſum uerò plurimum ualebit adhibitus, quotiens quis inſimulat alios earum rerum, quas nec facit ipſe, nec faceret, aut quotiens perſuadere uult alijs ea, quæ nec ſequitur ipſe, nec ſequeretur. Ducuntur etiam argumenta ex finitione, ſeu fine, hoc modo: Dæmonium nihil aliud poteſt eſſe, quàm Deus, uel Dei opus, atqui arbitratur Dei opus eſſe, neceſſe eſt Deos eſſe concedat. Item Iphicrates, Generoſiſsimus, inquit, habetur, qui optimus, & fortiſsimus eſt: nam Harmodius, & Ariſtogito non antè generoſi habebantur, quàm magnum aliquod, atq; illuſtre uirtutis, & generoſi animi monumentum, exemplumq́; poſteris ederent. Item illud, Coniunctior neceſsitudine Harmodio, & Ariſtogitoni ſum, quàm tu: nam facta mea rebus geſtis illorum propiora ſunt, & cognatiora, quàm tua. Item illud in Alexandro: Vtiq; diffitebitur nemo, impurum hominem unius corporis uoluptate contentum eſſe non poſſe. Item id, quod Socrates dixit: Propterea nolle ſe ad Archelaum proficiſci, quoniam dedecus, & contumelia eſſet, iniurias acceptas perinde non ulciſci, ut beneficij gratiam referre non poſſet. Omnes hi, unde exempla poſuimus, accepta finitione, quid ſit quo de agitur, per ratiocinationem concludunt ea, quæ dicunt. Fertur & locus ille, qui ex multiplici ſignificantia uenit, ut in Topicis habetur, de eo, quod recte fieri dicitur. Eſt & locus ex

partitione,

partitione, Omnes lædunt aliqua cauſarum trium: aut hac,aut illa,aut illa:prioribus duabus non poſſunt, tertia ne aduerſarius quidem concedit. Cōſtituitur & per inductionem locus,cuiuſmodi eſt ex Peparethia ille,Filios ubiq; potiſsimum matres agnoſcunt: nam tum Athenis Mantiam oratorem de filio ambigentem confirmauit mater: tum Thebis,cùm inter Stilbontem, & Iſmeniam de filio cōtrouerſia haberetur, Dodonis uxor filiū declarauit Iſmeniæ: eiusq; teſtimonio iudices cùm ſtetiſſent, pronunciauerunt ut Thetaliſcus Iſmeniæ exhiberetur. Simile quidem ex lege Theodecti ſumitur, Si ijs, qui alienos equos negligenter habent, ſuorum cura committenda non eſt: Si ij,qui alienas naues euertunt, ſuis præficiendi non ſunt: ſi poſtremò in rebus omnibus eadē ratio ualet, reliquū eſt ut ijs ſalus ſua male credatur,qui alienā tueri non poſſunt.Idem eſt,quod Alcidamus dixit, Ab omnibus,inquit, ſapientes quoquomodo coluntur, honoranturq;: à Parijs Archilochus,quanquàm gnaris ſeſe ab eo maledictis, cōuitijsq; proſciſſos,& infamatos fuiſſe: à Chijs Homerus, etiam non ciuis: à Mitylenæis Sappho,tametſi fœmina: Lacedæmonij,qui à ſtudio literarū, uel maxime ſunt abhorrentes,Chilonē in ſenes (ſic enim conſilium publicū appellant)receperunt: Itali Pythagoram ſummis honoribus affecere: Lampſaceni funus Anaxagoræ hoſpitis maxima celebritate proſecuti ſunt, hodieq; etiamnum memoriam eius hominis maximè uenerantur: Lacedæmoniorum,ut Athenienſium reſpublicæ,quouſq; Solonis hæc,Lycurgi illa inſtitutis eſt uſa, felices, ac perbeatæ fuerunt: apud Thebanos,qui remp. adminiſtrarent, Philoſophi appellabantur, atq; ob eam rem, ea ciuitas floruit. Sumitur & è re iudicata locus, quotiēs aut i-

dem,

dem,aut ſimile,aut contrariũ aliquid iudicatum oſtenditur. Eſt autem in eo genere ita uerſandum, ut eam rẽ, quam defendimus, demonſtremus ita ſemper uiſam omnibus fuiſſe, uel plurimis. Itẽ ſapientibus, ijsq; uel omnibus,uel maiori ex parte.Itẽ bonis,& præſtantibus uiris.Itẽ illis ipſis, qui nunc cognoſcunt, & iudicãt: aut ijs, quorũ illi autoritatẽ ſequuntur:aut à quibus diſſentire non poſſunt,quales ſunt domini, uel tyrãni:aut ijs, quorum ſententiæ aduerſari nefas eſt, quales habentur Dij,parentes,præceptores. Ita'ne uenerandis illis ultricibus, ut inquit Autocles, ſatis eſt nocentes luere in Ariopago pœnas,Miximedæ non ſat erit?Item Sappho, Malum, inquit, eſt mors, quippe hoc ita eſſe adiudicarunt Dij:alioquin ipſi non detrectaſſent mori. Item Ariſtippus Platonem taxaturus, quem profeſsione literarum paulo indulgentiorem ſibi, ac perinde in eo genere immodicum putabat: Socius, inquit, noſter nihil ſolebat huiuſmodi. quod quidem de Socrate uolebat intelligi. Aegeſippus quoq; cùm reſponſum à Ioue Olympio accepiſſet,conſulturus Apollinem profectus eſt Delphos,ibi Deum interrogaſſe perhibetur, an probaret ea,quæ uiſa patri fuiſſent: quaſi turpe filio intelligeretur, ſentire contrà, quàm pater reſpondiſſet. Iſocrates cultiſsimam, & uirtutibus præditam fuiſſe Helenam probat,argumẽto quòd ita Theſeus exiſtimaſſet. Idem de Alexandro contendit, quòd illum Dij iudicio præfeciſſent. Idem orator teſtimonio, & facto Cononis probitates Euagoræ commendauit, quòd is rebus fractis, atq; omni præſidio deſtitutus, neglectis alijs ad unum Euagoram confugiſſet. Eruitur locus à partibus,ut in Topicis,Qualis motus eſt animæ, nempe aut hic,aut ille. Eius rationis exẽplum legitur apud Theodectum

dectum in Socrate: Quæ ſacra, quæ templa neglexit? Quos deos, quæ numina contempſit? ex ijs, quæ ciuitas hæc ueneratur, & colit? Ex ijs quoq;, quæ maiori ex parte, ac uelut propenſius accidunt, ſumitur locus, isq; ita tractatur, ut expoſitis quæ in ea re cæteris euenire plurimum ſolent, per aliquid quod perinde ſiue cōmodum, ſiue incommodum uideatur conſequi, deterreamus, hortemur, incuſemus, defendamus, commendemus, uituperemus: hoc modo: Ii, qui dant operam literis, malū inuidiæ ſubeunt, bonum ſapientiæ conſequuntur: Non oportet dare operam literis, quia inuidiā ſubire non expedit: Oportet dare operam literis, quia expedit ſapientem eſſe. Hac uia ferè conſtat uniuerſum artificium Calippi, præterea argumentis illis, quæ de eo, quod fieri poteſt, ſumuntur: & cæteris, quæ nobis demonſtrata ſunt ſuprà. Ab hoc proximus locus eſt, cùm duo ponuntur inter ſe contraria, quibus ſuadere, diſſuadereue aliquid uolumus, ut in utroq; ratione utamur ea, quam modo in ſuperiore illo monſtrauimus. Ac diſtat quidem locus hic ab illo, quòd ibi forte oblata, incurrentiaq;, hic ſolùm contraria opponuntur hoc modo: Sacra quædam mulier filium à reip. adminiſtratione & conſilijs deterrebat: Si iuſta, inquit, & honeſta ſuaſeris, infenſus eris hominibus: ſi iniuſta, Dijs. Retrorſum quoq; ſi agatur ratio, ualebit: Si iuſta ſuaſero, Dijs placebo: ſi iniuſta, hominibus blandiar. Atq; hoc ſimile eſt illi trito, Oleū, & ſalem emendum. Eſt & Cōmutatio locus nō planè diſsimilis, quotiens duobus propoſitis cōtrarijs, ex utroq; cōmodum aliquod, & incommodum ſequitur, quorum alterum alteri contrarium eſſe uideatur. Eſt & locus ille non in poſtremis habendus, quoties diuerſa ſunt, quæ publicè com-

mendentur

mendentur ab ijs, quæ priuatim placent. Iuſta quidem, & honeſta quæ ſunt, palàm, atque apertè laudamus, occultè probantur utilia, ex ijs alterum ut colligatur, uidendum. Atqui hic locus inter eos, qui præter opinionem hominum habentur, ferè potentiſsimus fuerit. Ducitur & locus ex ijs, quæ inter ſe proportione reſpondent: ut Iphicrates, cùm filium eius, magnum quidem corpore, ſed ætate puerum, agnoſcere munia, atq; onera ciuitatis præfecti eius rei cogerent, Si magnos, inquit, pueros exiſtimatis uiros eſſe, utique neceſſe eſt, ut uiros paruos pueros eſſe decernatis. Item Theodectes in lege, Si tributarios, inquit, ueſtros quoties probi, ęquique ſunt, in ciuitate recipitis, quod in Strabace, & Charidemo feciſtis: non uideo cur non expellere, atq; in exilium agere debeatis eos, qui in tributis graues, & acerbas exactiones exercent. Alius porrò locus, ut ſi duorum, quæ proponuntur, utrumlibet electum idem efficiat, ipſa quoque duo illa, quæ præponuntur eodem iure cenſeantur. Par, inquit Xenophanes, impietas eſt eorum, qui naſci deos autumant, & eorum qui interim illos deficere arbitrātur: nam ex utroq; ſequitur, aliquando Deos non eſſe. Prorſus id quod utraq; propoſitione conſequitur, accipiatur ceu planè idem: Iudiciū, inquit, hoc iudices non de Socrate, ſed de profeſsione conſtitutum eſt, an ſit omnino philoſophandum. Item, quid eſt cedere mari & terræ aliud, quàm parēre? Item, cōdeſcendere in communem pacem, eſt leges accipere ſeruitutis. Eſt autem ſumendum alterutrum, utiq; id, quod utile uideatur eſſe. Conſtat locus etiam ex eo, quod ijdem homines non eadem olim quę nunc, ſed contraria interim ſequūtur: ut hoc Enthymemate, Si exules cùm eſſemus, pugnauimus, ut redire poſſemus in patriā: reuerſi poſt-

quàm ſumus, ultrò in exilium ibimus, ne pugnemus? Ex quo intelligitur eos, qui alio tempore pugnandum eſſe cenſuerunt, ut manere poſſent in ciuitate, aliò relinquendam ciuitatem putaſſe, ne pugnarent. Arguitur & ex illo loco, cùm dicimus alicuius rei gratia factum fuiſſe aliquid, quod tamen ad eum uſum, ob eam cauſam nõ ſit factum: ut ſi quis det alteri quippiam, ut ille expoliatus demum ea re, uehementius doleret: unde ortũ eſt, Nonnullos Deus tollit ſecundis rebus, non ex animi affectu, ſed ut illuſtrius ruinæ ſpectentur. Item illud Antiphontis in Meleagro, Exiere, inquit, non ut conficerent feram: ſed ut in Gręcia eſſent Meleagro uirtutis, & probitatis teſtes. Item illud Theodectæ in Aiace: Prætulit, inquit, Diomedes Vlyſſem, non honoris gratia, ſed ut is, qui ſecundas tuliſſet, quiq; præteritus eſſet, minor eſſe per eam inuidiam uideretur. Et ſanè poterat eo conſilio facere. Planè & in iudicijs, & in conſilijs communis locus eſt, conſiderare quibus rebus ſuaderi, diſſuaderiq; poſsit: quæ cauſæ homines ad agendum, ad fugiendum impellant. Sunt enim quædam res, quæ ſi habentur, ſequitur, ut ij, qui habent, continuò etiam feciſſe uideantur, ut ſi commoditas, ſi facultas affuiſſe, ſi utile illis, aut amicis illorum, inimicis inutile, & noxium fuiſſe dicatur, ſi iactura quæ forte ſuſcepta eſt, minor emolumento eſſe monſtretur. Iis rebus ſuadetur, ijſdem diſſuadetur in diuerſum actis. Iiſdem etiam defenditur, accuſatur. Nam ea, quibus diſſuadetur, ad defenſionem: ea uerò, quibus ſuadetur, ad accuſationem conferri, accommodariq; poſſunt. Atque hæc una ferè uia, ratioq; uniuerſam illam Pamphili, & Calippi inſtitutionem de arte complectitur. Deinceps eſt locus ex rebus, quę tametſi fieri uideantur, tamen incredibilia ſunt: quia ſi non

eſſent,

eſſent, aut ſi proximè ſub oculos non uenirent, nec fieri quidem poſſe iudicarentur, & quàm maxime. Nam omnia quæ uidentur, aut creduntur hominibus, ſub alterum genus rerum cadunt: uel earum quæ ueræ ſunt, uel earum quæ ueroſimiles, probabilesq́ue habētur. Si quid ergo eiuſmodi creditur, quod incredibile & minimè cōſentaneum uideatur, id uerè eſſe neceſſe eſt. Nec enim quæcunq; creduntur, ea continuò uériſimilia etiam, & conſentanea oportet eſſe. Eius argumēti forma talis eſt: Androcles Pittheus, quum in legem quādam inuectus dixiſſet, Legem lege corrigendam eſſe: propterea'que quaſi exibilaretur: At, inquit, piſces cōduntur, & emendantur ſale: atqui ſubabſurdum ſit, qui ſalſugine alantur maris: & baccæ itidem oliuarum oleo, quo aſſeruentur egent, cùm tamen oleum exiſtat è baccis.

De coarguentium argumentorum locis. CAP. XLII.

PROXIMI ſunt loci quibus argumenta illa coarguentia, hoc eſt, Elenctica ſuppeditantur, ijs repugnantia, & non confeſſa cōtinentur. Ea interim ex perſona aduerſarij ſumimus, quum eius facta, dicta'ue aliqua, alio tempore diuerſa, & pugnātia eſſe oſtendimus, hoc modo: Deinde, inquit, affirmat hic iudices amare Rempublicam, quem conſtat cum triginta ſenſiſſe. Aliquando ex noſtra perſona, hoc modo: Litigioſum me, atq; cōtentioſum appellas, deinde nullum iudicium potes oſtendere, in quo unquam mihi cum aliquo lis ulla, aut controuerſia fuerit. Aliquando ex noſtra ſimul, aduerſarijq́ue perſona per collationem, hoc modo: Hic pecunijs ſuis plane, uel mutuo, neminem iuuit: ego plurimos ueſtrum meis opibus ſubleuaui gratis. Subiungitur & locus ille, quo ſuſpicio, quæ aut in homines, aut in res aliquas uenerit, per cauſæ aſsignationem eliditur:

ſubeſt enim ratio ſemper aliqua, quæ ſuſpitiones illas creaſſe uideatur: ut cùm ea, quæ filium deoſculabatur, conſueſcere cum adoleſente crederetur. Explicatio cauſæ infamiam eius ſceleris diſcuſsit, & ſuſtulit. Item Vlyxes apud Theodecten exponit rationem, propter quam non uideatur fortior Aiace, cùm tamen ſit. Efficitur & locus ex cauſis: ut ſi cauſa ſit, ſit & res cuius eſt cauſa: ſi non ſit hæc, utiq; nec illa. Simul enim ſunt & cauſa, & quæ proficiſcuntur à cauſis, ſine cauſa prorſus nihil eſt. Leodamas à Thraſibulo accuſatus, quòd arcem obtinuiſſet, diſſoluit accuſationē hoc modo: Eram quidem in arce conſtitutus iudices, cæterùm eo tempore in triginta Tyrannos erumpere utile Reipublicę non fuiſſet: nam cùm per eam offenſionem ſubiturū me inuidiam plebis uiderem, ſperabam etiam fore, ut neceſſe eſſet, illos mihi plus credere. Suggeritur interim argumentum ex eo loco per quē conſideratur, licuerit'ne, aut liceat melius facere, quàm fiat, uel quàm ſit factum: conſulere utilius, quàm ſit conſultum. Nam ſi perſpicuum fuerit, licuiſſe aliter commodius: conſequens erit, ut is, de quo quæritur, feciſſe non uideatur: quia nemo uolens, & prudens deteriora ſibi, & minus utilia ſequitur. Eſt tamen hoc non omnino perpetuum. Nam ſæpe confectis, & conſummatis rebus, apparet melius illas fieri, atq; inſtitui potuiſſe, quod initio peruideri non poterat. Habetur & locus ille, quo ſpectatur, an rebus factis contrarium aliquid fiat. Xenophanes cùm ab Eleatis conſuleretur, an Matutæ, quæ Dea intelligebatur, ſacrificare, & lugere oporteret: Si, inquit, Deam creditis, non puto lugendum: ſi hominem, non puto ei operandum. Deinde locus eſt, quo quis ſe à perperam factis tuetur, aut accuſat: ut apud Carcinum Medea, cùm inſi-

mularetur,

mularetur, quòd filios necauiſſet, quoniã illi nuſquam apparebant: in hoc enim deliquerat illa, quòd à ſe liberos miſiſſet, in hunc modum ſe defendit: Non filios, inquit, ſed Iaſonem interfeciſſem: nam ſi in filios ſæuiendum putaſſem, ſcelus fuiſſet Iaſoni parcere. In hoc loco ac genere Enthymematis tota ferè uetus ars Theodori uerſatur. Cadit & nomen in argumentum, ut eſt apud Sophoclem: Nimirum ſi ferrea cum uocaris, ferrea es, & nomen tuliſti moribus accommodatum tuis. Quod genus in deorum laudationibus uſurpari frequenter ſolet. Vſus eſt & hac notatione Conon, cùm Thraſibulum audaci conſilio hominē appellitaret. Herodicus quoque Thraſymachi nomen, item Poli, ut argumenta morum inceſsit: Tu, inquit Thraſymacho, temere ſemper pugnas: & Polus ſemper erit pullaſter. Item Draconis, qui duriores leges dediſſe Athenienſibus uidebatur, Non ſunt, inquit, hominis leges, ſed Draconis. Simile eſt quod apud Euripidem Hecuba: Iure, inquit, Venerem Aphroditen nominatã, quòd Aphroſines, id eſt, dementiæ dea eſſet. Hauſit & Chæremo ex ui nominis argumentum, cùm diceret Pentheum præſagio triſtiſsimi eūentus lugubri nomenclatura inſignitum. Præferuntur quidem ex Enthymematis quæ uocantur Elenctica, id eſt, coarguentia ijs, quæ Dictica, id eſt, demonſtratiua: propterea quòd in illis: quæ coarguunt, ſub unum aſpectum breuiter contraria, & pugnantia conferuntur: quę uerò ita inter ſe oppoſita ſunt, quoties connectuntur, eluceſcunt magis. Porrò in utroque genere ea feſtiuiſsimè accipiuntur, quæ ſimul atque efferri cœperunt, quaſi præuidentur ab auditoribus, ita ut uis eorum ultrò acutè intelligatur omnis. Lætantur enim ferè qui auſcultant, quoties eorum, qui dicunt,

quaſi cogitata præſentiunt. Ea quoque ſolent plauſibiliter excipi, quæ eatenus producuntur, & recitantur, uti qui audiunt, ſtatim ſimul ac explicata ſunt, conſequantur.

De locis mentientium Enthymematum. CAP. XLIIII.

QVONIAM uerò Enthymema ſyllogiſmus quidam habetur: quemadmodum non omnis, qui uidetur ſyllogiſmus, etiam eſt: ſed aliquis repræſentat, & imitatur modò quidem ſyllogiſmum, ſed re uera non eſt ſyllogiſmus, ſed mentitur ſyllogiſmum: ita non omnis argumentatio enthymema eſt, ſed aliquam interim habet enthymematis formam. Conſequens eſt, ut prodamus etiã locos illos, ex quibus eliciuntur Enthymemata illa, quę mentientia, & ſimulata dicuntur. Atq; unus quidem is fuerit, qui penes dictionem efficitur. Huius una pars eſt, quēadmodum & in Dialecticis, quoties id, quod per cõcluſionem poſtremum infertur, ſine aſtructione rationis accipitur. Non eſt hoc, & illud: neceſſe igitur, & hoc & illud eſſe. Altera, quoties per inuerſionem, & oppoſitionem argumentum exponitur. Eſt enim huiuſmodi forma dictionis Enthymematum ſedes: & cauillationes, quæ per eum modum fiunt, iudicantur per figuram dictionis conſtare. Vt autem ratiocinatio dictionis figura decurrere uideatur, utile eſt multarum argumentationum capita inferre, hoc modo: Horum ſalutem egregie defendit, illorum iniurias grauiter ultus eſt, Græcos ſeruitute ſumma cum laude liberauit. Nam ſingula hæc ſi ſeorſum, & diducta ponantur, neceſſe eſt, ut alijs obiter argumentis ac probationibus demoſtrentur: ſi uerò iuncta, cõmiſſaq; efferentur, non modò probatione non egent, ſed etiam ſubinde alia quoque confirmant, & probant. Eſt & diuerticulum fraudis

à nomine, cùm pluribus rebus eadem appellatio eſt, quę Homonymia dicitur: ut ſi quis laudaturus murem, in argumentum adhibeat, quòd ſanctiſsimæ cęrimonię, quæ myſteria nuncupantur, ab eo animali appellationem acceperint. Aut ſi quis ad commendationem canis communionem nominis cum ſydere afferat, aut cum Cane, de quo Pindarus, O' te felicem, inquit, quem magnæ deæ magnum uarium canem Cælicolę omnes appellant. Aut ita, Nullum eſſe canem, turpiſsimum eſt: canem igitur eſſe, honeſta res eſt. Aut ita, Mercurium eſſe deorum omnium maximè liberalem, quòd ſolus uidelicet communis nuntius, & interpres uocetur. Aut ita, Exiſtimationem eſſe rem præclaram, quoniam probi, & boni uiri non argento, non auro, ſed exiſtimatione digni habentur. Etenim eſſe exiſtimatione dignum uno ſignificatu non dicitur. Deinceps eſt locus, quo aut ſeparata quæ ſunt, iunctim pronunciantur: aut contrà, quæ ſunt iuncta, ſeparatim efferuntur: nam cùm ſæpe idem eſſe uideatur, quod non eſt idem: utrum plus proderit, illud ſumere, atque efficere oportebit: ut eſt apud Euthydemũ, Scire ſe, inquit, in Pyrrheo triremem eſſe, propterea quòd triremem, & locum norat. Item ſcire elementa oportere eum, qui uerba ſciret ex elementis compoſita, utpote quæ res eadem eſſe cum priore uideatur. Item ſi duplum inſalubre eſt, & iam ſimplum ſalutare non erit. Atque hoc ſubiectionis ratione dupliciter probatur, coarguendo, & demonſtrando ſic: Non prodeſt alterum, ſi utrunque nocet. Plane uniuerſus hic locus latiſsimè fraudibus patet, cuiuſmodi eſt illud Polycratis: Thraſybulus, inquit, Tyrannos triginta confecit. Qua oratione diſiuncta iunguntur. Contrà apud Theodectem in Oreſte diſtrahitur, quod eſt annexum:

Aequum eſt, inquit, ſiquà maritum intèrfecit, ipſa ut moriatur: ſimulq́; ut paternam necem filius uendicet: Nónne facta ſunt hæc? Per hunc modum exponendo uidetur omnino occidere licuiſſe. Quòd ſi adhibitum fuerit, quod reuera negotio erat adiunctum, hoc eſt, à quo cædes illa ſit facta, non perinde uidebitur licuiſſe: quod quia prætermiſſum, ſuppreſſumq́; eſt, uel eo nomine defecit, & claudicat ratio. Per amplificationem quoque, ſiue confirmandum ſit, ſiue infirmandum aliquid, ſolet à ueritate iudicis intentio abduci. Hoc autem fit, quoties augetur, & exornatur res, antequam probetur. Nam ſi crimina exaggerat is, qui inſimulatus eſt, fidem detrahit ui orationis illis, quòd ſint tam grauia. Interim hoc ipſo adoleſcit ſuſpitio, ſi is, qui accuſat, grauiter, & uehementer inuehitur. Quamobrem huiuſmodi commentatio Enthymema non erit, quippe qua fallatur, & traducatur iudex, & nondũ confirmatis criminibus fidem ſuam obſtringat. Eſt & dolus à ſigno, quoties per id res intelligi, & concludi non poteſt: ut ſi quis dicat utile eſſe, ut in ciuitate ſint, qui ament, nam Harmodij, & Ariſtogitonis amor Hypparchi Tyrannidem ſuſtulit. Aut ſi quis furem eſſe Dionyſium probet, argumento quòd improbus ſit, quod per ſe plane non ſufficit: nec utique eum qui improbus eſt, etiam furem eſſe neceſſe eſt. Sed retrorſum potius, ut qui fur ſit, neceſſe ſit improbum eſſe. Ex accidentibus quoque ſumuntur inſidiæ, ut eſt apud Polycratem: Auxilio, inquit, fuere mures, qui chordas, & neruos arcuum eroſerunt. Aut illud: Honorificum eſſe inuitari ad cœnam, propterea quòd Achilles apud Tenedum non inuitatus grauiter ſuccenſuiſſet in Græcos. Conſtat autem illum idcirco eam rem moleſtè tu-

liſſe.

liſſe, quòd ſe contemptum ab illis, atq; neglectum arbitrabatur. Quod quidem acciderat ex eo, quòd uocatus non fuerat. Ex conſequentibus quoq; ducitur ad decipiendum locus: ut illud, Magno, atq; excelſo animo Paridem fuiſſe, quòd conſuetudini, ac ſocietati multorū, receſſus Idæ, ſolitudinesq; prætulerit. Nam cùm tales ſint, qui magnanimi cenſentur, conſequens eſt, ut hic quoq; magnanimus fuiſſe cenſeatur. Item qui ſeſe comit, & colit, & euagatur noctu, ut is adulter ſit, maximè ſequitur. Simile eſt & illud: Inopes, inquit, in tēplis canunt, & ſaltant. Itē illud, Habitare exulibus, ubi uolunt, licet. Proinde ſi ij, qui uidentur fortunati eſſe, habent hæc planè: conſequens eſt, ut ij, qui habent hæc, etiam fortunati eſſe uideantur. Cæterùm differentia eſt in genere, modóue habendi illa: quò fit, ut cùm nulla mentio habita ſit de ea re, argumentatio illa etiam in nomen defectus incurrat. Eſt & ille lubricus locus, in quo id quod cauſa non eſt, affertur ut cauſa: ut cùm dicitur, Simulatq; factum eſt hoc, ſecutum eſt illud: nam uerbum, Simulatq;, quod ualet, poſt hoc, ſæpe accipitur loco eius, quod eſt, propter hoc: præſertim ab ijs, qui in rep. conſulunt. Hoc Demades orator Demoſthenis adminiſtrationem inceſſebat, eamq; omnium malorū cauſam fuiſſe prædicabat: utpote poſtquam bellū ſit inſecutum. Fallax eſt & argumentū illud, in quo omittitur quādo, & quomodo facta, uel inſtituta ſit res, hoc modo: Iure Alexāder Helenen rapuit: erat enim à patre optio filiæ data. Sed latet error in eo, quòd non ſemper, ſed initio forte data optio fuerat, poſt quod tempus illa egreſſa eſt manum, & poteſtatem patris. Itē ſiquis dicat contumeliam eſſe, liberum hominem cędere: negari poteſt abſolutè omiſſum. Sed tunc contumeliam dixero,

cùm ſine cauſa, ac per iniuriã cæditur. Habetur & locus quidam diſceptatorius, planeq́; contentioſus, in quo ſimpliciter ſumitur, quod ſimpliciter non eſt, atq; ita ſimulacrum quoddam ueri ſyllogiſmi conflatur: id autẽ dialectico exemplo docebimur. Quod non eſt, eſt: quia quod non eſt, hoc ipſum eſt, quod dico non eſſe. Item, quod ignoratur ſcitur, quia quod ignoratur, ſcitur ignoratum eſſe. Idem locus transferri ad oratores poteſt, fietq́; ex eo ratiocinatio, non Enthymema, ſed Enthymematis quædam imago. Quod quidem efficitur, quoties id, quod conſentaneum eſt, aliqua, aut maiori parte ſimpliciter ad omnes confertur particulatim, abſolutè, atq; in uniuerſum profertur: cuiuſmodi error in ratione Agathonis uiſitur: Conſentaneum, inquit, hoc ipſum eſſe, multa contingere mortalibus non conſentanea: nã cùm multa præter id, quod conſentaneũ eſt, fiant: ſi hoc ipſum conſentaneum eſt, continuò efficitur ut idem & conſentaneum, & diſſentaneum eſſe neceſſe ſit. Quod ſi fateare concedendum erit etiam conſentaneum non eſſe conſentaneum: ſed in eo laqueus occulitur, quòd id, quod ſimpliciter non habetur, ſimpliciter ſumitur. Quamobrem quemadmodum in captioſis diſputationibus frequentes inſidiæ conſtant ſilentio trium rerũ, penes quid, ad qd, quomodo: ita & hoc loco fraus pẽdet ex eo, quòd id, quod conſentaneum dicitur, quale conſentaneum ſit, quaſi diſsimulando tacetur. Porrò ex huius loci tractatu ars Coracis ferè uniuerſa cõſtat. Siue, inquit, affinis culpæ non eſt, quem quis accuſat: puta ſi debilis pulſaſſe aliquem arguatur, ita defendendus eſt, ut conſentaneum illud non eſſe dicatur. Siue tenetur ſuſpicione criminis eius, cuius inſcribitur, ut ſi conſtaret robuſtum eſſe, qui cecidiſſe diceretur, adhuc eo-

dem

dem pacto tuendus eſt, ut conſentaneum negetur eſſe, feciſſe id quempiam, quod uideri conſentaneum, & credibile debuiſſet. Similem in modum & ad cæteras criminationes reſpondebat: omnes enim, aut ſuſpecti ſunt, aut non ſunt, eius criminis, propter quod in iudicium uocantur. Cæterùm defenſio illa facile tollitur, quamuis enim utrumq; ſit conſentaneum, non tamen eodem utrumq; modo, ſed alterum ſimpliciter, alterum (ut dixi) ex parte duntaxat. Ex eo genere eſt, cùm peiorem cauſam meliorem quis facit, quod promiſſum Protagoras cùm iactaret, iure ab omnibus male acceptus eſt: nec enim docturum ſe uera profitebatur, ſed falſa, & quæ uideri poſſent ueriſimilia: quæ nec in artem quidem ullam, extraquam in Rhetoricam, & captioſam, ſiue ſophiſticam caderent. Ac de Enthymematis quemadmodum inueniantur, conſtituanturq; tam ea, quæ uere Enthymemata ſunt, quàm quæ uidentur eſſe, dictum eſt.

Quomodo argumentis reſiſtendum ſit. CAP. XLV.

NVNC quemadmodum ſoluantur, infirmentur'ue, ſequens eſt docere. Duobus generibus argumentum aduerſarij ſoluitur. primo, hoc eſt per reprehenſionem, ſiue obiectionem inductam eliditur. Altero, cùm aliud contrà argumentum opponitur, hoc eſt aliud argumentum in contrariam partem aſtruitur. Ac genus quidem hoc poſterius ex eiſdem locis ſumitur, eodemq; utitur inuentionis fonte, quo utitur confirmatio. Nam ratiocinationes, quibus ab oratore fides iudici fit, ex probabilibus conſtant, probabilia uerò ſæpe multa inter ſe contraria inueniuntur. Obiectiones autem, quibus aggreſsiones aduerſarij diluuntur, quadrifariam (ut in Topicis diximus) ſolent induci: ab eo-

dem, à ſimili, à contrario, à iudicatis. Ab eodem, ut ſi amorem honeſtam rem eſſe probaueris, duplici id obiectione tollatur, uniuerſali ſcilicet, & particulari. Vniuerſali ſic, Amorem eſſe malum oportet, ſiquidem mala eſt indigentia omnis. Particulari ſic, Non habetur amor interim optimus, interim peſſimus, ſi amores aliqui turpes, & mali non eſſent. A' contrario, ut ſi dictum ſit, Virum bonum eſſe quempiam, propterea quòd beneficus in amicos eſſet, occurratur ita, nec uirum malum eſſe maleficum. A' ſimili, ut ſi diceretur, odiſſe ſemper qui ſe iniuria affectos putant. Opponatur, nec amare quidem ſemper, qui beneficijs ſunt affecti. A' iudicatis, quoties autoritate, ac teſtimonio clari alicuius hominis refutatio nititur: ut ſi dicatur, Ebrijs ignoſcendum eſſe, quòd ſcilicet imprudentes peccant: refellatur id hoc modo, Non eſt igitur recipiendus Pittacus, qui grauius puniendos putabat, qui per temulentiam deliquiſſent. Planè argumentatio omnis quatuor ſumptorum aliquo ſubrigitur. Quatuor ſumpta ſunt, Credibile, Exemplum, Neceſſarium indicium, & Signum. Nam Enthymemata facta ex rebus, quæ ferè exiſtunt, aut creduntur exiſtere, dicuntur ex conſentaneis, & credibilibus ſumpta. Quæ uerò per inductionem, admonitionemq́ʒ ſimilium, aut plurium, aut unius, aſſumpta uniuerſali propoſitione ad particulare aliquid conferuntur, appellari ſolent Exempla. Cùm autem neceſſarijs rerum indicijs ratiocinatio aduincitur, Inſolubile, & Neceſſarium argumentum uocatur. Quòd ſi ex communi, ſingulariue aliquo, ſiue ſit, ſiue non ſit, ratio nectitur, erit argumentatio ſumpta de ſignis. Conſentaneum porrò, ſiue credibile eſt, non

quod

quod ſemper, ſed quod ferè, ac propenſius fieri ſolet: clarè igitur intelligi datur huiuſmodi Enthymemata inducto aliquo per obiectionem ſemper reprehendi poſſe, atque perfringi. Non tamen omnis reprehenſio integra eſt, ſed quædam interim uitioſa, & quæ nitatur fuco: nam qui credibile argumentum euertit, non ita ſemper euertit, ut neget eſſe credibile, ſed ita ut neceſſarium non eſſe demonſtret, ut cum priore poſterius non neceſſariò cohærere demonſtret. Quãobrem cùm reo utrumque confugium pateat, plures ad refellendum uias, quàm actor ad confirmandum habebit. Non eſt autem uis eadem utriuſque confutationis, & eius quæ negat credibile eſſe, & eius, quæ neceſſarium non eſſe defendit. Quod uerò plurimum ſolet fieri, eoꝗ́ conſentaneum, credibileꝗ́ habetur, ſemper habet aliquid, quod contrà obijci, inferriꝗ́ poſsit: alioquin non eſſet conſentaneum modò, neꝗ́ credibile, ſed planè perpetuum, & neceſſarium. Ac iudex quidem ſi per eum modum dilutum ſit, ſolet interim decipi, arbitrariꝗ́, aut credibile non eſſe, quod aduerſarius dixerit, aut minimè firmum, potensꝗ́, propter quod iudicium ſit ferendum. Cæterùm (ut aliàs diximus) non ex neceſſarijs ſolùm, ſed etiam ex credibilibus, ac probabilibus iudicare oportet: atque hoc eſt, quod dici ſolet, optimam in iudicando ſententiam ſequi. Igitur non eſt ſatis oſtendere neceſſarium non eſſe, quod eſſe credibile demonſtretur. Hoc uerò conſequi poterimus, ſi id, quod per obiectionem inducemus, plurimum fieri ſolere monſtrabimus: inductio autem huiuſmodi, ſiue obiectio bifariam poteſt inferri, ita ut frequentia illa, atque propenſio uel tempore, uel rebus conſtare dicatur:

nam

nam firmiſsima fuerit, cui præſidium utrunq; conti‑
gerit: etenim in eundem modum ſæpenumero quæ
accidunt, credibiliora efficiuntur. Euertuntur & ſi‑
gna, & quæ accipiuntur à ſignis argumenta, etiam
cùm ſigna ipſa non negantur facta, ut ſuperius di‑
ctum eſt. Nam quod in reſolutorijs commentatio‑
nibus ſcriptum eſt nobis, Signum nexu ſyllogiſmi
aſtringi non poteſt. Exempla quoque eodem mo‑
do, quo & credibilia duobus generibus refelluntur.
Altero, ſi uno aliquo in contrariam partem inuento
probamus id neceſſarium non fuiſſe. Altero, ſi aut
plura à nobis exempla, aut frequentius accidere, con‑
trà quàm ille aſſeruiſſet, oſtendimus. Quòd ſi ſimi‑
lium tum copia, tum frequentia ab aduerſario ſteterit:
id ut reprehendas, rem, quam ille ſimilem uult eſſe, tu
contrà diſsimilem, uel diſsimiliter affectam, uel diſcri‑
mine aliquo diſsidentem debebis efficere. Indicia quoq;
illa neceſſaria, & quæ ex ijs Enthymemata promuntur,
quanquam ita refelli nequeunt, ut ſigna, quæ nexum, &
aſtrictionem ſyllogiſmi non capiunt: quod ipſum in re‑
ſolutorijs ſcriptis planè docuimus: interim tamen, id
quod reliquum eſt inficiando, tolluntur: nam ſi neceſ‑
ſarium fuerit, deinde conſtiterit, ut negari non poſsit,
nullus præterea dabitur ad reprehenſionem acceſſus:
tunc enim & demonſtrata clariſsimè omnia, & certiſ‑
ſima uidebuntur. Amplificatio, & imminutio non
ſunt Enthymematum elementa, id eſt, non ſunt loci in
quibus incluſa ſint argumenta. Eſt autem elementum,
& locus plurium Enthymematum ſedes. Sed Enthy‑
memata quædam ſunt ad magnitudinem rei exornan‑
dam, aut eleuandam adhibita. Sicuti & aliqua ſunt ad
honeſtatē, turpitudinem, æquitatem, iniquitatem, reli‑

qua,

qua eius generis demonſtranda afferuntur. Quare quēadmodum ex omnibus illis, circa quæ cæteri ſyllogiſmi, & argumenta uerſantur, nullus eſt Enthymematis locus: ita nec amplificatio, nec attenuatio, quibus rerum crementa monſtrantur, poteſt Enthymematis locus intelligi.

De refellentibus argumentis, & demonſtrantibus comparatio. CAP. XLVI.

SED neq; argumenta illa, quibus refellimus, ex alio genere habentur, quàm habeantur ea, quibus cōfirmamus: nam qui refellit, aut demonſtratione utitur, aut obiectionem inducit. Demonſtratione utitur, quotiens argumentum aliud in partem contrariam aſſerit: ut ſi aduerſarius factum eſſe probauerit: is, qui reſpondet, factum non eſſe demonſtret: Aut contrà, ſi ille non factū aſſeruit, hic eſſe factum oſtendat: quare diſcrimen nullum habetur, quoniam eiſdem rebus utriq; ad probationem utuntur: nam cùm aliquid eſſe, aut non eſſe contenditur, utrinq; Enthymematis perinde agitur. At inductio obiectionis, per quam reſiſtimus argumentis, Enthymema non eſt: ſed, ut in Topicis diximus, ſententiæ cuiuſdam illatio, ex qua ſtatim alterum docetur, aut ex ĳs, quæ probanda eius cauſa ſumuntur, aliquid non concedi, aut ex ĳs, quæ conceduntur, complexionem non confici: id eſt, id quod concludere illi uelint, non effici ex propoſitis, nec eſſe cōſequens. Ac cùm tria ſint, quæ tractari dicendo debent, abſoluta iam parte illa, quæ ad inuentionem pertinebat exemplorum, ſententiarum, argumentationum, poſtremò uniuerſæ eius rationis, quæ docet ſumere, & infirmare ſumpta: reliquum eſt ut ad elocutionis, & diſpoſitionis præcepta tranſeamus.

DANIEL BARB. *à Cap.* XL. *uſq; ad finē lib. II.*

NVnc de Enthymematis primùm, ſed in uniuerſum agemus. *Proponit ſe dicturum Ariſtoteles de Enthymematis, & certè id ratio ipſa poſtulat, quoniam de Exemplorum, & Sententiarum appoſitione ſuprà diſſeruit. Agit ergo primùm in uniuerſum, qua ratione Enthymematum copia poßimus affluere: deinde ex proprijs docet nos Enthymemata cõficere. Propria uocat domicilia Enthymematum, & elementa, uel locos, in quibus uigent argumenta. Pulcherrima ergo præcepta in uniuerſum tradit, ut Enthymematum copia nobis ampla quæratur. Proponit ergo primùm hoc modo:* Nunc de Enthymematis primùm (*ita enim res poſtulat, quoniã de machinis oratorijs ſermo inſtitutus eſt, deq; exẽplis & ſententijs actum*) ſed in uniuerſum qua ratione quærantur. *In uniuerſum inquam, quoniam præcepta quædam communia traduntur, quæ ſeruari omnino debent, ſi quis affluere probationum copia uelit.*

Deinde ingredimur tractatum locorum. *Locos intelligit eos, quos in primo libro etiam intellexit, à maiori, à minori, à contrarijs, & hûiuſmodi: qui quidem differunt à communibus illis præceptis, quoniam proprij ſunt hi, ſed illa communia: ergo rectè dicit Ariſtoteles,* Eſt enim utriuſq; rei ratio planè diuerſa. *Aliud enim eſt Enthymema, aliud Locus, & Elementum, ut dictum eſt. Quid igitur ſit Enthymema, & quòd ſit quædã Syllogiſmi ſpecies, & quòd differat à Dialectico Syllogiſmo, ſuperius eſt demonſtratum. Primum ergo præceptum eſt, quo prohibentur duo: Alterum ne in conficiendis Enthymematis uel eas res aſſumamus, quæ uel à re ipſa longius amotæ ſunt, uel eas quæ uulgares nimis, & paßim aſſumptæ uidentur. Quod ſiquis in ea uitia decidet, & ſe, & auditorem offendet. Se quidem offendet, cùm ſine delectu quamq; rem capiet: uanus enim & garrulus eſſe iudicabitur. At auditoris offenſionem*

offenſionem incurret, cùm res longe petitas in probationibus aduocabit: nam ob prolixitatem offundet rationibus tenebras. Hunc locum nos in primo aperuimus, capite quinto, ubi dicitur: Fieri quidem poteſt, ut ea, quæ ratiocinando concludimus, aliquando conficiantur ex his, & reliqua. Iudex enim rudis eſt, nec multa, nec de longinquo proſpicere poteſt. Hinc *ſequitur, quòd ineruditi, id eſt, qui rerum ſcientiam non habent, ut oratores multi, facilius in plebe, & multitudine perſuadent, quàm eruditi, & ſapientes. Illi enim, hoc eſt, periti, rerum ſeriem agnoſcunt, & ob id communia & uniuerſalia ſectantur. Imperiti uerò, ex ijs quæ ſciunt, etiam proxima eliciunt. Sic legendum,* Quare ſequitur, non omnia, ut quiſq; ſenſus, & argumentum occurrit, afferenda eſſe: ſed certa quædam, & cognita ijs, qui iudicaturi ſunt, uel ijs, quos nobis quoquo modo auditores conſtituimus. *Nam duplicem in modum res ſeligimus: aut enim ex ijs ſumimus argumenta, quæ audientibus uidentur: aut ex ijs, quæ nobis. Cùm ergo ſumimus argumenta ex ijs, quæ uidentur auditoribus, oportet (ut dixi) ne res longè petitæ, nec nimis uulgatæ ſint. Cùm uerò ſumimus argumenta ex ijs, quæ nobis uidentur, oportet (ut ait Ariſtoteles: tunc demum aſſumere, cùm uel omnibus, uel pluribus ita uidentur ut nobis. Atq; is ſenſus Hermolai interpretationem ſequitur. Sed aliter intellexit præceptor meus Lampridius, inquiens: Quare neq; ex omnibus probabilibus, ſed ex definitis, & determinatis eſt dicendum. Determinatis inquã uel iudicibus, uel ijs quos iudices ſuſcipiunt, & probant, ut ſunt legumlatores: & hoc, quod ſic ſe habet, manifeſtum etiam apparet, uel omnibus, uel pluribus. hæc ille. Quid ego audeam? An ſatis erit dicere, quòd hæc omnia quæ hîc ab Ariſtotele dicuntur, cum ijs, quæ in primo libro, capite quinto dicta ſunt, optimè quadrant, ut Hermolaus adnotauit? Certè*

hoc ſatis erit: atq; hoc eſt primum præceptum, quod commune eſt omni Enthymemati, cui additur non modò ex neceſſarijs, quæq; aliter non fiunt: ſed ex ijs, quæ parte plurima fiunt, duci poſſe argumenta. Sed alterum præceptum eſt ibi, Primum itaq; ſcire oportet, neceſſarium eſſe, ut is, qui de aliqua re dicturus, ratiocinaturúsue eſt. *Oportet ut qui concludere ac probari quicquam uelit, ſiue in iudiciali, ſiue in ſenatoria, ſiue in cauſa demonſtratiua, ſiue in quauis arte ac ſcientia, oportet inquam, ut ſciat uel omnia, uel quædam, quæ negotio inſiut. Atque hoc eſt primum præceptum: ratio cuius eſt duplex, Quoniam de nihilo nihil fit. Si igitur non habeas, unde conficias, nunquam certè conficies. Præterea ea quæ rebus inſunt, nos in rerum notitiam ducunt. Quare quantum quiſque plura de rerum attributis nouerit, tantum melius res ipſas agnoſcet. Hanc ſententiam ſæpius ab Ariſtotele repetitam noſces, nam in libris de Cœlo excuſat ſe diuinæ illius naturæ pauca noſcere: quoniam remotiſsima eſt à iudicio ſenſuum noſtrorum, & pauca eius attributa cognoſcimus. In libris de Anima manifeſtiſsimè atteſtatur, accidentia naturam rerum cognoſcibilem facere. In Topicis, inq; alijs locis plurimis id affirmat: nec ab re quidem: ignorantur enim naturæ: ex ignoratis nihil fit notum, ſed attributa, & quæ inſunt, uel ſenſu, uel leui aliqua animaduerſione uiſuntur. Rectè igitur ab Ariſtotele præceptum illud traditum eſt, quod inductione quadam in tribus generibus oſtendit. Omnia ſunt facilima in Ariſtotele. Idem quoque Plato in Conuiuio, in oratione Agathonis: ſed id ad genus demonſtratiuum accommodat, dicens, Eum nihil ſcire de laude, qui id laudat, quod non intelligit. & alibi multa. Vnde & Horatius: Scribendi rectè ſapere eſt, & principium, & fons: Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ. Ac demum fieri nullo modo poteſt, ut quis non dicam ornatè loquatur, ſed ne os*

quidem

quidem aperire queat, niſi quæ in re inſint, agnouerit. Ex *proprijs igitur monemur hoc præcepto, ut ratiocinemur. Cæterum ut hoc commune eſt omni cauſarum generi, & in omni re, qua de agitur, requiritur: ita de* Enthymematum *locis agendum, quæ* Elementa *ab* Ariſtotele *uocantur. ut enim* Elementum *eſt, in quod ſoluitur res ex eo compacta, ita in ſuos quæque locos, ac ſedes reuertuntur. Sed ut hoc commodè fiat, diuidenda ſunt* Enthymemata. Enthyme*matum alia rem probant, & demonſtrant: alia diluunt, & refutant.* Ad *hanc partitionem duplex locorum ordo accommodatur: alter eſt eorum, qui ad demonſtrandum, alter eorum, qui ad infirmandum idonei ſunt.* His *adiungendi ſunt illi, ex quibus mentita* Enthymemata *ſunt: atque ex hoc etiam ſimilitudo inter* Dialecticam, & Rhetoricam *apparet.* In Dialecticis *enim eſt* Syllogiſmus, Inductio, Confirmatio, Infirmatio, Fallacia*: in* Rhetoricis *reſpondent his* Enthymema, Exemplum, Demonſtratio, Improbatio, & Mendacium. Tractatur *autem hic ratione alia de locis, ac in ſuperioribus tractatum eſt: quoniam ſuperius habita eſt mentio de locis, qui in ſingulis generibus, & rebus haberentur utiles, & neceſſarij: nam propoſitiones, ex quibus ad ſingulas partes dicendi* Enthymemata *elicerentur, de bono, de malo, de honeſto, de turpi, de iuſto, de iniuſto, præterea quales ex affectibus, & moribus, & habitibus ducerentur, omnes expoſiti ſunt.* Hic *non partiales aſſumptiones, non proprias propoſitiones, ſed communes quædam, uniuerſalesq́; argumentorum ſedes explicantur.* Primus *eſt à proprijs, alter à contrarijs, tertius à coniugatis, & ſimilibus caſibus: alius à rebus, quæ mutuam habent confirmationem, à minori, à maiori, à pari, à temporis conſideratione, hoc eſt, à translatione temporis, ut ait* Fabius. *huic poteſt ſubijci locus à fictione, qui in*

omnes locos cadere poteſt, teſte Fabio, *à dictis in dicentem retortis, à definitione, à multiplici ſignificatione, à diuiſione, & remotione, ab inductione: ſic* Cicero: Sed Fabius *à ſimilibus, à re iudicata, à partibus*. Tu *notato exemplum in ſecundo* Topicorum Ariſtotelis *ab his, quæ maiori parte proueniunt, id eſt, à communiter accidentibus, à conſequentibus, id eſt, ab adiunctis, cum duo ponuntur inter ſe contraria, quorum tenuiſſe utrumlibet ſufficiat, ex reciproco & commutato, à diuerſitate publicæ, & priuatæ approbationis, ex proportione, ab eo cùm duo proponuntur, ut utrumlibet electum idem efficiat, de quo etiam* Fabius *libro quinto, ex conuerſione conſilij, à cauſa factorum, id eſt, à fine, à cauſis impellentibus, à facultate, ab incredibili, ubi aurea uerba ponuntur pro ſancta religione*. Atque *hi ſunt loci, ex quibus res probantur, &* Enthymemata *illa fiunt, quæ* δεικτικὰ *dicuntur*. Loci *uerò qui ad* Enthymemata *coarguentia referuntur, ſunt hi, à repugnantibus, à ſuſpectis, à cauſa, ab eo quod licuerit'ne melius facere, à contrario, ab excuſatione & accuſatione, à nomine, & reliqui*. His *poſitis de mentientibus agit, & fallentibus argumentis, de que eorum locis primò ediſſerit, mox quomodo ſoluantur oſtendit, & librum finit, comparando locos ſoluentium, & demonſtrantium argumentorum inter ſe*. Quantum *ergo attinet ad locos demonſtrantes, & confirmantes, pauca quædam ſunt animaduertenda in uerbis* Ariſtotelicis. Primus *locus ab ijs, quæ rebus inſunt, ut plurima, & quàm fieri poteſt affinia, & propinqua ſumamus: nam ſi multa erunt, melius rem docebimus: ſi affinia, & propinqua, eo accommodatiora, & minus communia eſſe intelligentur: unde* Plato *in libro de* Legibus, *qui* Minos *inſcribitur, exemplum dat in genere demonſtratiuo dicens*, Quin *diligenter cauere decet, quoties uirum aliquem laudaturus es, aut uituperaturus, ne aberres,*

res, atq; huius gratia in primis curandum eſt, ut bonos, & malos dignoſcamus. Nec modo communia, ſed propinqua, & propria ſcire oportet, cuiuſmodi ſunt, quæ cum re ipſa coniuncta ſunt, ut ab ea uel omnino nequeant, uel non facilè dimoueri queant. Quid enim de natura hominis ſciam, licet ſciero communia quædam, quæ non tam in homine inſunt, quàm in cæteris quoq; rebus? ut ſi candidus, ſi magnus, ſi mortalis? nam & magna, & candida, & mortalia multa ſunt, quæ ab homine ſeiugantur: at ſi capacem ſcientiæ, ſi prouidum, ſi memorem, ſi arte uiuentem, ſi ſociabilem attulero, tum proximè accedam ad eius uim declarandam. Similis ratio eſt in omni re, ut ſi quis laudaret Ariſtotelem, quia ſapiēs, hoc eſſet commune cum cæteris: at ſi diceret eum inter ſapientes primum omnem philoſophiam mirabili ordine diſpoſuiſſe, & unum tanquam corpus effeciſſe, id proprium eſt. Pertineat ergo locus is ad declarandas conditiones aſſumptionum, ita ut aliæ propriæ ſint, aliæ extrinſecæ: quædam propinquæ, quædam remotæ. Sed qui ſequuntur uerè loci dicuntur, quoniam propoſitiones ex quibus Enthymemata conficiuntur, ex ijs artificioſè inueniri poſſunt, ab ijs enim præſumptiones illæ denominantur. Ordo igitur is eſt ad inuentionem aptiſſimus, aſcendendo ſcilicet: nam eſt genus cauſæ puta Iudiciale, uel Senatorium, uel Demonſtratiuum: poſtea ſunt Enthymemata cuiq; generi accommodata: inde Propoſitiones ſingulis inſeruientes: demum Loci, in quibus propoſitiones tanquam in proprijs domicilijs uigent. Locus à contrario, & is qui à ſimilibus caſibus ducitur, in ſecundo Topicorum ponitur: multiplex enim eſt, nam contrariorum inter ſe complexus modos recipiunt ſex, nam contraria uel utrumque utrique iugabitur, & hoc dupliciter, aut ita, prodeſſe amicis, inimicis obeſſe: aut per diuerſum, amicis obeſſe, inimicis prodeſſe: uel ambo ad unum exhibebuntur, & hoc quoq; biceps:

ut, amicis prodeſſe, amicis obeſſe: contráue, inimicis prodeſſe, inimicis obeſſe: uel unum ambobus accommodabitur, bipartitum & hoc: amicis prodeſſe, inimicis prodeſſe: aut contrà, obeſſe amicis, obeſſe inimicis. Ex duobus primis complexibus contrarietas nulla exoritur: nam hoc quod dico, amicis prodeſſe, contrarium non eſt huic, inimicis obeſſe, quia utrumq; ſcilicet expetendum eſt, & ab eadem proprietate moris proficiſcitur. Ne illa quoq; contraria ſunt mutuò, amicis obeſſe, prodeſſe inimicis: ſunt enim uitanda æquè ambo, & ab eodem nata more: porrò uitandum uitando contrarium non uidetur eſſe, niſi alterum in exceſſu, alterum in defectu ſit poſitum: nam exceſſus ex fugiendis, uitandisúe rebus uidetur, ſimiliter & defectus. Quatuor reliqui modi repugnant, & contraria complexione finguntur: à contrarijs enim moribus profecta, contrarias quoq; iugationes habent, & alterum erit expetendum, alterum fugiendum. Ex his liquet plura ſingulis fingi poſſe contraria, ſed illa pars ſumenda eſt, quæ ad propoſitum noſtrum facit. Contraria duo in eadem re contineri non poſſunt. Idem genus capax eſt contrariorum: Id ponendum non eſt, quo poſito contraria ſequuntur, aut repugnantia. Conſecutio in oppoſitis retrorſum ualet: ut, ſi homo eſt animal, quod animal non eſt, nec homo eſt: & reliqua in Ariſtotele, quæ latiori contrariorum & oppoſitorum nomine dicta ſunt. Locus ἐκ τῶν ὁμοίων πτώσεων, καὶ ἐκ τῶν συϛύχων dicitur in Topicis à iugatis, & flexionibus: Coniugata dicuntur à Cicerone, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem: eiuſdem autem generis uerba ſunt, quæ orta ab uno, uariè commutantur, ut ſapiens ſapienter, ſapientia. Pulchræ autem ſunt Socraticæ interrogationes per coniugata, & contraria, ut probetur unum uni eſſe contrarium, ut illa in Protagora, Non'ne temperantia temperanter agunt? non'ne qui cunq; nō rectè agunt, inſanè agunt? & qui ita agunt, non temperanter

peranter agunt? Ergo inſanè agere, contrarium eſt eius quod temperatè agere. De tertio loco non memini me legiſſe quicquam apud Ariſtotelem in Top. niſi fortè ſit primus & trigeſimus in ſecundo Top.

Vt eſt in Alcmæone apud Theodectum. *Alcmæon comœdia quædam Theodecti inſcripta. Alcmæon Amphiarai filius fuit, Eriphilisq́; quam ipſe, ut patrem ulciſceretur, interfecit, ſed poſtea ab Amphilocho fratre ob matris cædem interfectus: habuit is uxorem Callirhoën, quæ filiorum cauſa Iouem diutius precata eſt, optabat enim filios ad iuuentutem peruenire, ut patris mortem uindicarent: atq; hoc ad uota ſucceſsit, de qua re plura ſunt apud hiſtoricos. In loco à maiori illud obſeruandum, quòd Locus à maiori dicitur is, in cuius concluſione ponitur minus, aut multo minus: & in loco à minori ponitur, magis, aut multo magis: & hoc modo cognoſcuntur. Maius eſt, quod magis probabile eſt, & Minus quod minus probabile.* Σχόλη *particula eſt, qua Græci utuntur cum probant aliquid à maiori. Maſſurus interpretatur uix. Locus ille, qui ducitur à minori, uidetur duci à maiori, niſi hoc modo intelligatur, Qui eò dementiæ uenit, ut patrem uerberet, quod rarius fieri conſueuit, multò facilius id faciet, quod perſæpe fit: hòc eſt, multo facilius proximos uerberabit: nam quo maius eſt crimen, eo minus probabile eſt: quare locus is erit à minore ad maius, cuiuſmodi eſt ille Terentianus, Hic paruæ conſuetudinis cauſa huius mortem fert tam familiariter, quid mihi hic faciet patri? Locus à definitione ita intelligendus eſt in Ariſtotele, ut quælibet rei deſcriptio, & declaratio ad hunc locum referatur, preſsius tamen Tullius hoc nomine utitur, ac definitionem addit, quæ rei uim, & naturam ex proprietate & genere declaret. Sed Ariſtoteles accidentia, & attributa ſumit in definitione hac. Locus is à Platone ſumitur in Apologia, ubi Socrates con-*

tra accuſatores ſe defendit. Locus à re iudicata, qui nonus eſt, triplici ratione munitur: aut cùm idem, aut ſimile, aut contrarium iudicatum eſt, uel ab omnibus, uel à pluribus, uel à ſapientibus, hisq́; uel omnibus, uel plurimis, item à bonis, & ſummæ autoritatis hominibus.

Ita'ne uenerandis illis ultricibus. *Σέμναι uocantur Eumenides à Sophocle.*

Eruitur locus à partibus, ut in Topicis. *Decimus locus is eſt. In ſecundo Topicorum ubi in loco à genere, & à ſpecie quæritur, An anima mouetur: ibi docet Ariſtoteles annumerare ſpecies motus, augmentum ſcilicet, & decrementum, ortum, interitum, & alias uices: quòd ſi inuentum fuerit, animam neq; hoc, neq; illo, neq; alio genere motionis moueri, uerum fuerit negare ipſam omnino moueri: & hoc eſt, quod hoc loco dicitur,* Qualis motus eſt animæ, nempe aut hic, aut ille.

Apud Theodectum in Socrate. *Id eſt, in defenſione Socratis. Vndecimus locus à communiter accidentibus, Fabius ab adiunctis, & conſequentibus naturaliter. Φθονεῖσθ Horat. Si poſſum inuideor.*

Ab hoc proximus locus eſt. *Fabius, Vel cum duo ponuntur inter ſe contraria, quorum tenuiſſe utrumlibet ſufficiet. Differt locus is à ſuperiori, propterea quòd connexa ibi alteri duorum contrariorum contraria minimè ſunt, nã in eodem poſſunt ineſſe, ut inuidia, & ſapientia: hìc uerò cõnexa coniungi minimè poſſunt, nam ob iniuſtitiam amari ab hominibus, & ob iuſtitiam amari à deo, minime ſimul inſunt.*

Oleum & ſalem emendum. *Neſcio ego an ingenium ſuum, ut ſolet, an aliquem ex antiquis ſequatur Eraſmus, cùm interpretetur hoc Prouerb. acrem, ob ſalem, lenem ob oleum eſſe orationem debere: ego ſaltem nihil habeo, quod planè ſatisfaciat.*

Διάφωσις, commutationem, & reciprocationem Hermolaus uertit:

uertit:eſt autem obliquitas crurum,qualis eſt lacertarum.

Item Theodectes in lege. *In hoc uide ff.de publicanis,& uectigalibus.*

Conſtat locus etiam ex eo quod ijdem homines non eadem olim,quæ nunc. *Id eſt,locus ex conuerſione conſilij. In loco autem ab eo cuius gratia,uidetur ea ratio demonſtratiui generis propria: quia quando quis laudat, aut uituperat, cauſam factorum explicare debet, & oſtendere an ad eum finem, & uſum facta ſint, ne aut caſus, aut uis, aut alia cauſa, quàm uoluntas interponatur: unde inquit Ariſtoteles, Locus alius eſt confiteri illud eſſe,quòd factum eſt,ſed in alium uſum: ut cùm dicitur, Fortunam non beneuolentia hominum eos ad ſummas opes euehere,ſed ut lapſu grauiore ruant. Reliqua uerò quæ ad locos demonſtrantes attinent,facilia ſunt in Ariſtotele.Coarguentes quoq; ſatis expoſiti ſunt:at Fallentes & apparentes indigent aliqua explicatione.*

Quoniam uero Enthymema ſyllogiſmus quidam habetur. *Primus locus ſumitur à figura dictionis, is & in libris Elenchorum expoſitus eſt ab Ariſtotele hunc in modum: Sed nos prius ab elenchis hauriamus diſtinctam quandam omnium diuiſionem, ut facilius res omnis intelligatur. Quatuor genera diſſerendi: Præceptio, Diſputatio, Attentatio ,Decertatio. Præceptio non pendet ex reſpondentis arbitrio ,ſed ex proprijs cuiuſq; doctrinæ principijs cõcludit: Diſputatio ex probabilibus ſumptis contradicentiam colligit: Attentatio ex ijs, quæ reſpondentes opinantur,& ex ijs,quæ ſcire oportet eos, qui peritiam aliquarum rerum præferunt, rationes ſuas communit, qua mirabiliter uſus eſt Socrates in Sophiſtas, Euthydemum,Protagoram,& alios. Deceptio duplex:aut enim re ipſa peccat, cùm nõ probabilia, ſed quæ probabilia uideãtur, aſſumat: aut ratione, cùm utamur ijs, ex quibus non quidem conficitur,ſed uidetur tamen confici.De hoc poſtremo genere*

mentionem hic facit Ariſtot.*Quinq; autem ſunt, ad quæ inten dunt contentioſi, & altercatores*, Coargutio, Mendacium, *Admirabile, Solœciſmus, Garrulitas.* Aut enim ut inaniter re*petant, aut admirabile proferant, aut barbare loquantur, uel coarguantur hi, qui reſpondent, quæritur ab ijs, qui interrogant: his omnibus utitur Socrates in Protagora, à quo puto (ita enim hæc exempla me mouent)* Ariſtotelem *omnia deſumpſiſſe.*De Coargutione nunc loquitur Ariſto. *Hæc duplex eſt:aut in dictione poſita eſt,aut extra dictionem.* Fallaciæ *in dictione poſitæ intra ſenarium continentur omnes:agnominatio,ambiguitas,collocatio,diuiſio,accentus,figura locutionis.* Fallaciæ *extra dictionem numero ſeptem, ex accidentibus, ex eo quod ſimpliciter & parte quadam eſt, ab ignorantia elenchi,ex conſequentibus,ex petitione rei quæſitæ,ex non cauſa ut cauſa,ex multiplici interrogatione.*Sed Ariſtot.*in hac par te non omnes accipit, ſed quaſdam: hoc eſt,uulgatas maximè, &* Rhetoricæ *propiores.*Nos *autem omnes breuiſſimè declarabimus.*Primus *ergo locus eſt in dictione poſitus,& appellatur* Dictionis *figura:is fit,quoties,id quod idem nõ eſt, ad eundem modũ effertur:ut ſi genus pro genere,ſi qualitas pro quan titate,ſi patiens pro efficiẽte:ut ſi uerbum actiuæ ſignificationis,paſſiua cum ſit uoce,aut è contrario,intelligatur ut ſonat: poteſt enim uerbum aliquod ex ijs,quæ actiua non ſunt,ſi figu ram ſolam quis ſpectet,actiuum intelligi,cuiuſmodi eſt uerbum* Valet,*hæc in* Elenchis. *At hoc loco figuram dictionis intelligit,cùm quis eo modo loquatur, ut* Enthymema *conficere uideatur,quia formam quandam ratiocinandi præferat,nihil tamen re uera conficiat,& concludat:nam ſiquis dicat,* Non *eſt hoc, & illud neceſſe igitur eſt, & hoc & illud eſſe.* Hæc *enim prolatio* Enthymematis *quandam ſpeciem habet: ſed non eſt* Enthymema.*Eſt et altera ſpecies, quæ fit per inuerſionem,& oppoſitionem argumenti:namq; in* Enthymemate, *cõtortè &*

oppoiſtè dicere uidetur Enthymema: oppoſitè autem, inquit, quoniam in appoſito exemplo affirmationes negationibus op ponebantur. Si igitur quis concluſiones multas nondum probatas, tanquam principia colligat, is uidetur aſtruere Enthymema, non tamen aſtruet, quoniam non eſt Enthymema aut ſyllogiſmus ex quacunq; diuerſarum propoſitionum cōnexione, nec utcunq; ſors tulit, figura erit ſanè Enthymematis, & ſpecies, ſed reuera nō erit Enthymema. Ad Agnominationem, qui eſt ſecundus locus hic, ſed primus in Elenchis, hæc omnia pertinent: primùm, ut qui neſciūt, teneāt: quod ſic inducitur, Quæ quis neſcit, docetur: quæ quis docetur, tenet: quæ quis ergo neſcit, tenet. Soluitur, uerbum Tenet, duo ſignificat: nam & is, qui ſcit, tenet id quod ſcit: & qui neſcit, cum docetur, tenere dicitur quod docetur: hoc eſt, capere, & intelligere quæ docetur. Alioquin non doceretur, niſi percipientem intelligerent. Item illud, Vt commoda ſint incommoda: quod probatur, Expedientia quæ ſunt, commoda ſunt: incommoda ſæpe expedientia ſunt: commoda igitur ſunt incōmoda. Cæterum appellatio Expedientis gemina eſt: nam & pro eo, quod opus ſit, capitur expediens, qualia ſæpenumero ſunt incōmoda: eſt enim incommodum quandoq; uel neceſſarium: & pro eo, quod bonum, honeſtumq́; ſit: Ex hoc genere ſunt etiam hæc, Qui ſurgebat ſtat, & qui ſanabatur ſanus eſt: ſurgebat autem recumbens, & ſanabatur languidus: ergo & recumbens ſtat, & languidus ſanus eſt. Deceptio in eo eſt, quòd cum dicitur languentem quid aut facere, aut pati, non unus ſenſus eſt: ſed modò quòd is, qui nunc languet, aut recumbit, modò quòd is, qui prius lāguebat, ſanus ſit. Hæc igitur agnominationis fallacia nominatur, in uerbo, in nomine, in oratione una multipliciter accipiēda. Hæc in Elenchis: in Rhetoricis autem tria ponuntur exempla: muris, canis, & eius quod eſt exiſtimatione dignū: laudat murem, qui Græcè μῦς dicitur: & ab eo dici affirmat myſteria, id eſt, μυσή-

ρια παρὰ τοὺς ἀκούοντας μυεῖν τὸ σόμα. *hoc eſt, myſteria (quæ Latini ſacra ſecluſa uocant) dicta ſunt ab eo, quòd audientes os claudãt, & nemini ea reuelẽt: nam* μυεῖν *eſt claudere os, omnibus enim myſterijs ſilentij fides adhibẽda eſt: nam in ſacris Iſidis & Serapidis fuiſſe dicitur ſimulacrum, quod digito recto labijs admoto ſilentium indicere uidebatur. Agnominatio igitur eſt in denominatione huius uerbi Myſteria, nam qui murem laudat, à Græcis mys dictus, ab eo hoc magnum uocabulũ deriuari dixit, & nõ à myin, uel myſos, quod eſt ſcelus, ea ſcilicet propalare. Canis item ſignificatio triplex: Pindarus loquens de Pane, O' te felicem, inquit, quem magnæ deæ uarium canem cœlicolæ omnes uocant. Cum Rhea omnes dij concubuere, ex quorum uario ſemine natus eſt Pan: magna igitur dea Rhea eſt, uarius autem deus Pan.*

Aut ita, Nullum eſſe canem turpiſsimum eſt. *Verba Græca pro uirili parte Canem intelligunt: Virili autem parte uirum carere turpißimum eſt: carere etiam cane turpißimũ eſt: nam domus in qua canis nõ erat, contẽptui eſſe ſolebat: & hoc quoq; in prouerbio eſt uernaculo, Neque canis, neq; felis.*

Καὶ τὸ κοινωνικὸν. *Laudat canem aliquis, & ad eius laudem ſumit uel ſydus, uel Pana, uel partem uirilem, uel Mercuriũ: nam ſydus, Pan, & uirilis pars, uno nomine appellantur à Græcis canis: ſed Mercurius dicitur* κοινονικὸς, *id eſt ſocialis & liberalis: & qui canem laudãt: nomẽ hoc* kinonikos, *à* kynos, *quod eſt canis, & nõ à* koinos, *quod eſt cõmunis, deducũt: quare fallunt cum agnominatione, quæ fit cùm idem nomẽ ad res diuerſas accommodatur.* Exiſtimatione dignũ Græcè dicitur *λόγου ἄξιον τὸ, cuius duplex eſt ſenſus, uel quod indiget interpretatione, uel quod debet omniũ ſermone celebrari, & laudari. Tertius locus ambiguitati eſt attributus, ut illud, Aio te Aeacida: &, Ain' quod quis nouit hoc nouiſſe? Cõtrouerſus ſermo, ſiquidem tam eum, qui nouit, quàm id, quod noſcitur, habere noſcendi uim*

di uim ſignificat. Item illud, Quod quis uidet, nũquid hoc uidet? uidet autem columnam, uidet igitur columna. Planè modi tres agnominandi, & ambigendi ſunt. Primus quoties aut uerbum unum, aut oratio una peculiares habet ſenſus plures: ut, canis, & aquila. Alter quoties aſſueuimus ſic loqui. Tertius quoties aliquid iunctum plura ſignificat, quod ſeorſum ac ſeparatim propoſitum, ſimplicem intellectum præſentat: cuiuſmodi eſt cæſum hoc, Literas ſcire: utriq; uerbo una ſignificatio eſt, ambobus plures: aut hæc, quòd literæ ſciant ipſæ: aut hæc, quòd alius literas ſciat. Locus collocationis, hoc eſt, diuiſionis & compoſitionis, facilis eſt hac in parte. Accentus occaſione Sophiſmata non facilè finguntur, utiq; citra ſcriptum: ſed in ſcripto tantùm, & poëmatibus. Locus Homeri citatur ab Ariſtotele: nam in uerbo ſenſus alter erit, ſi circunductu: alter, ſi acuto apice inſcribatur: & ubi de ſomno loquitur, δίδομεν δὲ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, taxatur. ſed ſoluitur, quòd nõ ipſi Iupiter dixerit, ſed inſomnio iuſſerit dare. Dictum eſt de laqueis deceptionum in dictione poſitis, nunc ad extrinſecos, & peregrinos trãſeamus, hoc eſt, ad eos, qui in rebus poſiti ſunt: nam Ariſtoteles in Rhetoricis ponit locum alium in ea ſede, quæ accentum continet, nõ enim orator utitur deceptione accentus, quia citra ſcriptionem accentus deceptio nulla eſt: loco igitur huius ponit amplificationis ſedem. Quoties igitur augetur res & exornatur, antequam probetur, toties hæc fallacia tenditur: de hac & ſuperiori Fabius libro nono, locum autem hunc dicit intendere crimen. Primus autem extra dictionem ponitur ab accidente locus, qui fit quoties eadem omnia & in accidente pariter, & in re ſubiecta, quis ineſſe poſtulat. Cùm autem multa eidem generi accidentia ſint, non eſt neceſſarium, ut illa omnia, & prædicatis, & ijs, de quibus hæc prædicantur, inſint. Alioquin omnia fieri eadem inter ſe, contingeret. eiuſmodi eſt, quod Sophiſtæ afferunt, ut ſi Coriſcus

alter à Socrate contendatur, eſt autem homo Socrates, ferè ut alter ab homine Coriſcus negari non poßit, quoniam à quo alterum eſſe Coriſcum conceßit, huic acciderit hominem eſſe. Locus ab eo, quod ſimpliciter, ad id, quod ſecundum quid eſt, tunc captat, cùm id, quod parte uerum eſt, tanquam omnino uerum ſit, capitur: uerbi gratia, Aethiops albus eſt dentes, ergo æthiops albus eſt. non ualet: parte enim quadam, non in uniuerſum eſt albus. Tertia forma per ignorantiam Elenchi abſoluitur, Elenchus eſt contradicentia in uno & eodem non uocabulo demum, ſed negotio. Item in uocabulo omnino eodem, item ut ex neceſſario, ex conceßis eueniat, ut ne id, quod in quæſtione eſt, adhibeatur in numerum cum ſumptis. Item ut penes idem & ad idem, & eodem reſpectu, & ſub idem tempus reddatur. Aliqua porrò una ex ſupradictis conditionibus prætermiſſa coarguere diſceptantem uidentur. Quartum genus erat, cùm id aſſumitur, quod ab initio uerſabatur in controuerſia: uidetur autem impedire aduerſarium ex eo, quòd is, quid idem, quid diuerſum ſit, non poteſt perſpicere. Quintum genus à conſequentibus fit, de quo etiam in Rhet. ſicut & de eo, qui ab accidente ſumitur: Et de eo, qui ab abſoluto & ſimpliciter ſumpto, ad id, quod eſt in parte, ſumitur: is fit, quoties reciprocare aliqua, quæ non reciprocant, creduntur. Apud rhetores probationes, quæ à ſignis ducuntur, ex conſequentibus pendent: nam probare adulterum quem uolentes, id quod adulteros conſequitur, ſumunt, quòd comat ſe, quòd uagari noctu conſpiciatur: atqui multis quidem ineſt, ut & ſe comant, & noctu errent, quibus tamen prædicatum non ineſt, ut ſint adulteri. Sextum genus eſt, cùm quid inſtituitur pro cauſa, quod tamen non eſt cauſa. Vltimum cum plures quæ ſunt, una tamen uidetur interrogatio. Ita euenit, ut quoties id nos latet, una reſponſione, quaſi ad unam intentionem contenti ſimus occurrere. Atque is breuißimè modus fallentium

ſentium omnium eſt explicatus. Reliquum eſt, ut ad argumenta ſoluenda ueniamus. Cicero idem dicit in ſecundo de Oratore, quod hic Ariſtoteles. Argumento reſiſtendum, inquit, aut ijs, quæ probandi eius cauſa ſumuntur reprehendendis, aut demonſtrandū id quod concludere illi uelint, non effici ex propoſitis, nec eſſe conſequens: aut ſi ita non refellas, aſſerendum eſt in contrariam partem, quod ſit aut grauius, aut æquè graue: illa autem, quæ aut conciliationis cauſa leniter, aut permotionis uehementer aguntur, contrarijs commotionibus inferenda ſunt, ut odio, beneuolentia, miſericordia, inuidia tollatur. hæc Cicero. Eadem & Ariſtoteles: quæ quoniam hic clara ſunt, & etiam in primo libro, ſatis dilucidè ex Analyticis excerpta, ideo ſuperſedebo de ijs amplius dicere. Reſtat ut de argumentorum uſu dicam, ut pollicitus ſum: at quia hoc in tertio libro tranſigetur, ubi de uſu, & tractatione omnium rerum inuentarum dicetur, ideo illuc me referam.

RHETORICORVM

ARISTOTELIS

LIB. III.

Series dictorum, & dicendorum. CAP. I.

QVONIAM habentur tria, quibus omnis iuſtitutio dicendi continetur: Nam primùm inuenire oportet, quibus fides fiat: Deinde cōcepta, cogitataq; eloqui. Poſtremò inuenta commodè, atq; aptè diſponere. De inuentione his, quæ in ſuperiores libros collata ſunt, diximus: ſimul enumerauimus tria illa, quibus iudici perſuadetur, quæq; ad fi-

dem

dem faciendam ſolæ ualent. Nulla enim ratio ſupereſt ad perſuadendum, ſi eos, qui audiunt, ad quemcunque cauſa poſtulat motum uocaueris: ſi per commendationem eorum, pro quibus dicitur, conciliaueris: ſi argumentis, & probationibus docueris uera eſſe, quæ defendis. Dictum eſt etiam quibus ex locis ad eas tres res ducatur oratio, hoc eſt, unde Enthymemata eruantur. Sunt enim quædam Enthymematum non loci, ſed genera: quædam contrà loci, non genera. Conſequens eſt ut de Ornatu, & Elocutione dicatur. Vacua enim, & inutilia ferè ſunt priora, ſi ignoraueris quemadmodum ea, quæ mente conceperis promere, & ad audiẽtes proferre conueniat. Quod qui commodiſsimè facere poteſt, uel hoc ipſo cõſequitur, ut eius oratio uideatur probabilis eſſe. Ac primùm quidem ordine naturæ executi ſumus res, quibus fides conſtat: deinceps agemus, quemadmodum collocare, & eloqui illas oporteat. Tertia uidetur pronuntiationis, & actionis cura inter maximas quidem illa, & potentiſsimas habita, ſed nondum in artem relata. Nempe ratio illa ad Tragœdos, & Comœdos ſero peruenit. Nam Poëtę ipſi initio Tragœdias ſuas agebãt. Quare genus hoc etiã ad Rhetoricen pertinet, quoniam ad Poëticen pertinet. Ad hanc igitur partem & Glauco Teius, ut nonnulli ante ipſum, aliquas præceptiones adiunxit. Eſt autem tota ea ratio in uoce ferè poſita, ut ſecundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumq; habitus, conformanda uox ſit, ne ab oratione diſcordet: uidelicet quando percreſcere, quando ſummitti, quando mediocriter tolli, intendiq; debeat. Diſtinguũt & accentus uocem, interim ut grauioribus retardetur, interim decurrat acutis, aliquãdo recumbant in medijs. Numeri quoq; conſtituunt diſcrimen. Nam tria ſunt,

que

quæ in actione ſpectantur: Modus, Conuenientia, Numeri. Verùm multi, ſaltem infantes, actionis dignitate famam bene dicendi tulerunt. Atq; ijs ferè in contentionibus fori primæ conceduntur, qui in ea re plurimum ualent. Documento ſunt uel ſcenici actores: illi rebus, quas fingunt, plus quàm Poëtæ ipſi adijciūt gratiæ. Ita & in forenſi certamine propter corrupta iudicia ciuitatum, & mores, frequentius uincūt qui melius, fortiusq; pronunciant. Nondum tamen edita eſt ars ad eam rem ulla. Nam & elocutionis ipſius ratio ſera & ipſa prodijt. Ac uidetur quidem actionibus oculis intuenti minus honeſta res eſſe artificio quodam, illecebrisq; uerborum uoluptatibus audientium ſtudia hominum, & uoluntates impellere. Sed cùm uniuerſa inſtitutio dicendi, ex opinione, oſtentationeq; pendeat, huius quoque partis præcepta non ſunt negligenda. Non quòd probem id genus: ſed quòd neceſſariū eſſe eius ſtudium putem ad uitam. Erat mehercle iuſtiſsimum, ut nihil forinſecus conquireretur, nullis affectibus iudices permouerentur, non dolore, non uoluptatibus à uirtute depellerentur, demum non alio præſidio omnes uterentur in cauſa, quàm rerum ipſarum. Cætera, quæ extrinſecus arceſſuntur, ſuperuacua, & ambitioſa cenſeri. Verùm, ut dixi, magnæ ſunt uires nitidæ, ornatæq; orationis, idq; uitio audientium prouenit. Alioquin non ignoro, in omni præceptione nōnihil eſſe momenti, quo quicq; modo eloquaris. Refert enim fere ſemper, aliquid hoc, an illo modo quid doceas. Non tamen conceſſerim tantùm poſſe, quantum uidetur ſponte naturæ: ſed uis eius rei omnis, ex eorum qui audiunt ingenio, exiſtimationeq; conſtat. Quo fit, ut Geometriā nemo doceat eo modo, quo cauſæ dicuntur. Igitur Elocutio cùm accedit, fe-

rè uim exprimit talem, quam Pronunciatio. Planè ea de re quidam pauca ſcripſerũt, ut Thraſymachus in Commiſeratione. Atq; eſt natura ferè omnibus inſita ratio pronuntiandi quoquo modo quæ uolunt, proindeq; artificij minus capax: cultũ uerò, & ornatum, nemo niſi arte aſſequi poteſt. Quare hoc maximè orator oratore præſtantior, quemadmodum & pronuntiatione. Nam duæ ſunt res quibus pollet oratio, Senſus, & Verba. Sed tamen uerborum ornatus plus poteſt fere in ſcripta oratione, quàm ſenſus: ac Poëtæ quidem aliqua uidentur priores in hoc genus ingreſsi mouiſſe. Sunt porrò nomina imitationes rerũ, & uox ipſa ex omnibus partibus huiuſmodi attributis mentis uelut exemplar ad imitationem, & expreſsionem aptiſsima eſt. Atq; hinc artes illæ profectæ ſunt, Comœdorũ, Mimorum, Actorum, & eius generis reliquæ. Quoniã uerò Poëtas non grauitas ſententiarum, & rerum, quam illi minime conſectantur, ſed ſublimitas uerborũ, & magnificentia commendabat: hinc ortum eſt, ut Poëtica dictio prior inoleret, atq; reciperetur, qualis eſt ea, quam ſecutus eſt Gorgias. Nunc quoq; plurimi ex indoctis eos arbitrantur optime dicere, qui genere illo poëtico delectantur. Cæterùm non eſt ita, ſed diuerſa eſt elocutio, quæ ad Oratores ſpectat, ac ea, quæ propria eſt Poëtarum. Hoc uerò ab euẽtu illo cognoſcitur, quòd qui Tragœdias hac ętate conſcribunt, non utuntur numeris, quibus priores illi ſunt uſi: ſed quemadmodum ex tetrametris ad iambos tranſitum fecere, propterea quòd genus id carminis ſolutæ orationi ſimilimum uidebatur: pariter & à uocabulis receſſerunt, quæ iam à ſermone quotidiano, & à cõmuni conſuetudine abhorrebant: ab hexametris quoque, quæ recentes Poëtæ fingunt, reiecta, exploſaq; ſunt

uerba

uerba illa, quibus ueteres Poëtæ ſcriptiones ſuas ornabant. Quamobrem ridiculum fuerit imitari uelle dicendo eos, quos ipſi Poëtæ fingendo negligunt. Quare perſpicuum arbitror eſſe, non oportere me de ratione elocutionis uniuerſa diſſerere, ſed de parte duntaxat, ea uidelicet, quæ ad dictionem oratoriam pertinet. Nam de altera in commentationibus noſtris de Poëtica diximus: illuc ergo huius rei ſtudioſos relegamus.

DANIELIS BARBARI IN TERTIVM RHETORICORVM ARISTOTELIS COMMENTARII.

QVONIAM habētur tria, quibus omnis inſtitutio dicendi. *Quot modis, quotq; rebus hominum mentes excitarentur, conciliarētur, & docerentur, dictum eſt hactenus, & inuentio rerum accommodatarum explicata eſt:* Reſtat *oſtendere, quibus uerbis, & qua oratione ea commodè faciamus, ut ſcilicet doceantur, concilientur, & moueantur homines: ſic enim naturæ ordo poſtulat, & res ipſa monet: quoniam quid dicere, & eloqui poterimus, niſi res ipſæ prius habeantur? & quomodo adhibere res ad animos ualebimus, niſi oratione & loquutione? Cæterùm ut ſermonis uſu homo belluis præſtat, ut eloquentia homo hominem excellit, ſic etiã ornatu & cultu orationis orator oratorem ſuperabit. Cultus igitur orationis uarius eſt, habitusq; diuerſus: quoniam non omni cauſæ, nec auditori, neq; perſonæ, neq; tēpori cōgruere unum genus uidetur.* Nam *& cauſæ capitis, ut ait Cicero, aliũ quendam uerborum ſonum requirunt, alium rerũ priuatarum, atq; paruarum, & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud ſermones, aliud cōſolatio, aliud obiurgatio, aliud*

hiſtoria deſiderat. Sed & affectus ipſi, & conciliationes, alio atq; alio dicendi genere exprimuntur: neq; modò uarium eſt orationis genus: ſed & pronuntiationis, & actionis. Pronunciatio *enim &* Actio *maximè in oratore requiruntur: nã q; ut ait* Cicero, Actio *una in dicẽdo maximè dominatur, ſine hac ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt, mediocris hac inſtructus ſummos ſæpe ſuperare.* Omnis *item motus animi ſuum quendã à natura habet uultum, & ſonum, & geſtum: totumq; corpus hominis, & eius omnis uultus, omnesq; uoces, ut nerui in fidibus, ita ſonant, ut à motu animi quoq; ſunt pulſæ.* Cum *hæc igitur ita ſint, de uniuerſis dicendi ac proferẽdi generibus, ita dicemus, ut de affectibus dictum eſt: ſpecies enim quædam totius orationis oculis ſubijcietur, & pronũtiandi regula: modò illud ita eſſe ſtatuamus, hinc* Naturam *eſſe, inde* Artem. In Na*tura eſt anima, eſt res: in* Arte *eſt orationis cultus, & pronunciatio.* Cùm *igitur* Anima *ſit ea, quæ moueri debeat,* Res *erũt, quæ mouebunt. Sed* Res *mouere non poterũt, niſi oratione adhibeãtur: ac oratio ut uim rebus addat oportet: hoc uerò nunquàm ſatis efficiet, niſi rebus conſona, & conformis habeatur: porrò oratio uim ſuam habebit, ſi ſimili actione roborata proferetur.* Anima *igitur prima eſt, in qua rectam opinionem inducit* Orator: *deinde* Res, *quæ animæ partes excitant: ſunt enim animæ partes, mens, iracundia, cupiditas.* Tertio *loco* Oratio *his tribus rebus accommodata, ultimo loco* Actio *collocatur.* Hæc *enim omnia, ſi quid efficere inſigne, ac præclarum debẽt, quàm ſimilima inter ſe, & conſentientia maximè eſſe opus eſt.* Cùm *igitur dictum ſit de* Anima, *de* Rebus: *reſtat ut de* Oratio*ne, &* Actione *dicatur.* Orationis *genera multa ſunt: intelligo autem* Genus *orationis formam quandam, & ſpeciem dicendi, rei qua de agitur perſimilem: hanc* Hermogenes *ideam uocat, cuius tractationem maximè oratori neceſſariã dicit: quoniam fieri non poteſt, ut ſciamus aliorum ſcripta dijudicare, ſiue ea*

ſint

ſint ueterum,ſiue recentium, niſi eam, quæ de ijs eſt, notitiam comparemus. Quòd ſi quis etiam ipſe fieri uelit orationũ artifex,& pulchrarum & excellentium,& ſimilium his,quæ ab antiquis cõſcriptæ ſunt,hoc profectò cognitionis genus eſt maximè accõmodatum, de quo ille fuſius, nos preßius dicemus: nam & illum librum traduximus, & res monet ut à longitudine ſuperſedeamus. Quot igitur genera, & quo ordine poſita, item quæ ſint efficiẽtia eorum,& qualis facultas habeatur,breuiter exponemus. Genera ſunt nõnulla, quæ à ſeipſis,& in ſeipſis cõſiſtunt, nonnulla uerò ſubiectas alias habẽt formas, & ſpecies,ut manifeſtum modo erit. Primum genus eſt Perſpicuitas,*ſub qua eſt* Elegantia & Puritas:*& quia orationi perſpicuæ & claræ nimis exile quoddam ac tenue ſubijci ſolet, ideo alterum genus erit, in quo* Amplitudo, & Dignitas *orationis ponetur.*Huic generi ſeruient Seueritas,Circunductio,Aſperitas, Splendor, Vigor, & adhuc Vehementia ipſa parum ab aſperitate mutata. Sed non euidens tantùm, non ampla eſſe debet oratio,ut ab ea iucunditas abſit,& pulchritudo:quare fit, ut accurata, & pulchra inſpiciatur. Sed his omnibus addendum eſt genus illud uelox, & concitatum, & in primis aliud moratum,& aliud ſimplex,& aliud uerũ: ad hæc omnia acutum,ſuaue,& ſpecioſum genus adijciendum: atq; ita erit negotium hoc abſolutum, cùm de omnibus dictum erit. Atque hæc ſunt genera omnia dicendi,ſed unumquodq; conſtat his partibus,Sententia,Artificio,Dictione,Figura,Membro,Collatione,Clauſula,Numero. Aliæ enim ſententiæ graues,aliæ iucundæ,aliæ ſunt alterius generis: ratio par de artificio,quo genera conſtituentur,deq; alijs partibus. Fieri tamen poteſt, ut diuerſa genera conueniant in harum aliqua parte, utputa quòd idem numerus duobus ſeruiat,eædem ſententiæ & figuræ plura conficiant genera,membra,dictiones,& clauſulæ eædem ad purum poßint accommodari, Atque ut hoc infrà patebit, ita*

& illud notum fiet, aliquod genus præcipua conſtare ſententia, aliquod numero, quoddam artificio, quoddam re alia ex ijs. Sed nos breuiter illa octo, ex quibus ſingula genera conſtituuntur, expedire definiendo curabimus, ut finis nobis propoſitus elucere poßit. Genus primum ſiue Forma, ſiue Idea, ſiue quo alio uocabulo gaudet, nihil eſt aliud, quàm rebus & perſonis idonea & congruens orationis ſpecies & figura: ut quemadmodum ſingula animalia ſua forma & ſpecie diſtinguuntur, ita hæc orationis genera ſuis partibus differant inter ſe. Partes cuiuſq; generis octo ſunt numero. Prima eſt Sententia, quæ nil eſt præter inuentam rem uerbis explicandam: altera eſt Artificium, id eſt, ratio, & uia, qua explicari concinnè ſententia poßit: tertia Dictio, eſt uerbum, ſeu nomen ſententiæ accommodatum: ſequens eſt Figura, expolitio, habitusq; dictionum in collocatione poſitarum: Deinceps Membrum continens prolationis ſpiritus, uel ſententiam uniuerſam, uel eius aliquam partem oratione breuiter amplectens: Collocatio ſextum occupat locum numeroſa, & cõpoſitio dictionum: ſeptimum Clauſula, numeroſus & ſonorum membrorum exitus, & deſinentia: agmen Numerus claudit, concentus quidem orationis ex collocatione, & clauſula cõſtans. Poſitis his partibus, & definitis, Genera ipſa ſequuntur: horum & iam definitiones afferre neceſſarium puto: nam Definitio finis quidam propoſitus eſt, quò tendere omnium mentes præcipuè debent. Perſpicuitas eſt orationis pura, & elegans quædam forma: Puritas eſt forma clara, & aperta, nulla ambiguitate permiſta. Sententiæ purum genus efficientes ſunt, quæ cùm nihil in ſe habeant longa cogitatione dignum, communes, ac ferè peruulgatæ ſunt, ita ut ab omnibus facilè intelligantur, per ſeſe claræ, ac notæ: huiuſmodi ſunt ferè omnes narrationes ciuilium orationum: ut in quarta Verr. Herculeus ille, & Epicr. Artificium purum genus efficiens hoc ipſo conſtat, ut ab ipſa

re nuda ſtatim exordiatur, nihilq́; extrinſecus aſſumatur. Extrinſecus ſumitur quicquã, cùm contrahitur, uel genus ad ſpeciem, uel totum ad partem, uel iudicium ad iudicantem, uel indefinitum ad definitum, uel rei qualitas ad aliquam differentiam: comprehendunt etiam, & quæ ſuapte natura negotia conſequuntur, ut locus, perſona, tempus, cauſa, & huiuſmodi: arcenda enim ſunt omnia hæc à puritate ſermonis, ſi artificium ſequi uelimus: arcenda inquam penitus, uel ita, ut nihil horum ante negotium conſtituatur. Xenóphon & Hermogenes hoc genere præſtant. Dictio pura, quæ communis, uſitata, & nota omnibus eſt, non translata, non aſpera, non uetus. Figura eſt rectum. nam ſi per obliquum incipias, comprehẽſionem quandam facis, comprehenſio porro puritati aduerſatur. Membra parua, conciſa, quæq́; per ſe orationem abſoluant, puritatem faciunt: in qua re præſtitit Iſocrates. His contraria ſunt membra circunducta, & prolixa. Collocatio ſimplex nulla uocalium colliſione protenſa, & nullo hiatu diſsipata eſſe debet: deinde illa, quæ ſit ſolutæ aptior orationi, cuiuſmodi ea eſt, quæ ſit iambis, & trochæis referta, nam minus in hiatum & tumorem attollitur. Clauſula ſimplex in iambica & trochaica quadam orationis parte conſiſtens, quæ ſunt iamborum, & trochaicarum deſinentiæ. Et ſanè huiuſmodi fiat Numerus, medius enim proſæ numerus eſſe debet inter metrum, & non metrum, atq; ut ait Cicero, Verſus in oratione ſi efficitur coniunctione uerborum, uitium eſt, & tamen eam coniunctionem ſicuti uerſum numeroſe cadere, & quadrare, & perfici uolumus. Elegantes Sententiæ ſunt, quæ rem conſtituunt, & ad principium orationem deducunt, & quæ certo loco dicenda collocant, & quæ quid dictum ſit, & quid dicendum ſuperſit, oſtendunt. Ars Elegantiæ conficiendæ tum ſimilis eſt priori, um etiam, ea quæ docet, iuxta rerum naturam oratione uti, ut quæ primum geſta ſunt, primò exponantur, & quæ ſecundo,

ſecũdum.Hac uſus eſt Plato,& Ariſtoteles mirum in modum: parcius tamen Ariſtoteles,& alia deinceps ſimili forma. Cicero in Verr. *Verùm ut totum genus amplectamini iudiciorum, primùm iura Siculorum,deinde iſtius inſtituta cognoſcit.* Item illud: *Antequam de incommodis Siciliæ dicam, pauca mihi uidentur eſſe de prouinciæ dignitate, uetuſtateq́; dicenda,&* pro Deiotar. *Sed antequàm de accuſatione ipſa dicam, de accuſatorum ſpe pauca dicam.* Præterea ex rerum natura Elegans illud eſt, obiectiones prius, quàm ſolutiones ponere, de qua re loquemur in genere grauitatis. Dictio elegans, eadem quæ pura. Sed elegantiſſima Figura eſt ea, quæ definita eſt rerum copulatione,ut illud pro Sylla: *Ille ambitus iudiciorum tollere ac diſturbare primùm cum Flacco uoluit, gladiatorum ac fugitiuorum tumultu. Deinde, id quod uidimus omnes,lapidatione & concurſu.* Cicero de natura deorum: *Sed antequam de re, pauca de me.* Partitio item, & enumeratio elegans eſt. Cicero poſt reditum ad Quirites: *Partim quòd mihi inuiderent, partim quòd ſibi timerent, & reliqua.* Item pro Pomp. *Ego enim ſic exiſtimo in ſummo Imperatore.* Item in ſecundo de natura deorum, *Omnino diuidunt noſtri totam iſtam de dijs immortalibus quæſtionem in partes quatuor.* Eſt & interrogatio ſui ipſius, & per interuallum temporis reſponſio, elegans Figura. Cicero pro Milone: *Quibus de ſeruis rogas? de P. Clodij. Quis eos poſtulauit? Appius. unde? ab Appio.* Reſumptio uel rei, uel uerbi, Figuram facit elegantem. Rei, ut pro Archia: *Siquid eſt in me ingenij: & reliqua. uſque, Earum rerum omnium.* Verbi, ut pro Pompeio: *Quæ ciuitas antè unquam fuit non dico Athen. uſque ad, Quæ ciuitas antè unquam tam tenuis.* In Clauſula, Collocatione, Numero & Membro, conuenit Elegans cum Pura oratione. Sed nos ad Amplam ueniamus, in qua pondus, & dignitas ineſt: huius prima pars Seueritas eſt.

eſt. Seueritatis ſententiæ ſunt, quæ de Dijs ut Dij ſunt, decenter, ac uerißimè proferuntur, cuiuſmodi ſunt Platonis pluri- mæ: nihil enim remotius eſt à ſeueritate, quàm Poëtarum de Dijs ſermo, quem Cicero in libris de natura deorum maximè reprehendit: at ſententiæ, quæ ſumuntur à Platone ex Timæo ſeuerißimæ ſunt, ut patet in libro de Vniuerſitate Ciceron. Probitate, inquit, præſtabat: probus autem inuidet nemini. Sed & ſeueræ Sententiæ ſunt, quæ de rebus agunt maximis, ut de natura uniuerſi, de curſu annorum, de ijs, quæ in ſublimi parte geruntur. in hoc genere illud eſt Ciceron. in ſecundo de Oratore: Incolumitatis, ac ſalutis cauſa uidemus hunc ſtatum eſſe huius totius mundi, & reliqua. ubi latenter Cicero omnia hæc genera, & eorum præcepta innuit, ad quæ maxime animaduertere opus eſt. Sed oratori priores ſententiæ, ut hæ, parum conferunt, niſi explicentur duntaxat, & ſine cauſæ redditione proferantur. Tertius ſententiarum ordo ex ijs rebus eſt, quæ ſuapte ui diuinæ ſunt, ſed plerunq; in humanis cernuntur, ut de anima, de uirtutibus, de moribus, & de legibus: unde Cicero pro Mar. Cæl. Detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia, & reliqua. Item pro Corn. Bal. Sed contentio tam diu ſapiens, quàm diu aut proficit aliquid: & ſi non proficit, non obſit ciuitati. Item pro eodem: Eſt enim hæc ſeculi labes quædam & macula, uirtuti inuidere, uelle ipſum florem dignitatis infringere. Quarta ſpecies ab humanis deſumpta eſt, modò illuſtres & magnæ ſint. Artificium eſt, audacter aſſeuerare quod dicis, & ſine dubitatione in uniuerſum proferre. ut Cicero pro P. Sex. Nunquàm officio coniunctior dolor ullus eſſe poteſt, quàm hic meus. Allegoriæ, ut eſt in ſacris literis de ſerpente, & errore ipſius, quando in his perſiſtimus, artificioſæ ſunt. Item & expreßiones pluſquam dixeris, quæ emphaſis dicuntur, ſi rebus ſacris adhibeantur, quoniam à ſcientibus uidentur prouenire, magnam

& ſeueram faciunt orationem, ut illud de uniuerſitate ex Platone: Re uera bonus erat. & illud: Atq; illum quidem quaſi parentem huius uniuerſitatis inuenire diff. & reliqua. Dictiones ſeueræ ex amplo & hianti literarum ſono conficiuntur, cuiuſmodi ſunt, o & a. Item translatæ, & quæ tumorem quendam efficiunt, modò adſit temperamentum quoddam, namq; aſperitatem conficiunt immoderatæ, ac duræ. Item fictæ, & formatæ, ut quæ à uerbis in nomina commutantur, quæ per participia, & pronomina effinguntur, quales ſunt Thucydidiæ plurimæ. Seueritatis Figuræ eædem ſunt, quæ puritatis: item & aliæ, ut adiudicatio. Cicero pro M. Cæl. Etenim ſi diligenter exiſtimare iure uolueritis, ſic conſtituetis iudices, neq; diſſenſurum quenquam. Item Plato in Menexeno, ſtatim in principio orationis Aſpaſiæ illud καὶ χρὴ adiudicatio eſt. Conuerſiones, & reuerſiones in hoc genere ſunt optimæ. Membra ſunt, ſimilia puritati, breuiora & contractiora. Cice. Tu eam philoſophiam ſequere, quæ confundit uera cum falſis, ſpoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbata ſenſibus. Item ſingularum rerum ſingulæ ſunt proprietates. Collocatio quæ dactylus, anapæſtis, & pæonibus abundat: interdum uerò ab iambis non eſt abſtinendum. Clauſula, & Numerus idem cum puritatis numero, & clauſula. Aſperæ ſententiæ ſunt, quæ dignioris perſonæ non obſcuram habent increpationem ab inferiori profectam. Artificium eſt apertè & clarè abſq; ijs, quæ leniunt, increpare. Cicero in Philip. Placet eodem tempore præmia conſtituere ijs, qui contra Antonium arma ceperunt, & legatos ad Antonium mittere, & reliqua. Dictio aſpera quæ translata, & ſuapte ui dura eſt: ut, extorſit, diſcors, expers, crebrum. Figuræ aſperæ, quæ imperant: ut, Maturate fugam. & quæ interrogando coarguunt: ut in tertia Verr. Tantæ'ne tuæ Verres libidines erunt? & illud in Catil.

Quouſq;

Quouſq; tandem abutere. Membra aſpera breuia ſint oportet, ut cæſa potius, quàm membra dicantur. Componitur aſperitas ex incongruo uocalium concurſu, & ſine numero exaſperans auditum: adiuuat autem hanc aſperitatem clauſula, quæ modò in hunc, modò in illum deſinat numerum. Cicero *in* Philip.*Hoc qui non uidet, excors: qui cùm uidit, decernit, impius.* Pro Lig. *Non tu eum patria priuare, qua caret, ſed uita uis.* Hoc *genere nunquam per ſeſe uſus eſt* Demoſthenes, *ſed cùm alijs commiſcuit.* Vehemens *oratio ſententias habet obiurgantes non maiores, ut aſpera, ſed inferiores perſonas, ut* Cicero *in* Catil. Verr. Philip. *Artificium huius, &* Dictio *propria, cum aſperitate conuenit.Figura uerò uehemens conuerſione abſoluitur.* Collocatio, Clauſula, Numerusq; *ſimili ratione cum genere dicto aſtruuntur.* Illuſtre *autem, ac ſplendidum genus* Sententias *habet illuſtres, propter quas qui dicit, & qui audit, lætitiam concipit, uel quia de rebus præclare geſtis, uel de rebus decentibus habeantur.* Cic. *pro* Syl. *Ego Conſul cum exercitu perditorum ciuium clandeſtino ſcelere. & reliqua. Sententiæ igitur illuſtres bona ſpe, ac fiducia dicentem replent, & ea arte efficiuntur, ut ſine dubitatione proferantur, & cum dignitate confidenter exponantur, ſi continua narratione, & interiectione nulla dicantur, ſi honeſta honeſtius explicentur.* Explicabuntur *autem per dictiones ſeueræ formulæ conuenientes.* Figuræ *illuſtres erunt ſublatio, repetitio rei à longinquo, & à primo quaſi principio, demum quæcunq; diſſoluta, & non coniuncta ſunt, ſi longa fuerint membra, illuſtrem faciunt orationem.* Illud *in hac re animaduertas oportet, quòd ſi moderatè ad principium rei tranſeas, ac per rectum proferas, etiam ſi longè repetas, minus ſplē dida efficietur oratio, niſi ſtatim obliques, uel alteram circumductionis figurā inducas:* Quoniam *ſermo, qui per rectum abſoluitur, non poteſt in longum nimis produci: in lōgum autem* produci

produci genus hoc orationis ſplendidum, & illuſtre poſtulat. Contrà uerò purus & ſincerus eſt ſermo. Præterea genus illuſtre non magis ad res exponendas, quàm ad amplificandas, & qualitatem quãdam oſtendendam facit. Membra illuſtrantia orationem longiora, & productiora eſſe debent. Collocationes, & reliquæ partes cum ſeuero genere communicãt: cæterum tempus eſt interdum, quod trochæis uti queat, qui ſplendidam facit orationem: neq; offenditur quippiam ſplendor, ſi huiuſmodi collocatio, quæ trochaica ſit, adhibetur, modò exitus & deſinentia ipſa ſeuera efficiatur: nam huiuſmodi clauſulæ cum longa, & producta ſit oratio, numerum efficiunt ſplendidum, & ſeuerum, licet ex trochæis collectus ſit. Dictum eſt de forma ſplendida, & illuſtri, reliquum eſt ut de alacri, & uigenti genere dicamus. Huic ſententiæ tum aſperitatis, tum uehementiæ opportunæ tribuuntur. Dictiones etiam eædem, & amplius illæ, quæ ſplendidum conficiunt genus. Figuræ quoq; illuſtres, & uehementes huic formæ deſeruiunt: nam conuerſio, & obiurgatio, quæ ſunt uehementia, item repetitio à capite, & alia, quæ ſunt ſplendoris, uigentem & alacrem ſpeciem reddunt, atq; ut hoc genus omnino ex dictis permixtum ſit, Membra, Collocationes, Clauſulas, Numeroſq; habebit cum ſplendore communes: huius exemplum pulcherrimũ Ciceronis habetur in Ver. 1. Putas'ne te poſſe de maximis acerbiſſimisq; rebus, cùm cauſas ſociorum fortunasq; prouinciæ, ius populi, & grauitatem iudicij, legumq; ſuſceperis, tot res, tam graues, tam uarias, uoce, memoria, ingenio, conſilio ſuſtinere? Putas'ne te poſſe, quæ C. Verres in quæſtura, & reliqua. Quorum compoſitio ſplendida, conuerſio uehemens, repetitio illuſtriſſima eſt, unde neceſſe fuit, ut arbitror, auditores ob huiuſmodi alacritatem fuiſſe uehementiſſime concitatos. Membra in longum producta exornata ſunt, licet cæſa inter ea inuenta fuerint plurima. In-

terrogatio, conceßio, productio ſpiritus, acrimoniam & uim maximam efficere, quare nihil uigentius, nihil alacrius eo genere factum eſt. Plena, *& circunducta oratio ijs ſententijs conſtat, in quibus aliquid aliunde ſumitur, & ad negotium, de quo ſermo eſt, applicatur.* Interim *genus ad formam, interim infinitum ad finitum, aut totum ad partem: præterea quod extrinſecus per exaggerationem quandam deſumptum eſt, quanquam infinitum non aſſumatur, aliquam tamen circunductionem molitur, & parat, ut* Duo, *& maxime unum quidem hoc, alterum uerò illud.* Non *modò autem cùm quid aliunde aſſumitur circunductio eſt, ſed etiam cùm res nuda, & ſimplex non exponitur, nec per ſeſe quidem, at cum ijs, quæ negotium conſequuntur, loco, tempore, perſona, & modo.* Horum exempla *ſunt hæc:* Infinitum *finito, ut pro* L. Fl. Quòd *ſi eſſet futurum aliquando, ut aliquis de* L. *pernicie cogitaret, nunquam tamen exiſtimaui, iudices,* Decium L*ælium. & reliqua. aſſumitur hic indefinita perſona ad finitam & certam* Decij L*ælij.* In *tempore etiã hoc fit, ut pro eodem:* Si *unquã reſp. conſilium, grauitatem, & prudentiam, ſapientiam iudicum implorauit, hoc tempore, hoc inquam tempore implorat.* Totius, *uel maioris ad partem, & minus, aſſumptio eſt hoc pacto:* Nulla *dubitatio, & ſi patriæ omnia debemus, nos quoq; ipſos ei debere: qui autem ſeipſum debet, cum ſua non debere, non ueriſimile eſt.* Eſt *& illud exemplum ad hoc genus accommodatum pro* L. Fl. Etenim *autoribus, & defenſoribus omnium, tum ſalus eſſet non ſolum ciuium, uerum etiam gentium, & reliqua. in eodem etiam:* Quum *in maximis periculis huius urbis. & quæ ſequuntur.* Contrahitur *etiam repugnans repugnanti, ut pro* Mil. Etſi *uereor* Iudices, *& reliqua.* Sed *&* Amplificationes *ad hoc genus pertinent, &* Cõſecutiones *rerum uel factarum, uel faciendarum, quid oportuit fieri, quid factum ſit, quid omiſſum: hæc enim omnia annexa*

ſunt,

ſunt, & adiuncta rei, qua de agitur. Sed artificio Circumductum genus comparatur, ſi peruerſione utamur: nam in rerum ordine præpoſtero Circunductio eſt, ſi rationes propoſitionibus præferantur, aut probationes rebus confirmandis implicentur, quod interiectione quadam abſoluitur. Interiectio etiã amplificationis opportuna eſt huic generi, quòd dictiones proprias nullas habet, ſed figuris plurimis abũdat. Figuræ omnes, quæ alterum trahunt intellectum, & ſenſum, quia non planè contexta & abſoluta oratio ſit, ſed ſuſpenſus adhuc animus reſtat, & ulteriora expectat, & aliò referuntur, inter has locum primũ tenet Enumeratio. Cic. in Philip. Duo modo hæc opto, unum ut moriens Pop. Rom. liberum relinquam: alterum ut, & reliqua. Hæc figura ut breuior eſt, elegantem: ut longior, circunductam facit orationẽ. Secunda figura huius formæ Ordinatio eſt, tertia Subiectio in qua partitio quædam ſit, quarta eſt Obliquatio, quinta Partitio: ſexta Redditio, ſeptima Subcõtinuatio, ultima eſt Electio, his enim figuris Circunductio abſoluitur. At ſi ipſa in ſe redundet, & ita conficiatur, ut in eius ſententijs & figuris, ſimiles figuræ, ac ſententiæ interſerãtur, Plena oratio, et Referta dicetur: nihil enim aliud eſt oratio Plena, quàm oratio circunducta in ſeipſam redundans: hac plurimum Demoſthenes ualet. At ſubcontinuationi partitio infertur à Cic. pro Cluentio: Sed cum conſidero, quomodo mihi in utraq; re ſit elaborandum, altera pars, &c. Et iterum redditio ſubcontinuationi inſeritur, hoc loco pro A. Cecin. Si quantum in agris, locisq; deſertis audacia poteſt, tantum, & quæ ſeq. Pleniſsima autem eſt oratio illa: Qua in re ſi mihi eſſet unius A. Cecinnæ cauſa agenda, profiterer ſatis idoneum eſſe me defenſorem. & reliqua. Cæterùm ut de reliquis partibus agamus, Mẽbra, Numeri, Clauſulæ & Collocationes omnes, quæ ad alia genera ſpectant, in hoc conferri commodè poſſunt: quò fit, ut omnia genera Circunductionem recipiãt, præterquàm Puritas.

Sed nos ad Accuratam & pulchram tranſeamus orationem: Hæc Sententias nullas habet proprias, nec Artificium, ſed Dictiones puras, non aſperas, non translatas, & euidentes. Figuræ autem ſunt repetitiones, conuerſiones, reuerſiones, gradationes, traductiones, membra, diſiunctiones, tranſgreſſiones, circuitiones, coniugatæ partitiones, innouationes per negationem, affirmationes, conuolutiones, & huiuſmodi alia, de quibus Cice. in tertio, Fabius in nono, Ariſtoteles in hoc libro pertractat. Pulchritudinis autem ſtudioſiſſimus ſemper Iſocrates fuit. Membra inſignia & pulchra ſunt, quæ natura ſunt non admodum breuia, nec longiora, quàm deceat: breuia tamen eſſe poſſunt, cùm unum ab altero pendet. Collocatio pulchra uocalium concurſionem abhorret, repleri undiq; amat conſonantibus, neq; uult audiri crebrò una ſonans eademq; conſonantia, ſed molli, & placido exitu à uerbo ad uerbum tranſire debet. Numerus propè ad uerſum accedat: uerſus non ſit omnino: omnia conſonent, ſed ita ut uarietas inſit caſuum, generum, ſpeciei, figuræ, temporum, cõiugationum, modorum, perſonarum, & numerorum: itẽ numeri ſyllabarum productione exitus, aſpirationis, accentu, & quæ huiuſmodi ſunt proferãtur. Sed clauſula demum uaria ſit, & omnia quaſi habitu quodam iucundo ueſtiantur. Cumq; numerus formæ huius uerſui magis accedat, quàm cæterorũ generum, non tamen tantum accedere debet, ut numerus iucũdæ orationis, de quo inferius eſt dicendum. huius rei exemplum pulcherrimum eſt in Phædro, ubi de pulchro agitur: ibi enim Socrates de amore loquens, penè in dythirambum delapſus eſt: quid enim conuenientius erat, quàm pulchrum orationis genus ad rem pulchram accommodare? Sed hæc ſatis de Accurata, & pulchra oratione: nunc ad Celerem & concitatam tranſeamus, in ea enim uolubilitas, & mobilitas quædam ineſſe debet, quæ cùm Sententias habeat nullas, Artificio tamẽ & reliquis partibus

partibus abſolui poteſt. Artificium inciſione abſoluitur: Inciſio uerò tum Figura, tum Numero, tum etiam Mēbro & Clauſula perficitur. cùm igitur breuiuſculæ interrogationi breuiter reſpondetur, Artificiū celeritatis eſt: ut Cice. de prou. conſ. An reditus in patriam habet aliquā offenſionem? utrum apud pop. à quo miſſus eſt, an apud ſenatum, à quo ornatus, & reliqua. Item cùm uno interrogationis ſpiritu plura cæſim proferuntur, quorum una ſolutio eſt. Cice. pro Cluent. Num igitur hoc tempore cauſa mutata eſt: num alia res, alia ratio illius iudicij, alia natura illius negotij nunc eſt, ac tum fuit? Huius figuræ ſunt, immoratio, interpretatio, diſſolutio, excitatio, mēbra breuia, & cæſa clauſula pendens, cuius exitus in trochæum, numerus trochaico accedens uerſui. Simplicitatis Sententiæ eædem quæ puritatis, & quæ ſimplicibus conueniunt hominibus, quales ſunt Theocriti & Vergilij in Buc. huiuſmodi etiā ſunt eorum hominum, quos dicit Cice. Homines antiqui, qui cæteros ex ſua natura fingunt. Sed harum omnium delectus eſt habendus, non enim omnes ueniunt in ciuilem ſermonem, quia nimis apertæ, & ſimplices ab hoc genere ſeuocantur. Cæterùm uis huius generis in ſententijs poſita eſt, quoniam reliquas partes à puro genere mutuari ſolet, collocationem, numerum, clauſulam, & membra. Sed ut clarius quod dixi efficiatur, Tenue genus hoc eſt appellatum, quod ἀφελὲς dicitur Græcè: huius Sētētiæ ualde puræ ſunt, nam puerorum, mulierum, agricolarum, rudium, & omnino indoctorum habentur: hæ ad commiſerationem ualent: item quæ quaſi ad confirmationem ex arboribus, & animalibus accipiuntur, ut ore canis, & dentibus aper. Methodus puritatis huic rei conuenit, ut dixi, & is etiam cùm quis ad minuta quæq; deſcēdit, atq; in ijs ipſis magis quàm res poſtulat, immoretur. Hoc artificium ex comicis ſumendum, in quibus ſubita rerum explicatio, nemine cogēte aut interrogante reſponſio, & alia huiuſmodi reperiuntur. Iucūdam & uolu-

ptatis

pt̃atis plenam faciunt orationem fabuloſæ ſententiæ omnes, hiſtoriæq́; ad fabulam accedentes, & quales ſunt Herodoti, *quibus non plena fides adhibetur: multæ in hoc genere, & in ſuperiori* Platonicæ *narrationes habentur: item quæcunq; ſenſibus iucundæ ſunt ſingulis: ſed de iucundis rebus dictum eſt in primo libro.* In qua re *à turpibus cauendum eſt: cauere autem turpia poterimus* Permutatione, *ut* Verg. *de* Didone, Et *ſummo ulularunt uertice* Nymphæ. *aut* Translatione, & Allegoria, *aut* Ambiguo*: ut* Cice. *de Aruſp. reſponſis:* Quis *minus unquam pepercit hoſtium caſtris, quàm ille omnibus ſui corporis partibus? quis unquam nepos, & reliqua. aut cùm conſequentia, comitantia, aut annexa negotio ponunt: ut,* Speluncam Dido dux & Troianus eandem. *Artificiũ idem iucundi, & tenuis, puriq́; ſermonis.* Figuræ *ſunt, comparia, ſimiliter cadentia, ſimiliter exeuntia, peruerſiones, agnominationes, circuli, ſimile ſonantia, uariationes caſuum & huiuſmodi, quæ paſſim ab oratoribus deſcribuntur.* Collocatio *pulchra non longè à uerſu, clauſula pendens, numerus amplitudinis & dignitatis huic formæ conueniunt.* Acutum *genus ſententias habet profundas, & oppoſitas ijs, quæ ſimplici ac tenui aptantur.* Ars *eo conſtat, ut altiores ſententias planius, & humiles altius proferamus.* Acutorum *uerborum quinq; ſunt modi: primum abſoluimus, cùm uerbum ſumimus aliter ac communis uſus expetit, non minus tamen propterea proprium ſit, ſi uis eius conſideretur, ut apud* Sall. Supplicia *deorum: & ſi quis* Coitum, *pro conuentu diceret.* Secundus *modus abuſione fit: ut, uirtus inexpugnabilis.* Tertius *ſi quis eodem uerbo in eadem oratione & propriè, & translatè utatur: ut illud,* Non ego, *uiuat'ne, an mortuus ſit* Philippus, *quærito: ſed uiuat'ne, an mortua ſit* Athenienſium *magnanimitas, id maximè curo.* Extat *& illud* Catul. Epigramma *de uilla* Furni, *in uerbo* Oppoſita. Quartus, *ſi multis transla-*

tionibus referta oratio ſit: ut, Cum canes fungantur officio luporum, cui nam præſidio pecuaria credemus. Quintus eſt cùm poſterior translatio ſit duriuſcula, & à poſteriori, uel priori moliatur: ut illud Ariſtotelis in primo Rhet. capite tertio: Certè id eſt perinde, ac ſi quis eam normam, qua eſt uſurus, intortam adhibeat. hæc enim medentur illi uerbo διαφέρειν, quod duriuſcule prolatum erat. Figuræ acutæ omnes, quæ cum præmeditatione oſtendunt, & ſubtilitatem ingenij declarant, ut eſt Agnominatio illa, quæ ſtatim quod uolumus efficit: ut illud, Orator, an arator ſit, dubito. Cætera quæ hoc genus efficiunt à puritate ſunt mutuanda. Reſtat ut de Modeſto, id eſt morato, ueroq; genere dicamus. Modeſtum genus apparebit, cùm de Narratione loquemur: ibi enim quæritur, quomodo morata eſſe narratio debet: quanquam moratum, & affectum genus eſſe uideatur id, quod ſubiectis perſonis idoneam dicendi formam accommodat, ita ut ex ſingulorum natura, more, affectuq; inſtituatur oratio. Sed hoc genus amplectitur quatuor illa quæ diximus, Simplicitatem, Iucunditatem, Acuitatem, & Modeſtiam eam, de qua nunc loquimur: in qua obſeruamus, ut humanitas eius qui dicit, in tantum emineat, ut uel minoris & ſe, & ſua, quàm oporteat, uel maioris aduerſarium & eius rem, quàm ſit, efficere uideatur. Socrates ille Platonicus hac uirtute maximè excellit. Quoties igitur humilem de ſe quis ſententiám profert, is artificio genus hoc tractat: præſertim ſi uerba pura & ſimplicia ſint, & figuræ per occupationem abſoluantur, aut uera prætermiſſione, aut prætermiſſionis quadā præmonitione, aut abſq; præmonitione occupando. Prioris exemplum eſt: Quorū ego nihil dico nunc, patres conſcripti, hominem ipſum relinquo, de prouincia diſputabo. Poſterioris, ut pro Plan. Nullus erit tam immemor meorū nō dicam in bonos meritorum, ſed bonorum

norum in me. Medij ratio patet de Prouincijs conſul. Mitto quòd eas ita partas habent hi, qui nunc obtinent, ut non antè attigerint, quàm hunc ordinem condemnarent. Cætera in hoc genere puritatem, & ſimplicitatem amant. Veritas, eſt qua conficitur, ut quòd auditori perſuadere uelis, id tibi prius ſit perſuaſum. Hinc egregia illa manant præcepta Ciceronis de tractandis affectibus: hinc inuentum illud expreſſum Fabij, ubi de permouendis affectibus loquitur: hinc Horat. Si uis me flere dolendum. Summa enim, inquit Fabius, circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, ut moueantur ipſi: in quibus enim uis mentis & morum ueritas ineſt, in his pondus, & ratio perſuadendi maxima. Atq; ut hoc præſtare poßimus, primum eſt præceptum, ut apud nos ualeant illa, quæ ualere apud iudicem uolumus, afficiamurq́;, antequam afficere conemur. At quomodo id fiat, ut afficiamur, altero monet præcepto, quo ſe ipſum oſtentat, & id experientia ſe comperiſſe, ac uſu rerum affirmat. Quas, inquit, Græci φαντασίας *dicunt, nos ſane Viſiones appellemus, uel Viſa, ut ait Cice. per quæ imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, ut eas cernere oculis, præſentes habere uideamur. Has quiſquis bene cœperit, is erit in affectibus potentißimus, & reliqua. Veri igitur & efficaces erimus in dicendo, ſi perſuaſio uim in nobis acquiret, inde ſuum in auditoribus opus efficiet. Veritatis Sententiæ nullæ ſunt propriæ, cunctas enim ita componi debere arbitramur, ut efficta non uideantur. Artificium eſt præcipuum, ex abrupto in affectionibus certis quibuſdam uerbis incipere: ita enim natura comparatum eſt, ut affectiones noſtras primo ſtatim tempore aperiamus: inde cur ita ſimus affecti, rationem reddamus. Huius rei obſeruantißimus Maro fuit: Dißimulare etiam ſperaſti perfide tantum Poſſe nefas? Item illud, Per ſydera teſtor, Per ſuperos atq; hoc cœli ſpirabile lumen. Et illud, Heu fuge nate dea. & reliqua.*

B 2 liqua.

liqua. Sed reſpondere obiectionibus abſq; ulla præparatione, huius artis eſt, uel prius ſoluere, quàm obijcias, uel obiectioni ſic reſpondere, ut ex ſolutione quid obiectum ſit, uel obijci poßit, intelligatur. Cicero pro Mil. *At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui. Quid ſi hæc non dico maiora fuerunt in* Clodio, *quàm* Milone, *ſed in illo maxima, nulla in hoc? Quid uultis amplius?* Reuerſio *item à digreßione ueritatis ſpeciem habet, uidemur enim à re admoneri: & correctiones quædam. Verba pro rerum uarietate diuerſa: in iracundia aſpera, & acria: in commiſerationibus pura, & ſimplicia:* Figuræ *item rebus accommodantur: iratus aſperas, acresq; conficiet: ſedatus lenes, & puras: lugens ſimplices ac tenues.* Membra *in uehementioribus affectibus breuiora.* Collocatio, Clauſula, Numerusq; *aſperitatem ſapiant, & non nimis ad iucunditatem inclinentur.* Grauitas *quæ in uerbis & oratione poſita eſt,* Sententias *habet acutas, ſubtiles, altas, & quæ non à quouis, ſed à prudentißimis tantùm excogitari poſſe creduntur.* Artificium, *non uulgare, ſed amplum, & ſententijs idoneum.* Verba *noua, grandia, uehementia, aſpera, durius translata, quæ tamen naturam rerum non nimis excedant, minus uſitata, & omnino non inſoluta.* Propria *huius generis* Figura *eſt conuolutio, & quæ præcipuè interrogationis ſpiritu prolata eſt. ut de prouinc. conſul. Quæ enim homini, in quo aliquid, ſi non famæ pudor, & ſupplicij timor eſt, grauior pœna accidere potuit, quàm non credi literis his, quæ rem bene geſtam in bello nunciarunt. Sed hæc de Artificio &* Figuris *ſint ſatis.* Membra *uerò, &* Collocatio, *&* Numerus, *maiora & ampliora, quæ dignitati, ſplendori, uigori & circunductioni conueniunt. Hæc ſunt, quæ potui quàm breuißimè de Generibus dicendi hoc loco afferre, quæ cùm ad uniuerſum hunc librum maximè faciant & intelligendum, &*

comment

commentandum, non ab re iudicaui ex Hermogene *haurire, ex cuius fonte omnis delectatio ſumi poteſt, quemadmodum ab* Ariſtotele *rerum inuentio manat, & fluit.* Nos *ergo ad* Ariſtotelem. Is *primo loco, ut ſemper facit, quid abſoluerit docet, inde monet de qua re ſermo habendus ſit:* Hoc *enim, ut dixi, puritatem ſermonis maximè parat.* Propoſitio *eſt,* Poſtquam *de inuentione diximus, de elocutione dicendum eſt.* Probatio: Nam *de ijs rebus agendum eſt poſtea, ſine quibus priora nihil ualent. Cùm igitur inuentio rerum inutilis ferè ſit, niſi adſit elocutio, neceſſariò ſequitur, ut propoſitio noſtra ſit uera, ut ſcilicet, poſtquam de inuentione dictum ſit, de elocutione loquamur.* In *hoc neceßitatis genere eſt tractatio de actione. Actio enim eſt quædam corporis eloquentia, de qua* Tullius *in fine tertij de* Oratore, *& ad* Herennium *pulcherrima tradit præcepta.* Nomine *autem* ὑποκρίσεως, *non tam elocutionem, quàm actionem intelligit Ariſtoteles.* De *actione igitur & pronunciatione loquatur, cuius uis potentißima eſt in oratore, & nondum (id eſt temporibus Ariſtotelis) eſt in artem relata: ratio eſt, quia ſerò ad* Poëtas, *à quibus mutuata eſt, peruenit: ſerò autem peruenit, quia* Comici, *&* Tragici, *&* Poëtæ *alij, ſuas ipſi fabulas agebant, & recitabant.* Quare *cùm* Poëtices *hoc munus pronunciandi & agendi ſit datum, non ab re ſequitur, ut oratori quoq; commune fiat. atq; huius ratio eſt, quoniam oratoria uis in imitatione quadam poſita eſt, ut* Poëtarum *facultas: immitatio autem illa oratione & actione perficitur.* Ῥαψωδίαι, *propria* Homeri *carmina ſunt, quæ ideo ſic appellata, quoniam cùm prius diſperſa eſſent, poſtea collecta ſunt. Sed hac appellatione omnis heroicorum carminum ſcriptio nominata eſt. Sed* Hermolai *uerba* Comœdiam *habent, non* Rhapſodiam. *puto ego ibi eam correctionem ex aliquo libro aſſumptam. Sed nihil refert.* De *actione igitur multi tractare conati ſunt, inter quos* Glauco

Teius aliquas præceptiones adiunxit. De Glaucone Plato *in* Ione *de furore poëtico, & de* Rep. *ſed ad actionis uſum atq; laudem, maximam ſine dubio partem* Vox *obtinet, quæ non minus neceſſaria eſt, quàm ſuperiora illa. quæritur enim hoc loco quid proprium, quid attributum ſit oratori, in quo genere ut* Inuentio *poſita eſt, ita etiam* Dictio *collocatur, in quo poſita uis ea eſt, quæ uerè dicitur* Eloquentia. Dictiones *primùm tria poßidere debent: quorum primum eſt, ut ſint intelligibiles: deinde, ut iucunditate aures noſtras repleant: mox ut ampliorem, uel depreßiorem faciant rem: & hac de cauſa fit, ut oratoriæ dictiones à* Dialectico *etiam conſiderentur, quoniam hæc ſunt propria quæ inſunt in uniuerſum* Dictioni. Verùm *de attributis proprijs ſingularum gentium non* Dialecticus, *ſed* Orator *conſiderat:* Orator *enim ſingulis gentibus perſuadet: at ſingularum gentium, ſingulæ ſunt linguarum proprietates, quas qui perſuadet, obſeruare maximè debet.* Sed *antequàm de* Dictione *ſermo habeatur, neceſſe eſt ut de ijs loquamur, quæ* Dictionem *adiuuant, ut intelligentiam & cognitionem pariant, iuuantq; ut uis penetret, & inſideat in animis auditorum: hæc res* Actione *perficitur.* Actionem Hipocriſim *uocauit* Ariſtoteles, *eò quòd oratores in hac parte nimis ſimilimi ſunt.* Actio *cùm in* Voce, *tum in* Geſtu *poſita eſt:* Vocis *moderatione perficitur, ut ſecundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumq; habitus loquamur, ne ab oratione diſcordet.* Aliud *enim uocis genus iracundia ſibi ſumit, aliud metus: ibi enim acutum, incitatum, crebrò incidens uenit: hîc demiſſum, hæſitans, & abiectum: atq; ut in uoluptate effuſum, lene, tenerum, hilaratum, ac remiſſum, ita in ui contentum, uehemens, & imminens quadam incitatione grauitatis: & in moleſtia, ſiue comprehenſione graue quiddam, & uno preſſu, ac ſono obductum.* At q; *hæc ſunt, quæ uocis moderatione conficiuntur: accentu enim,*

& ſono

& ſono uocis res mirabiliter exprimuntur. Geſtus autem figuram poſcit: Figura uel ad totum pertinet corpus, uel ad partem. Oculi ſunt principes in hac re, quorum tum intentione, tum remiſsione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum ſignificemus aptè cum genere ipſo orationis, eſt enim actio quaſi ſermo corporis, quo magis menti congruens eſſe debet. Oris non eſt nimirum mutanda ſpecies, ne aut ad ineptias, aut ad prauitatem aliquam deferamur. Manus autem minus arguta, digitus ſubſequens, uerba non exprimens, brachium procerius proiectum, quaſi quoddam telum orationis, ſupploſio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut definiendis. Sed in uoce tria ſunt obſeruanda: primum eſt Magnitudo, quæ intentione, remiſsione, & inflexione conſtat: pòſt Harmonia, quæ cum tenore acuto, uel graui, uel medio conficitur: inde Numerus, in quo ordo eſt in motu, & tempore, de quo & ſuprà diximus, & dicemus inferius. eſt enim Rythmus, quicquid ſub aurium menſuram aliquam cadit, etiam ſi abeſt à uerſu. Poſtquam hæc Ariſtoteles dixit, reſpondet obiectioni tacitæ: nam ubi agendi uim potentiſsimam oſtendit, & declarauit, hac ipſa infimos ſæpe oratores ſummos excedere, ac in contentionibus fori plurimum ualere: uiſus eſt rem nimis fucatam & damnabilem attuliſſe: atq;, ut ait Cicero, nimis enim inſidiarum ad capiendas aures adhibetur, ſi etiam in dicendo numeri ab oratore quæruntur. Hoc enim lenocinium non eſt diuerſum ab eo, in quo mouentur affectus. Quare quemadmodum affectus ſunt extra rem, ita & uoluptas numerorum, quæ tanquam perniicioſa res amouenda eſt. Fateor, inquit Ariſtoteles, adiectiones omnes ab hac arte alienas eſſe, ſed ratio nos eadem ad actionis, & orationis præcepta mouet, quæ ad animorum permotiones explicandas antea permouebat. Hoc enim totum fit auditorum cauſa, uel quia ueris rationibus per-

 ſuaderi

ſuaderi non poſſunt, uel quia cùm non uerentur, ne compoſitæ orationis inſidijs eorum fides attentetur, gratiam quoq; habent Oratori *aurium uoluptati deſeruienti, ut ſit argumentum à perſonis. Sed & à rebus ipſis probat* Ariſtoteles *maius ſtudium in elocutione, quàm in permotionibus eſſe ponendum, uel magis debere eum in* Rhetoricis *de oratione, quàm de affectibus pertractare: quoniam oratio, & elocutio magis rebus conuenit, quàm affectio: plurimum enim refert, quo quiſq; modo quicquam eloquatur.* Maxima *certè res inter & ſermonem conuenientia eſt: unde qui oratione mouetur, ipſis rebus ferè moueri iudicatur. Affectus ualde alieni ſunt. Sed quanquam* Elocutio *ad ſuadendum ualet, ut dixi, non tamen tanti facienda eſt, quanti plures arbitrantur, qui huius artis ſtudioſi ſunt: namq; omnia hæc ad oſtentationem, & ad fallendos iudices accommodantur. Signum rei huius eſt, quòd in diſciplinis tradendis nemo eſt, qui hoc modo utatur, & doceat, ut facit* Orator, *& is, qui in cauſis dicendis laborat.* Nemo *enim ornata oratione* Geometriam *docet, ſed ſimplicioribus uerbis contentus, ſenſum rebus aperit accommodatum: quod ſi hanc in partem dilaberetur, eius quoq; oratio uicem ſubiret actionis, & geometricos excederet fines. Cæterùm cauſa eorum, qui audiunt, numerus, ornatus, atq; ipſum adhibetur orationis inſigne.* Aures *enim, & animus aurium ſuauitate excitatus naturalem quandam in ſe continent uocum omnium mentionem. Sed de hac re,* Ariſtoteles *ait paucos pauca ſcripſiſſe, ut* Traſimachus *in* Commiſeratione, *ita enim librum inſcripſit, de quo* Plato *in* Phædro, *ſi rectè memini. At de* Numero, *&* Elocutione Tullius *in* Oratore *copioſiſsimè tractat. Sed quæ nam differentia eſt inter* Pronunciationem *&* Ornatum, *ex ea parte, quatenus ad artem pertinent? niſi quòd* Pronunciandi *uim natura ipſa*

ipſa conciliat, proindeq; minus eſt artificij capax: Cultus uerò, & ornatus arte potius, quàm natura comparatur: quare olim propoſita erant præmia his, qui in hac parte præſtabant: ſic enim interpretor: ut & ijs, qui agendo, & pronuntiando plurimum ualebãt. γραφόμεναι, *orationes pigmentis uerborum refertæ plus poſſunt merito ſermonis, quàm ſenſus.* Cœperunt *porrò* Poëtæ *prius mouere, non arte, ſed ut à natura ipſis tributum erat. ſic enim uerterem id, quod* Hermolaus *dixit,* Ac Poëtæ *quidem aliqua uidentur priores in hoc genus ingreßi mouiſſe. nam in his uerbis deeſt illud,* ὥσπερ πέφυκεν: *ita enim natura ipſa poſtulabat, quoniam uerba ipſa ſunt rerum imitationes.* Fingebant *uerba* Poëtæ, *& hoc modo mouebant, & uox aderat, quæ res omnes imitari facilimè poterat.*

Hinc artes illę Mimorum, Tragœdorum, Actorũmque profectæ ſunt. *Sed ut Poëtica dictio, & uerſus inuentus eſt ratione aurium, obſeruatione prudentium, commendatione hominum, ſic in oratione animaduerſum eſt, multò quidem ſerius, ſed eadem natura admonente, gloria ſuadente, eſſe debere quoſdam curſus, concluſionesq; uerborum, & uerba magnifica, & ſplendida, ornataq; ad aures hominum accommodanda: quod quidam cùm intemperantius facerent, reprehenſionem potius, quàm laudem retulere: quoniam non cognoſcebant quid intereſſet inter* Poëticam, & Oratoriam dictionem. Quod *argumento illo apertißimè demonſtratur, quòd oratio quotidiano ſermoni eſſe quàm ſimilima debet: quòd ſi tragici priorum* Poëtarum *numeros utpote alienos ab uſu mutarunt, quid agendum eſt oratori? Locus eſt à minori ad maius. Si poëtæ qui minus cauere à numeris debent, propterea cauent, ut ſermonem facilius imitentur, quãtò magis id oratori eſt obſeruandum?* Ratio *par in dictionibus obſeruatur: nam & dictiones amplæ, & magnificæ à communi conſuetudine abhorrentes affectationem quandam pariunt: quòd ſi eas*

Poëtæ aliqui reiecere, multo magis ab Oratore fugiendæ ſunt: nam imperitorum eſt, tum numeros, tum dictiones Poëtarum orationibus adhibere. Conſtat autem ex ijs, quæ diximus, non de omni Dictione ſermonem hoc loco haberi, ſed de ea, quæ oratori propria eſt. Vnde poſtquam de ijs, quæ Dictionibus attribuuntur, dictum ſit, reſtat ut de ipſa Dictione loquamur.

De Ornatu orationis, ac de Translationibus, & Collationibus. CAP. II.

VIRTVS igitur elocutionis eſt, perſpicuè dicere: quod quidem probat argumentum illud, Quoniam ſi is, qui dicit, non docet quid uelit, fine ſuo, atque officio decidit. Deinde, uerba eligere neque humilia, neq; ſupra dignitatem rerum elata: ſed huiuſmodi, qualia ratio cauſæ, & neceſsitas poſtulat. Ac Poëtę quidem, ut non humilibus uerbis, ita ſæpe improprijs, ac minimè accommodatis utuntur. Perſpicuitas in nominum, ac uerborum proprietate conſiſtit. Magnificentia, quæ Humilitati opponitur, ex ijs uocabulis cõparatur, de quibus in libris Poëtices diſputauimus. Ac exoleta quidem peruetuſtaq; nomina, quoties inſeruntur, ſanctiorem, & admirabiliorem faciunt orationem: nam quemadmodũ aliter hoſpitem, aliter ciuem accipimus, ita & orationem, aliter quæ uſitatis uerbis, aliter quæ peregrinis ſit compoſita. Quamobrem externum hominem oleat oportet oratio, quæ admirationem uult habere, alioquin & iucundum eſt auditu, quicquid admirationem habet. In Poëſi quidem multa huiuſmodi habentur, & commodè etiam, atque honeſtè uiſuntur, quibus nitor, & ſublimitas carminis continetur: ſunt enim in eo genere tum res, tum perſonæ aliquanto excellentiores. At in orationem pedeſtrem rarius illa, & parcius incidunt. Quia inferiora, ignobiliora'que ſunt

cauſarum

cauſarum argumenta, quàm carminum. Nam & ibi, ubi illa liberiora ſunt, ſi ſeruus, aut adoleſcens multum excolerent ea, quę dicunt, aut ſi quis alius de rebus paruis grandia, & magnifica uerba intonaret, ridicula admodum, & indecora res eſſet: ut intelligi poſsit, etiam Poëtas licentiæ ſuæ habere crementum, & modum. Quamobrem latere, & diſsimulari debet ornatus, uti ne conficta, conquiſitaq́ꝫ oratio uideatur: ſed obuia, ſed innata, & ſponte, illaborateq́ꝫ ſuppetens: nam hoc probabilem, illud contrarium facit. Qui enim omnes dicendi artes aperiunt, & ornatum orationis exponunt, tanquam uidentur attentare fidem iudicis, & inſidiari. Proinde à iudicibus cauentur, improbanturq́ꝫ, ut uina miſcellanea, & factitia. Tantum'que intereſt, hoc, an illo modo agatur, quantum Theodorus à reliquis actoribus differre exiſtimatus eſt. Nam uox Theodori, ſua eius qui diceret, cæterorum alienæ uidebantur eſſe. Porrò expoliatio latet, ſi non abiectis, obſoletisq́ꝫ, ſed illuſtribus, & lectis è medio, atque ex uſu communi uocabulis conſtituatur oratio: quod Euripides primus feciſſe demonſtraſſeq́ꝫ dicitur. Igitur cùm omnis ſermo Nominibus conſtet, & Verbis, cumq́ꝫ tot ſint nominum ſpecies, quot in poëticæ libris oſtendi: primùm illud præcipiendum in ea re cenſeo, ne linguarum uarietate, ne duplicibus, ne fictis nominibus præterquàm raro, & inſolenter utamur: nam quando utendum illis ſit, infrà dicemus. Ac ratio quidem eius rei expoſita eſt, ne ſcilicet pluſquam dignitas cauſæ poſtulet, accurati eſſe uoluiſſe uideamur. Quibus autem ſoluta comitur, & expolitur oratio, ſunt Propria, Accommodata, Translata. Atq́ꝫ huius rei ſigno eſt uſus loquendi communis: omnes enim in populari ſermone, translationibus,

nibus, proprijs, accommodatis, & ſignificantibus uerbis utuntur. Quare qui hoc commodè fecerit, conſequetur, ut oratio ſimul tanquam peregrina feriat aures, & nihilominus latendo alumnum urbis ſonet, ac oleat: & propterea claros obiter ſenſus, & dilucidos habeat, quæ (ut dictum eſt ſuprà) Rhetoricæ orationis eſt uirtus. Nominum planè, quæ dicuntur Homonyma, Sophiſtæ, & captatori conueniunt: ea ſunt, quibus eadem eſt nuncupatio, non etiam ſignificatio: illi uerò per eas fraudes facile aſſenſionem extorquent. Ad Poëtas uerò Synonyma pertinent, qualia ſunt incedere, & ingredi, quæ & propria, & ſynonyma uiciſsim ſunt. Omnia hæc cuiuſmodi ſint, item quot genera translationum habeantur, quantumq; tum uerſu, tum proſa ualeat interpoſitio eius figuræ, cum de Poëtica loqueremur, executi ſumus. Tanto autem maiori id cura oratores debent amplecti, quanto ſoluta oratio pauciora habet adiumenta, quàm metrica. Perſpicuitatem porrò ſuauitatemq;, atque illam peregrini ſermonis hilaritatem efficiunt translationes, recte modo aſcitæ, neq; accipi aliunde poſſunt. Sanè oportet, ut ea, quæ Epitheta, id eſt, ad nomen adiuncta, atq; appoſita nuncupantur, & Translationes, quàm aptiſsimas, atq; accommodatiſsimas inueniamus. Conſequemur autem hoc, ſi illas ex proportione ſumemus, nam aliter ſubabſurdæ alienæq; fuerint. Quandoquidem contraria per collationem euidentiora, & illuſtriora redduntur. Quamobrem conſiderare oportet, quid cuiq; congruat, quid diſſideat: uerbi gratia, quæ ueſtes ſeni ſint aptæ, ſi iuueni purpura, & croco fulgentes, non enim idem amictus utrunq; decuerit. Quòd ſi aliquid commendare uoluero, per electionem optimorum in eo genere translationem

nem inducam: contrà peſsimorum, ſi uituperare. Hoc
ita intelligitur, quoniam in eodem genere uidentur eſſe
contraria, ſi dixero mendicare, qui nuncupat uota: Con
trà, nuncupare uota, qui mendicat: cum utrunq; ſuppli-
catio ſit, conſtituere quod dixi. Quemadmodum erat
illud Iphicratis, qui Calliam mitratum non tædiferum
appellauit, cùm ſignificare uellet initiatũ illum, & im-
peritum fuiſſe: alioquin non mitratum, ſed tædiferum
nominauiſſet: nam cùm utrunq; miniſterium pertineret
ad rem diuinam, alterũ honoris, alterum dedecoris ha-
bebatur. Item ille Dionyſij adulatores uocat: at ipſi ſeſe
artifices, & magiſtros appellant. Cõmodè igitur utrun-
que nouatur, atq; transfertur, alterum ad eos, qui ſordi-
dis operibus ſeruiunt, alterũ ad eos, qui elegantibus mu
neribus præſident. Prædones quoq; tuentur ſeſe transla
tione uocabuli mollioris, ſeq; paratores, & conquiſito-
res uocant. Ad idem exemplum licet afformare, ut eum
qui iniuriã fecit, lapſum errore: cõtraq;, eum qui lapſus
eſt errore, iniuriã feciſſe dicamus: quemadmodum eum,
qui furatus eſt, interim accepiſſe, interim rapuiſſe ui di-
cimus. Equidẽ quod Telephus apud Euripidem dixit,
Regnare capulos: item, Accidens in Myſiam, minus de-
corum, & accõmodatum putatur: quia uerbum Regna
re, dignitatem rei nimis effert, & perinde affectatio illa
non latet. Eſt & in Syllabis uitium, quoties id, quod
per translationem aſſumitur, ſignificationẽ habet aſpe-
ræ & iniucundæ uocis, ut Dionyſius, qui cognomina-
tus eſt Aeneus, in Elegis poẽſim clangorem Calliopes
appellauit. Eſt quidem utrũq; ſonus quidam, atq; uox:
ſed tamen translatio tenuis, infirmaq; eſt, quæ ex uoci-
bus minimè ſignificantibus ducitur. Damnãtur & qui
à remotis, & longinquis translationes deriuant. Nam à

propin

propinquis,& unigenijs mutuari translationem oportet, atq; ita ijs, quæ proprio carent nomine,appoſitum aliquod nomen attingere, quod ſimulatq; auditum ſit, internoſci poteſt cōſequens, atq; affine illis unde fluxit: ut eſt in illo probato carmine,quo per ęnigma officium cucurbitæ uentoſæ deſcribitur. Virum uidi æs candens feruminantem uiro: nam cum innominata illa res eſſet, atq; utrunq; applicatio quędam,& appoſitio uideretur inſtrumenti illius, adhæreſcentia feſtiuiſsimè dicta eſt ferruminatio.Omnino poſſunt honeſtæ trāslationes ex idoneis,& receptis ænigmatis ſumi:nam & qui trāsfert quodam ueluti ſcirpo,& ænigmate innotuit:ut manifeſtum ſit, rectè illud & ab honeſtis nominibus immutatum,atq; traductum fuiſſe. Honeſtas autem,& turpitudo nominum partim,ut Lycimnius ait,ſono ipſo,& ſignificatione cōtinetur,partim tertia illa ratione,qua captioſa quorundam commentatio,& argumētatio euertitur.Sunt enim qui putent,ut Bryſo,neminē poſſe turpiter loqui, etiam ſi res quamuis obſcœna apertè,ac nudo nomine enuncietur: quare ſi qua eſt rei deformitas, alia quoq; appellatione quacunq; ad intellectū eundem nihilominus perueniatur.Cæterùm hoc falſum eſt.Habetur enim ferè ſemper aliquod præcipuum,quod cum & ſignificantius alio, & ſimilius, & magis proprium ſit,rem ſignificat,& quaſi euelat,atq; ſubijcit oculis.Pręterea non eandem omnino uim hæc, & illa ſignificant: quo ipſo colligi ſaltem poteſt, alterū eſſe honeſtius, aut turpius altero: nam ut nomine utroq; res eadē honeſta, uel turpis iudicetur, ſæpe tamen non honeſtas,turpitudóue petitur:aut ſi petitur,maior tamen petitur, aut minor:quod conſequimur, ſi nō quibuſcunq; nominibus contenti,ſed certis,& proprijs eius rei fuerimus.Tranſ-

lationes

lationes igitur flectendæ, deriuandæq́ ſunt ab ĳs, quæ aut uoce, aut poteſtate, aut intuitu, aut aliquo alio ſenſu pulchræ, & honeſtæ uideantur. uerbi gratia: Melius, & cõmodius dicitur, Roſea aurora, quàm purpurea, nam rubram ineptiſsimè dixeris. Epitheta quoq;, id eſt, appoſita, interdum à uitio, & turpitudine, interdum à uirtute, & probitate ſumuntur. A' uitio, ut ſi Oreſtem matricidam uoces: à probitate, ut ſi illum eundem patris ultorem appelles. Simonides, cùm quidam certamine mularum uictor ſalarium puſillum pro carmine attuliſſet, negauit ſe in ea re operam ſuam poſiturum: ceu indignum eſſet, laudare animalia dimidio aſinos. At cùm ęquiore mercede aditus fuiſſet, ita laudauit, ut diceret, Saluete alipedum ſoboles equorum, ita quamuis mulæ gignerentur ex aſina, & equo, à nobiliori tamen parente Epithetum finxit, & indidit. Eſt & in Diminutiuo nomine quædam ueluti uis. Diminutio autem dicitur, quæ tum bonum, tum malum quod eſt, attenuat, & quaſi minus oſtendit: ut Ariſtophanes in Babylonĳs cauillaturus, pro auro, aurellum dixit: pro indumento, indumentillum: pro iurgio, iurgiolũ: pro morbo, morbillum. Cæterùm utrum feceris, modum tueri debebis. Frigiditas uerò quadrifariam in dictione cõmittitur. Primùm fictione, compoſitioneq́ plurium nominum: ut Lycophron, qui cœlum multifrontium uocauit, & grãdiuerticem terram, & anguſtocallum littus: item & Gorgias qui adulatores mendicoloquentes appellauit, & praueiuros, & probeiuros: & ut Alcidamas, Erat inquit illi animus furiarum plenus, ferox, atq; ignicolor uultus, & eorum promptitudinem futuram efficacem, atq; finiferam putauit: iam ſuadellã dicendi finiferam: & cyanocolor pauimentum maris: omnia hæc propter com-

poſitionem

poſitionem cōficta uidentur,& planè factitia:atq; unus hic modus eſt,quo friget orator. Alius eſt, quoties linguarum uarietate cōfunditur, & miſcetur oratio:ut Lycophron,qui Xerxem pelorium,id eſt,æquantem montes appellauit:& Sciro ſinnis, id eſt,uir uaſtus: & Alcidamas, qui Athyrma, id eſt,ludicrum, & apludam dixit:& naturæ Ataſtaliā,id eſt,barditatē, ſtoliditatemq;: & illud, Mentē iracundia intemperanter exæſtuantem. Tertium Frigiditatis genus in ſequentibus,appoſitisq;, ſi longa,ſi aliena,ſi crebra inculcantur.Porrò in carmine nemo taxauerit eum, qui lac candidum diceret, id genus apud oratorem redundat:eoq; epithetorum nōnulla ſunt,quæ dedecent orationem ſolutam, nōnulla quæ ſi frequentius aſciſcantur, poëticum morem oſtendunt, & detegunt.Quòd ſi aliquando ornamentis illis uti neceſſe eſt,nam uarietas hæc atq; nouitas ſæpenumero excitat,& illuminat orationem,efficiturq; ut tranſiliendo, & recedendo ab uſitatiſsimis grauitas, & autoritas dicentis maior appareat:adhibendus tamen eſt modus,ut parcè,& cùm res poſcet,utamur: Alioquin plus nocent cauſis, qui immodicè petunt hāc gratiam, quàm qui ſermone rudi: & qualem impetus cuiuſq; animi tulit, atq; ut forte effluxerit,loquuntur. Nam qui temere,ac ſponte dicūt,carent probitatibus,ac uirtutibus illis,quas oratorē habere neceſſe eſt. Eos porrò qui cooptatione eius rei nimia laborant,etiam uitium ſequuntur, quæ uitare & reformidare debet orator.Quamobrem Alcidamantis ſcripta faſtidiuntur ut frigida,quoniam epithetis utitur,non quaſi corollarijs quibuſdam,& condimētis ad uoluptatem cibi, & ſuauitatem aſpectus, ſed quaſi pulmentarijs,& edulijs ad ſaturitatem famis:adeo multus, ac putidus in eo genere eſt,& maioribus,quàm ſit opus,

& apert

apertioribus utitur, ut non ſudorem, ſed ſudorem humentem dicat:non iſthmios ludos,ſed conuentũ iſthmię celebritatis:non leges,ſed ciuitatum principes leges:non curſum,ſed præcipitem animi curſum:nõ muſæum, ſed naturæ muſæum : nec ſolicitudinem, ſed triſtem animi ſolicitudinem: nec opificem gratiæ, ſed gratiæ popularis artificem, excitatoremq; audientium uoluptatis:nec ramis ſeſe,ſed ſyluæ ramis occultum:nec corpus,ſed uerenda corporis texit: & nobilẽ animi concupiſcentiam, atq; hoc ſimul & compoſitũ eſt, & appoſitum, quò fit ut fictitium ſtatim eſſe uideatur. Per hũc modum id uitij peruenit ad ſummum.Quamobrem cùm poëticè loquantur, qui ita exornant, maximè ſequitur, ut contemnendi eſſe uideantur: nam quòd inepta ſunt illa,atque incondita, oratio quoque ridicula, & frigida redditur: quòd uerò nugatoria, efficitur obſcura. nam ut ſit acer auditor, nihilominus ſi interſerueris tenebras, obſcuritate perſpicuitas omnis obruitur.Equidẽ iunctis uti ſolemus, quoties ei rei proprium nomen deeſt, & dictio apta ad compoſitionem uidetur. Cuiuſmodi eſt parricida, & χρονοτριβεῖν, quod uſum, attritumq; temporis ſignificat. At qui nimius in eo eſt,non oratorem olet,ſed Poëtam: quare compoſitio aptiſsima eſt dithyrambico carmini,quod genus inflatum eſt,& tumens. Varietas, confuſioq; linguarum commodiſsimè in heroicum cadit,quod & dignitatem,& magniloquentiam poſtulat. Tranſlationes uerò optimè in iambicis collocãtur,quibus hodie,ut dictum eſt, fabularum ſcriptores utuntur. Eſt autẽ & quartus frigiditatis locus in trãſlationibus: ſunt enim & trãſlationes multæ incõditæ, & ſubabſurdæ: aliæ quàm ridiculæ, qualibus comici delectantur. Aliæ,quia nimis ſeueræ,graues,ac tragicæ. Aliæ,quia

durę, & uehementer obſcurę, id eſt, à longinqua ſimilitudine ductæ: ut Gorgias, qui negotia uireſcẽtia, & exanguia nuncupat. Tu uerò ſemẽtem feciſti turpem, & metes male. Hoc ualde Poëticum eſt. Alcidamus quoq; reprehenſione non caret, qui uallum, & munimen legum philoſophiam appellat, & Odyſſeam ſpeculum humanæ uitę præclarum. Item illud nullũ huiuſmodi ἄθυρμα, id eſt apludam, & ludicrum aſſeruit poẽſi. Quæ omnia & abſona ſunt, & à ratione perſuadendi aliena, quod rationes nobis ſuperius adductę facilè oſtendunt. Illud uerò Gorgiæ in hirundinem dictũ, quæ ſuperuolans prætereuntem aſperſerat, ad morem tragicum optimè, & feliciſsimè cecidit, Turpiter, inquit, facis Philomena. Aui quidem, quæ hoc faceret turpe non eſſet, at uirgini quî poteſt turpe non eſſe? Cõmodum mehercle conuitium, quo non id, quod illa tunc eſſet, ſed quod fuiſſet olim, obiecit. Habet & Imago uerè naturam translationis, parumq; ab ea diſtat: nã cùm Homero dictum eſt, Achillem ceu leonem irruiſſe, imago eſt: cùm uerò nõ ceu leonem, ſed ſimpliciter leonem irruiſſe, translatio. Cùm enim & Achilles, & Leo fortes eſſent, per trãslationem Achilles poterat appellari Leo. Eſt quidem oratoribus utilis hæc figura. Sed raro adhibenda eſt, quia Poëtica. Cæterùm ita inferri debent imagines, quemadmodum translationes ſolent: quoniam ut dixi, diſcrimine modico diſsident. Eius rei exempla huiuſmodi habẽtur: Androtio cùm aduerſus Idrieum inueheretur, Similis, inquit, canibus Idrieus eſt, qui cùm modò egreſsi ſunt uincula, occurſantia mordẽt, & obuia, Idrieus quoq; poſtquàm emiſſus eſt carcere, grauis, & moleſtus incidit omnibus. Theodamas Archidamum comparabat Euxeno geometriam ignoranti, ut retro quoq; ea proportio

reſponderet, Euxenum eſſe Archidamum Geometram. Plato in libris de Republica eos, qui mortuos ſpoliant ſimiles canibus dicebat, qui iactos lapides mordent: eos, qui lapides miſiſſent, non tangerent. Demoſthenes plebem robuſto gubernatori, ſed ſubcuruo conferebat. Eſt & illa imaginis forma, quæ de Poëtis adducitur, eorum ſcripta ſimilima eſſe corporibus ſine uenuſtate, & dignitate formoſis. Nam quemadmodum illa, ſimulatque florem ætatis amittunt, diuerſa facie uiſuntur: ita & carmina, ſimulatque ſolutus eſt numerus, longe alia uidentur eſſe, quàm fuerant. Fertur & collatio Periclis in Samios, Sint, inquit, Samij ſimilimi pueris, qui panem datum, ſed plorantes accipiunt. Aſsimilauit & Poëtos ilicibus, quæ inter ſe colliſæ franguntur, ita & illos contentionibus inteſtinis atteri. Demoſthenes populum comparabat faſtidientibus mare. Democrates nutricibus conferebat oratores, quæ cum deuorent ipſæ cibos, infantium ora illinunt ſaliua. Antiſthenes Cephiſodotum, qui cognominatus eſt tenuis, Thuri aſsimilabat, quod cùm atteritur, ſuauiter redolet. Atq; omnia hæc tam per collationem, quàm per translationem efferri poſſunt. Quare quicquid poteſt commodè, & aptè transferri, idem poteſt in ſimilitudinis, & collationis formam ſumi: nam Collatio non alia re diſtat à Translatione, quàm quòd pluribus uerbis abſoluitur. Semper uerò illud neceſſe eſt, ut translatio, quæ per proportionem retro quoque commeat, tam in utranque partem, quàm in congenera omnia, & cognata conueniat: uerbi cauſa, Si Phiala dicatur ſcutum Bacchi, conuenit quoq; ut ſcutum Phiala Martis uocetur. Et hæc ſunt ex quibus ornatus orationis conficitur.

DANIEL BARB.

VIrtus igitur elocutionis. *Diximus de elocutione, cùm genera dicendi ſuperius explicaremus: & oſtendimus quæ, & quot erant, quæ ipſam aliquo genere, ſeu forma efficerent, quare ſuperfluũ eſt modò quippiam inſuper adhibere. Satis ergo erit uerba nonnulla exponere. Theodorus actor erat. is cum Achillem agebat, Achilles uidebatur: cum Vlyſſem, Vlyſſes. Oportet (inquit Ariſtotel.) oratoris ſermonẽ id præſtare, quod uox Theodori præſtabat: ea enim cum aliorum uocibus collata, ſola eius perſonam, quam agebat, facilimè, & ſimilimè referebat: ita ut alienæ aliæ uiderentur. Pari modo noſtra oratio res ipſas imitabitur pro ſua cuiuſq; dignitate. Euripides ex ijs uerbis, quæ tunc Athenis in communi uſu erant, ſelegit apta, & idonea, & ex ijs poëma ſuum confecit. Arbitror ego Ariſtotelem de eo nunc Euripide loqui, cuius tragœdiæ leguntur. Nec me latet, alterum quoq; tragicum fuiſſe Euripidem de quo aliàs mentionem fecerit Ariſtoteles tum in poëticis, tum in his libris. Et Plato in octauo de Republica, Non temere, inquit, igitur tragœdiam ſapiens artificium eſſe, atque in ea Euripides excellere uidetur.*

Cùm igitur ſermo omnis nominibus conſtat. *Ariſtoteles in Poëticis nominum genera ponit. Illud autem quod Græci ὄνομα, id eſt nomen dicunt, Latini uerbum, dictionem, uocem, teſte Fabio, uocitant: inquit enim Fabius, Verba nunc generaliter accipi uolo: nam duplex eorum intellectus eſt. alter, qui omnia, per quæ ſermo nectitur, ſignificat, ut apud Horatium, Verbaq́; prouiſam rem non inuita ſequentur. Alter, in quo una eſt pars orationis, Lego, Scribo, quam uitantes ambiguitatem, quidam dicere malluerunt, uoces, dictiones, locutiones, ſed Ariſtoteles hoc loco intelligit Nomen orationis partem, quam Grammatici Primam ponunt, quanq́; ipſe in libro de interpretatione definiuit hoc modo, Nomen eſt uox abſque tempore ſignificans, cuius partes nihil prorſus innuunt.*

nuunt. Quòd autem Ariſtoteles hoc loco ita nomen intelligat, patet ex his uerbis: Cum igitur omnis ſermo nominibus conſtet, aut uerbis. *Non enim dixiſſet, Aut uerbis, niſi accepiſſet* Nomen *pro parte una, & Verbum pro parte alia orationis: & id aio, ne uerba Fabij nos in errorem aliquem trahant, quanquàm in cap. de* Grammat. *Fab. de dictionibus ſeu uocibus, & uerbis, idem afferat, quod Ariſtoteles hic de nominibus. Lege ibi multa, quæ faciunt ad hanc rem. Nomen igitur aut Simplex eſt, aut Compoſitum. Simplex uocat Ariſtoteles, quod ex minimè ſignificantibus eſt: ut, Petrus, lignum, cucurbita. Duplex intelligit quod ex ſignificantibus aliquid efficitur, ſiue omnibus, ut Tragelaphus, Hippocentaurus, ſiue altero, ut* ἱπποτροχίλης. *Triplex inſuper & quadruplex nomen dari affirmat, quemadmodum multa Megaliotorum, ut illud* ἑρμηκαινόξανθος. *Sed hoc ſit Græcorum felicitatis. Videtur uerò ſibi eſſe contrarius Ariſtotel. nam in libris de Interpretatione ait, in nominibus duplicibus, ut in hoc Callippus: Hippus per ſe ſumptum nihil ſignificare, quemadmodum in ea oratione in qua dicitur,* καλὸς ἵππος. *Hic uerò dicit aliquid ſignificare. Quæſtio hæc ſoluitur: nam paulo inferius loco citato inquit, Quanquam hoc ita ſit, ut dixi, non tamen eadem ratio eſt in ſimplicibus, ac in compoſitis, quæ ipſe* πεπλεγμένα *uocat. In illis enim, hoc eſt, in ſimplicibus, pars nulla eſt, quæ ſignificet: in his autem, id eſt, in compoſitis, nititur quidem aliquid ſignificare, ſed ſeiuncta pars nulla ſignificat, ut in hoc uerbo,* ἱπποτροχίλης, *illud* κίλης *nihil omnino ſignificat. Quaſi innuens in hoc eſſe diſcrimen, quòd partes nominum ſimplicium nullam quidem ſignificandi ſpeciem præferunt, partes uerò duplicium, & compoſitorum, etſi nihil ſignificent, prorſus tamen non uidentur aliena ab aliqua ſignificatione, cùm exiſtimatione ſaltem ſignificare quippiam & innuere uideantur. Sed cur re uera non ſignificant? quoniam*

ut ceruus unam quandam animalis naturam oſtendit, & ſimplicem mentis notionem eiuſdem naturæ declarat, ita & Hircoceruus naturam unam animalis innuit, & ſimplicem conceceptionem eiuſdem, quam in partibus ſeparatis habere nullo modo poteſt: & ita Hircus ad totam dictionem Hircoceruus ſe habet, ut Pe, ad totam dictionem Petrus: quare fit, ut duplicium nominum partes nihil ſignificent. Et quoniam in Dialecticis ueritas, in Rhetoricis & Poëticis ueritatis ſpecies, & exiſtimatio ualet, ideo in Dialecticis dictum eſt duplicia nihil ſignificare, in Rhetoricis uerò & Poëticis contrarium allatum eſt. Affert autem hoc loco Ariſtoteles nominū differentias, ut oſtendat, quæ oratori conueniant. Adducit autē locum ſuæ Poëtices, in quo nominum genera rectè diſtinxit, inquiens, Singula ſunt aut noſtra, aut peregrina, aut translata, aut ornata, aut ficta, aut additione, aut detractatione, aut tranſmutatione uariata. Noſtra uocantur propria noſtri idiomatis, peregrina alterius, non ratione illius cuius ſunt, ſed ratione illius cuius non ſunt: ut uerbum Gaza, apud Vergilium, proprium eſt Perſarum, peregrinum autem Vergiliano, & Romano ſermoni, translatum eſt mutuatum uerbum, cùm quod non habeas, aliunde ſumas: ut gemmare uites, luxuriem eſſe in herbis. Fictum eſt nouum nomen, quod fingit Poëta primus: ut rudentes, mugire, aut ſiquis ramos cornua appellet. Ornatum, ſic enim κόσμος uertitur, id eſt, ut puto quod Arabs metricum uertit, nam Ariſtoteles nec declarat quid κόσμος ſit in Poëticis, nec eius exemplum præbet. Metricum autem dicit Arabs, quia Græci partes illorum nominum harmonia, & ſonoritate quadam metiebantur. Sed puto ego κόσμον ſignificare nomen ſignificantius, illuſtrius, & magis proprium rei. Sed nomen additione uariatum, altero duorum modorum efficitur, aut cum ſyllaba illi additur, & neque plus, neque minus ſignificet, quàm antea, ut amarier pro amari: aut quan-

do bre

do breuis in longam metri cauſa mutari ſolet. Quorum no= minum exempla ſunt apud Poëtas.*In detractione contrarium fit, aut enim breuis pro longa efficitur, aut ſyllaba demitur. Commutatum uerò nomen eſt, in cuius deriuatione pars una re ſtat, & altera ſuperadditur: ut cùm ponimus comparatiuum pro poſitiuo: aut cùm aſſumuntur à ſimili, ut ſiquis latronem aquilam dicat: aut à contrario, ut ſiquis* Aethiopem *niuem appellet: aut à connexo, ut ſiquis* Solem, *cœlum uocet, aut pluuiam humorem.* His *poſitis,* Ariſtotelem *uideamus docen= tem nos, quibus nominum generibus oratorem ſuum uti uelit, ut eloquens, diuinusq́; habeatur.* Docet *ergo translata pul= cherrima eſſe.* De *translatione* Tullius *in tertio de* Oratore, Fabius *in capite de ornatu,* Ariſtoteles *in hoc copioſiſſime tractant.* Translationem, *ut ait* Cicero, *neceſſitas genuit in= opia coacta, & anguſtijs, pòſt autem delectatio, iucunditasq́; celebrauit: nam ut ueſtis frigoris depellendi cauſa reperta pri mo, pòſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic uerbi translatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, fre= quentata delectationis.* Paulo *autem audaciores ſunt hæ, quæ delectandi cauſa reperiuntur, nec inopiam indicant.* Cicero *&* Fabius *ab inanimis ad animata, aut contrà, & ab inanimis ad inanimata, & ab animatis ad animata ſumi dicunt meta= phoras.* Sed Ariſtoteles, *à ſpecie ad genus, ut ſiquis interfe= ctionem mortem uocet: aut contrà, à genere ad ſpeciem, ut cùm ortum uel interitum, uel augmentum, mutationem dicit: uel à ſpecie ad ſpeciẽ, ut ſiquis auferre pro abſcindere, aut ab= ſcindere pro auferre, ponat, utrumq; enim ſubtrahere aliquid eſt.* Aut *demum à proportione translationes ſumi affirmat, ut ſiquis mortem interitum, iuuentam uer, aut florem dicat.*

Ad Poëtas Synonyma pertinent. Non *eo modo hic* Synonyma, *quo in prædicamentis, ſumuntur: ſed hoc loco* Ariſtoteles *intelligit plures dictiones idem ſignificantes,*

quemadmodum intellexit Auerrhois in proœmio Phyſicorum.

Illud Iphicratis, qui Calliam. *Callias erat miniſter Cereris, qui faces in eius ſacris ferebat: hoc miniſterium ſatis honeſtum erat, miniſter dicebatur δᾳδοῦχος. Iphicrates non eo nomine ipſum uocabat, ſed accenſum dicebat. Accenſum dico ex Liuij libro trigeſimoquarto, in principio, & circitorem, & mitrigerentem: hi erant minores ſacerdotes, qui capite obuoluto in altum elati turbam conuocabant ad ſacra. Contrà Callias Iphicratem indignum eſſe dicebat, qui inter huiuſmodi homines numeraretur, quaſi anathema, id quod nos extra Chriſtianorum communionem, & fidelium gregem dicimus. Credo hunc eſſe Calliam Parium Hipponici filium, Hermogenis fratrem, rerum Protagoræ tutorem, qui plures pecunias in Sophiſtas expendit, quàm cæteri omnes: de quo Plato in Cratylo: Sophiſtis, inquit, Callias multis erogatis pecunijs, ſapiens euaſiſſe uidetur, is centum minas Zenoni tradidit. Poſtquam ergo Iphicrates Calliam non prælucem, ſed circitorem appellauit, Callias eum non initiatum dixit, nam ſi initiatus eſſet, ſciret utique an Callias eſſet accenſus, an circitor. Hoc igitur pulchrè tranſlatum eſt, & utraque ſub eodem genere collocantur, quoniam ambo ad deum referuntur, ſed alterum honeſtum eſt, alterum turpe, id eſt circitor.*

Dionyſij adulatores. *Dionyſius amabat adulatores, hos populus διονυσιοκόλακας uocabat, at ipſi ſe ipſos honeſtiori uocabulo miniſtros appellabant. Fuit autem (ut puto) Dionyſius is autor quidam, cuius meminit Ariſtotel. in ſexto Topicorum. λῃσαὶ nomen hoc antiquitus non ignominioſum erat. Vnde Thucydides ait, cum huiuſmodi homines ad littus appuliſſent, interrogati qui nam eſſent, reſponderunt, Prædones, ac ſi id ſibi uitio uertendum non eſſet. Sed*

uſu poſtea factum eſt, ut ait Ariſtoteles, ut uitium ſignificaret, quemadmodum apud nos Hoſtis, quod hoſpitem antea ſignificabat. Ait ergo Ariſtoteles prædones ſeipſos non prædones, ſed comparatores apellare. De Euripide Plato in Gorgia, & alibi plurimos eius citat uerſus, nos & in primo libro, & paulo antè diximus.

Lapſum errore. *ἁμαρτάνειν, eſt à ſcopo aberrare, ſumptũ à ſagittarijs.*

Regnare capulos. *κωπὴ eſt remus, & palmula, unde κωπηλάτης. Si quis ergo dicit Imperare remo, non loqueretur ex rei dignitate, nec ut res poſtulat, ſic enim illud κατάξιαν Cicero & Horat. uerterent. Dicitur autem Capulus pars gladij, quæ manu tenetur. Verg. Et capulo tenus abdidit enſem, ſumitur etiam pro quacunq; re, quæ capiat, aut capi manibus queat.*

Accidens in Myſiam. *ἀπόρας, uerbum claßi accommodatum.*

Eſt & in ſyllabis error. *Interpres exponit ſyllabas, id eſt dictiones: cui ſententiæ acceßit Lampridius meus, nam συλλαμβάνειν eſt comprehendere: ut igitur ſyllaba literas comprehendit, ſic dictio ſyllabas. Poſſumus & orationes interpretari, nam & oratio dictiones comprehendit. Orationem intelligo non tantum eam, quæ conſtat ex nomine, & uerbo: ſed eam, quæ ſimpliciter ex pluribus dictionibus. huiuſmodi orationem dare ſciunt, qui dialecticos audiere. Quare inquit Ariſtoteles, peccare poſſumus, ſi huiuſmodi dictiones uel orationes cùm audiuntur, non blandiuntur, non modò ob uocis ſuauitatem, ſed ob ſignificationis uoluptatem. Quòd ſi ſequamur interpretem, ſenſus erit, Erramus ſi huiuſmodi nomina non fuerint ſigna uocis ſuauis, hoc eſt, ſi nõ fuerint uoces ſuaues, quælibet enim uox eſt ſignum. Sed ſuperior expoſitio magis placet. At quid etiam prohibet ut hoc etiam de ſyllabis ipſis intelligamus? quæ uim ſuam habent ex literis, quibus conſtant.*

Literarum aſperæ aliquæ ſunt, aliquæ uero lenes, & nonnullæ mediæ, quo fieri poteſt, ut aſperitas literarum aſperitatem faciat ſyllabarum, quarum ſtrepitus (ut ita dicam) in dictione aures lædat, unde ſumptum etiam eſt exemplum κράυγης, *nõne in ſyllaba* κραυ *ſonus eſt aſperrimus? Sed quanquam hoc animaduertendum eſt ab oratore, nõ tamen hoc in loco plenius de hac re tractatur, ſed Ariſtoteles loquitur de ſignificatione uocum quæ per translationem ſumuntur.*

Vt Dionyſius, qui cognominatus eſt Aeneus. *Fuit Dionyſius quidam Grammaticus, qui Platonem Grammaticã docuit, in cuius ſcholis Socrates ingreſſus duos eius diſcipulos diſceptantes inuenit, quibus cum locutus eſt de philoſophia, ut patet in amatorio dialogo, neſcio an de illo ſermo ſit.*

Sed translatio tenuis, & infirma eſt, quæ ex uocibus minime ſignificantibus ducitur. *Voces minime ſignificantes appellantur, quæ non ſignificant, quod ſignificare debent.*

Nam & qui transfert quodam ueluti ſcirpo, & ænigmate innotuit. *Cicero in tertio de Oratore: Item ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata. Ariſtoteles uero in Poëticis, Aenigma dicit eſſe orationem, quæ ex rebus inter ſe minimè congruentibus conſtat: hoc itaq; per nominum compoſitionem effici minimè poteſt, per translationem uerò poteſt: ut, Vidi uirum æs candens ferruminantem uiro: hoc enim exẽplum & in Poëticis eſt. Ferrumino,* συνάπτω, *propriè de metallis dicitur, id eſt, iungo, & ſimul tempero. Pomponius Iuriſconſultus: Si tuum, inquit, ſcyphum alieno plumbo plumbaueris, argento ferruminaueris, non dubitabitur tuum ſcyphum eſſe. Plinius pro glutino ſumpſit, lib. 36. dicens: Vitrum ſulphuri incoctum ferruminatur in lapides. & in ſuperiori libro: Calcis quoq; bitumen præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. & reliqua. Vidi ergo uirum, id eſt, chirurgum, ferruminantem,*

id eſt,

id eſt, iungentem πυρὶ χαλκὸν, *æs candens uiro, id eſt apponentem cucurbitas uentoſas. Sed uerbum illud non æs candens, ſed uitrum uertit Lampridius, eò quòd igne fiat, tanquam artificium ferri.* De Lycimnio Plato in Phædro. De Bryſone *nihil habeo, niſi quòd is ab Ariſtotele citatur in Phyſicis.* Non *mediocris autem diſſenſio inter philoſophos orta eſt olim, de rebus, uerbis, & ſententijs.* Peripatetici, & Academici *multa eſſe honeſta dixere, quæ proprijs uocabulis minimè notanda eſſent. Stoici contrà ab honeſtate rerum uerba ipſa etiam honeſtari uolebant, & nihil re ipſa eſſe honeſtum dicebant, quod & proprio uocabulo non eſſet appellandum, eo argumento, quia res turpes non turpiter ſuis nominibus explicarentur, ut adulterium, ſacrilegium, & huiuſmodi. quare ſi id in ijs ualet, quæ turpia ſunt, quanto ualebit amplius in honeſtis rebus?* Huius controuerſiæ arbitrum ſe Cicero facit ad Papyrium *ſcribens:* Amo *inquit uerecundiam, & reliqua.* Quid *autem ſentiat Ariſtoteles hoc in loco eſt manifeſtum.*

Frigiditas uerò quadrifariam in oratione committitur. *Poſtquam de ornatu tractauit, nunc de ijs agit, quæ nullum afferunt ornamentum, inter quæ lentitudo, & ſegnities quædam orationis eſt poſita, quam Frigiditatem uocant. Oſtendit autem quatuor eſſe ſpecies frigiditatis. Prima eſt in compoſitione poſita dictionum: quæ uerò compoſita nomina dicantur in Poëticis, & ſuperius quoq; diximus, modò enim duplicia, modò triplicia, modò multiplicia ſunt, cuiuſmodi eſſe dixit plura Megaliotorum, & illud noſtrum Capſis, id eſt, cape ſi uis, ut ait Fabius. exempla huius generis ab Ariſtotele ponuntur. Altera ſpecies eſt, qua oratio friget, cùm peregrinis abundat uerbis: noſtris enim utendum eſt, ut noſtris ſuadeamus: ut enim legibus, & moribus uiuimus, ita patrijs uerbis uti ſolemus. Tertius modus in appoſitis frigeſcit, cùm quis aut longe petita, aut crebra, aut aliena inculcet.*

Vltimum genus eſt poſitum in tranſlatione, cùm tranſlationibus utimur iјs, quæ incondita ſunt, & abſurdæ: uel quia ridiculæ ſunt, quales habentur illæ Comicorum: uel quia nimis aſperæ, ac ſeueræ, & ad tragicum tumorem elatæ: uel quoniam à longinquis, & remotis maximè ſumuntur. Sed quemadmodum ſoluta oratio his rebus frigeſcit, ita pedibus alligata, ut ita dicam, incaleſcit, & uiget: propria enim Poëtarum uarietas eſt. Amat Comœdia iocos, & ſales: Grauitatem, & ſeueritatem Tragœdia, linguas Heroici, tranſlationes Iambici ſequuntur: unde fit, ut alter accipit, quod alter abnuit. Cæterùm ab his orator uel penitus abſtinebit, & poëticum maximè in dicendo uitabit. Sed quid non occaſio? quid res non affert? Duplicibus, tranſlatis, fictis, adiectis, detractis, commutatis, poëticisq; uti cum quandoq; quis nollet? Varietas enim, & nouitas ſæpe nos excitat, & & noſtram illuminat orationem, efficiturq; ut recedendo ab uſitatis, grauitas, & autoritas dicentis maior appareat. Sed nos hæc omnia in proœmio huius libri, cùm de Generibus ageremus, quæ & qualia eſſe deberent, oſtendimus. Tranſlationes igitur faciles, & à pulchris rebus deſumptæ, & moderatione quadam adhibitæ, noſtram illuminant orationem. Alioquin qui immodicè petunt hanc gratiam, plus cauſis nocent, ſenſus eſt. Poëtica locutio ſupra communem uſum orationem attollit, ſed oportet animum intendere ad mediocritatem, quoniam affectatio nominum magis, quàm temere dicere, facit maius malum: nam oratio, quæ non utitur interdum hac licentia, non habet τὸ εὖ, id eſt, non eſt perfecta, ſed illa, quæ crebrius utitur, & affectat, uitioſa etiam dici debet. Quare maius malum eſt in uitio eſſe, quàm probitate carere. Tu uero ſementem feciſti turpem, & metes male. Heſiodus ἐν τοῖς ἔργοις, Qui male ſementem facit, is male metet. Iulius item in Ciceronis libro de oratore,

Vt ſementem feceris, ita metes, inquit. Hoc idem citat Fa-*bius.*

Habet & Imago ferè naturam translationis. *Agit modò Ariſtoteles de ſimilitudinibus, nec quidem ab re, quoniam occaſio uenit, cùm de translatione loquatur: nam ut inquit Fabius capite de tropis, in totum metaphora eſt breuior ſimilitudo, eoq́; diſtat, quòd illa comparatur rei, quam uolumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur.* Item *Comparatio eſt, cùm dico, feciſſe quid hominem, ut leonem:* Tranſ*latio eſt, cùm dico de homine, leo eſt.* H*æc* F*abius à præceptore ſuo Ariſtotele mutuatus eſt. Poſito diſcrimine illo, tractat de uſu ſimilitudinum, cum dicit.*Eſt *quidem oratoribus utilis hæc figura, ſed raro adhibenda eſt.* De *ſimilibus enim idem iudicium: atqui translatio, quæ eſt huic figuræ perſimilis, raro adhibetur, ergo & hæc figura, id eſt, ſimilitudo.* P*oſtea multa ſimilitudinum exempla præbet.* E*ſt & illa imaginis forma, quæ de Poëtis adducitur.* C*icero ad* B*rutum de iudicio oratoris:* Q*uibuſdam cantu remoto ſoluta uidetur oratio, maximeq́; id eſt optimo eorum* P*oëtarum, qui* L*yrici nominantur, eos cùm cantu ſpoliaueris, nuda penè remanet oratio.*De P*oëtis autem adducitur illa ſimilitudo:*E*orum ſcripta ſimilima eſſe corporibus ſine uenuſtate, ac dignitate formoſis:nam quemadmodum illa, & reliqua.*

De Elocutione,cuius prima uirtus eſt,emendatè loqui.

CAPVT III.

CAPVT uerò, atq; initium Elocutionis eſt, emendatè loqui. Ea quinque articulis continentur. Primùm Coniunctionibus, ne quas præpoſterè, aut perturbatè feramus, ſed ſuo quæq; loco ponantur. Sunt enim aliquæ inter ſe, quæ relationem hanc habent: ut ſi dicatur, Atque hic quidem Iudices ita fecit: ſubiungenda ſit coniunctio aliqua, quæ priori quaſi

opponatur,

opponatur, atque reſpondeat, hoc modo, Ille autem Iudices ita. Item ſi dixero, Mihi quidem hoc licuit iudices: ſubijciendum eſt, Illi uerò non licuit. Cæterùm non ſemper reddenda eſt ſecunda coniunctio, ſed quatenus proſequi poteſt memoria prima, atque intentio: quare nec multum differenda eſt, ut quaſi pendeat, & ſuſpenſa fiat concluſio. Nec ante neceſſariam coniunctionem inculcare alias coniunctiones oportet: raro enim id conuenit, ut illud, Ego uerò, poſteaquam nunciatum eſt mihi, uenerat enim Cleo, & obteſtabundus ſimul & ſupplex clamitans, aſſumptis comitibus illis, ſum profectus. In his uerſibus coniunctio quæ ſtatim reddenda erat, dilata eſt aliarum coniunctionum interiectu: quare cùm medio ſermone ille ſenſus inſeritur, impediri, & obſcurari poſſet intellectus, niſi quod interponitur, longius eſſet. Primùm igitur coniunctiones per quas ſermo nectitur, diſpoſitas habere oportet, recteq́; collocatas. Deinde uti nominibus ipſis cuiuſq; rei proprijs, non diductis, circumlatisq́;. Vitanda tertio ambiguitas, niſi quis conſultò id faciat. Sunt enim, qui cùm nihil habeant, quod eſſerant, quædam incerto intellectu afferunt, ut aliquid omnino dicere uideantur: quod quidem Poëtis perfamiliare uitium eſt, eoq́; Empedocles unicè eſt uſus. Nā circuitus ille magnus auertit intentionem, & fallit auditores, tam hercule, quàm uatum reſponſa nonnullos, qui tametſi flexiloqua, & obſcura tulerunt, nihil minus uelut attoniti fidem ſuam accommodāt, qualis ſors illa: Crœſus Halim penetrans magnam peruertet opū uim. Sanè qui oraculis reddendis præſunt, quò minus uideantur errare, non ad res ipſas particulatim, quas interrogantur, reſpondent, ſed in uniuerſum ad gene-

ra. Nam & cùm par impar luditur, facilius alteram partem incurras diuinando, quàm ipſum numerum deſignes. Propenſius etiam incidas ueritatem, ſi quid futurũ abſolutè repromittas, quàm ſi tempus aliquod quando ſit futurum, præfinias. Qamobrem arioli nullum tempus uaticinijs præfigunt, uti ne ſint, qui, ſi mentiantur, redarguant. Igitur omnia hæc uitare orationem oportet, niſi cùm id ex induſtria petitur, id eſt, uſu cùm uenit. Quartum eſt quod Protagoras tradidit, ut nomina alia ad mares, alia ad fœminas pertinerent, alia reciperentur ut uaſcula: nam hæc ad ſuas quæq; naturas aptè referri ad rationem pertinet elocutionis, ut illud: Progreſſa mulier, & allocuta diſceſsit. Quintum, ut numerus, qui requiritur in complexu ſermonis, ad plures, ad paucos, ad ſingulos, ex uſu rectè reſpondeat: ut, Profecti illi hominem diuerberabant. In plenum neceſſe eſt, ut fluens, facilis, diſtincta interpunctionibus, ac plana ſit lectio: quam uirtutem non habet omnis complexio: ſed & multi ſunt, quorum ſcripta haud facile queas diſtinguere: qualia ſunt Heracliti, quæ diſtingui ſine labore, & acri intentione non poſſunt: quia incertum ſit, prioribus, an poſterioribus quidam accedant. Atq; hoc uitij librorum eius initio ſtatim apparet, cùm ratio inquit ſit ſemper, tamen inconſulti, & imprudentes homines ſiunt. Eſt enim dubium, priori, an poſteriori aduerbium illud temporis accommodandum ſit. Præterea ſolœciſmus eſt, non referre, quò referenda ſunt uerba, niſi aliquid ſubiungas, quod in utrunq; conueniat: uerbi gratia, Si uel ſtrepitum, uel colorem uidiſſe te diceres, ad utrunq; non conuenit: ſi uerò ſenſiſſe te diceres, conuenit. Quidam efficiuntur obſcuri inſerendo plura, & in hyperbatum differendo finem: ut ſi dicatur, Conſtitueram

(*ſi quid*

(ſi quid allocutus te eſſem de his, & his, & in hunc modum) proficiſci. Sed commodius diceretur hoc modo: Conſtitueram, ſimulatq; allocutus te fuiſſem, proficiſci: ea uerò, quibus te uolebam, fuerant hæc, & hæc.

DANIEL BARB.

CAput uero atq; initium elocutionis. *Poſtquàm de ſimplicibus uerbis tractatum eſt, nunc de coniunctis eſt dicendum. Simplicia inuenienda, Coniuncta uerò collocanda ſunt. Et ſimplicia uerba partim natiua, partim reperta: Natiua ea, quæ ſignificata ſunt ſenſu: Reperta, quæ ex iјs facta ſunt, & nouata, aut ſimilitudine, aut imitatione, aut flexione, aut adiunctione uerborum. Eſt & diſtinctio uerborum altera, ut altera natura, altera tractatione ſumantur. Natura, ut alia ſint conſonantiora, grauiora, magis lenia, & quodammodo nitidiora: alia contrà. Tractatione autem, cùm aut propria ſumuntur rerum uocabula, aut addita ad nomen, aut noua, aut priſca, aut ab oratore modificata, & inflexa quodammodo, qualia ſunt ea, quæ transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus abutimur, aut ea, quæ obſcuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæ mirabilius, quàm ſermonis conſuetudo patitur, ornamus. Hæc igitur omnia breuiſſimè à Cicerone collecta, iam patet, quæ, & qualia eſſe debent. Reliquum eſt ut de Coniunctis tractemus: Coniuncta collocanda ſunt. Duo autem in coniunctione ſeruandi ſunt modi, alter in Numero poſitus eſt, alter in Conſecutione uerborum. Numerorum iudices aures ſunt, ne aut non compleas uerbis, quod propoſueris, aut redundes. Conſecutio autem ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus, & articulis, & coniunctionibus perturbetur oratio. De his modò tractat Ariſtoteles quæ elocutionem conſtituunt. Cuius uirtutem primam putat eſſe Græciſmum. Prima uirtus in elocutione eſt, ſecundum proprietatem cuiuſq; linguæ emendatè loqui. Græ-*

ciſmus ergo eſt emendata locutio ſecundum Græcos. Latinitas eſt, quæ ſermonem purum conſeruat ab omni uitio remotum. Ratio hæc quinq; modis explicatur, ut ait Ariſtoteles. Primùm Coniunctione, ne aliquas præpoſterè, & perturbatè feramus. Poſtea ut proprijs utamur, nulla circuitione adhibita. Inde ut ambigua tollamus. Hæc enim uitanda ſunt, niſi orator eliget contraria, & obſcurus conſultò eſſe uoluerit: quærit enim hoc interdum, cùm nihil habet, quod dicat, uideri tamen uult aliquid dicere. obſcurant enim, quemadmodum Poëtæ: ut carmen illud, quod Cicero etiam ponit in libro de Diuinatione, Crœſus Halim penetrans magnam diſſoluet opũ uim. ex Herodoto, ut puto, dubium hoc, an de ſuis, an de alienis opibus intelligatur. Quartum, & quintum præceptum eſt, ut genera ſeruentur, & numeri opportune reddantur, ut ſit conſecutio illa, quam primo in generibus, mox in numeris poni dicebamus. Omnia uerò hæc præcepta in elocutione ſeruanda ſunt, & de coniunctis uerbis adducuntur, ita ut quinq; rationes iam dictæ ſola conſecutione probentur, conſequi enim debent redditiones, quæ in coniunctionibus redduntur, propria, non ambigua, ſecundum genera, & ſecundum numeros cohærentia. Hæc ſi quis obſeruauerit, emendatè uel Græcè, uel Latinè, uel quacunq; alia lingua rectè loquetur. Vitia uerò in ſermone, quo minus Latinus ſit, duo poſſunt eſſe, Barbariſmus, & Solœciſmus: nam ut Latinè loquamur, nõ ſolùm uidendum eſt, ut uerba efferamus ea, quæ nemo iure reprehendat, & ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conſeruemus: ſed ne quid perturbatum, & diſcrepans, aut præpoſterum ſit, quæ res barbariſmũ, & ſolœciſmum euitant, ut docet Fab. primo libro, ubi de Grammatica loquitur. Sed linquamus hæc, inquit Cicero, quæ cognitionem habent facilem, uſum neceſſarium: nam traduntur hæc literis, doctrinaq; puerili. Sed coniunctis & ſimplicibus uerbis ea cõmunia eſſe debent, quæ ſunt

quaſi lumina, dilucidum, breue, probabile, illuſtre, ac ſuaue, de quibus nos in generibus dicendi locuti ſumus.

De uerſo, ac mutato loquendi genere. CAP. IIII.

AD AMPLIFICATIONEM orationis dilationemq́ʒ, ſubijcienda eſt loco nominis ipſa finitio: uerbi gratia, loco circuli planiciem, cuius extrema pariliter diſtant à medio. Contrà ad Breuitatem unum ad uerbum reuocanda definitio eſt: nam & illud in hoc genere obſeruandum, ut cùm quid turpe, aut minus honeſtum incidit, ſi in definitione deformitas illa inſit, utamur nomine ipſo, non definitione: ſi in nomine, contrà definitione, non nomine. Translationibus, quoq; & Epithetis, modò ne ad poëticum morem luxurient, extenditur, & adoleſcit oratio. Item ſi unũ quod eſt, efferatur numero pluralitatis, quod genus Poëtę frequẽter uſurpant. Hi quamuis una duntaxat corriuatio, & portus ſignificandus ſit: malũt tamẽ corriuationes dicere, id eſt, portus Achaicos, & multiualuas feneſtras, & huiuſmodi. Grandeſcit itẽ oratio, ſi ſingulis ſingula ſua redduntur. Contrà in cõpendium agitur, ſi unũ ad uerbum plures ſententiæ referantur. Grandeſcit, & complexu coniunctionum, hoc modo: Profectus ſum, & conueni. Contrà ſine earũ complexu contrahitur, & quaſi conciditur, quanquam ſic etiam non eſt ſine nexu, hoc modo: Profectus conueni hominem. Vtile etiam eſt aliquando ex ijs, quæ non habentur, materiam quandam ad dicendum elicere: quod Antimachus in Teumeſo fecit: Eſt, inquit, imperflabilis quidã, ac leuiter editus collis. Poteſt enim per hunc modum excreſcere ad infinitũ oratio, atq; hoc tum in bonis, tum in malis, quæ non habeantur, eſt utile: ita ut illa ipſa quæ deſunt, utrocunque ſint genere, per priuationem, negationemq́ʒ intexantur.

Vnde nómina quædam ad eum morem Poëtæ finxe- runt, ut ἄλυρον ἄχορδον, id eſt, cantionem lyra, & chor- dis carentem, & reliqua id genus, quæ per priuatio- nem afformantur. Quod in translationibus, quæ per proportionem recurrunt, maximè probari ſolet, ut ſi dicatur, Tubam eſſe concentum carentem chordis.

DANIEL BARB.

AD amplificationem orationis, dilationemq́;. Dictū eſt de genere eloquendi ſua ſponte fuſo, reliquum eſt, ut dicamus de uerſo, atq; mutato. Eſt itaq; id genus totum ſitum in commutatione uerborum, quæ ſimplicibus in uerbis ita tra- ctatur, ut aut ex uerbo dilatetur, aut in uerbum contrahatur oratio. Ex uerbo, cùm aut proprium, aut idem ſignificans, aut factum uerbum in plura uerba diducitur. Ex oratione, cùm aut definitio ad unum uerbum reuocatur, aut in coniunctione fit unum uerbum ex duobus. In coniunctis autem uerbis, triplex adhiberi poteſt commutatio, non uerborum, ſed ordinis tantū- modo: ut, cùm ſemel dictū ſit directè, ſicut natura ipſa tulerit, inuertatur ordo, & idem quaſi ſurſum uerſus, retroq́; dicatur: deinde idem interciſe, atq; permixtè. Eloquendi autem exerci- tatio maximè in hoc toto conuertendi genere uerſatur. Hæc Cic. quæ omnia ex hoc loco deſumpſit. Exempla uerò ab ipſo Ariſt. petuntur & à Fab. ſed ubi ait Ariſtoteles, Grandeſcit itē oratio, ſi ſingulis ſingula ſua reddātur, exemplum eſt τῆς γυναι- κὸς, τῆς ἡμετέρας. utriq; enim ſuum dat articulum. Contrà in cō- pendium agitur, ſi unum ad uerbum, plures ſententiæ referun- tur, exemplum eſt, τῆς ἡμετέρας γυναικὸς. Herm. non poſuit hæc exempla, quoniam Græcæ linguæ conueniunt. Fab. dicit, Cum unum ad uerbum ſententiæ duæ referuntur. Carmē autem illud Antimachi, cum dicitur, Eſt quidam imperflabilis, ac leniter e- ditus collis, Strabo citat. Teumeſſum montem laudat Antima- chus, & huic multa tribuit, quæ non conueniunt, quia non ha-

D 2 bentur

bentur reuera, nec ſunt. Simile illud Lucretij: Colle tumor modico, leuiq; excreſcit in altum Pingue ſolum tumulo. Mutata dicũtur, in quibus pro uerbo proprio, ſubijcitur aliud, quod idẽ ſignificat, ſumptum ex re aliqua conſequenti, quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo tranſtulit, cùm dixit Ennius Arcem, & urbem orbas: alio modo ſi pro patria, arcem dixiſſet. Hanc Hypallagẽ Rhetores, quia quaſi ſumuntur uerba pro uerbis, Metonymiã Grammatici uocant. Ariſtoteles hæc tranſlationi ſubiungit, & etiam Abuſionem, ut cùm minutum animũ pro paruo dicimus, & abutimur uerbis propinquis, ſi opus eſt, uel quòd delectat, uel quòd licet: iã cùm fluxerunt plures tranſlationes, alia planè fit oratio: itaq; genus hoc Græci appellant Allegoriam, nomine rectè, genere melius ille.

Quid in oratione maximè deceat, & quomodo affecta efficiatur oratio. CAP. V.

NVNC quid ſit aptum, hoc eſt, quid maximè deceat in oratione, uideamus. Decorum itaq; maximè tuetur oratio, ſi habet affectus, & mores ijs, in quæ duci, formariq; iudicem uolumus, conſentientes. Porrò conſentientes habebit, ſi neq; humilis in magnifica, & ſplendida materia fuerit: neq; ſublimis in tenui: nam à nitido ſermone uerbum obſcurum, ſordidumq; diſcordat. Quare qui laborat hoc uitio, non Orator, ſed planè Comicus eſt habendus, ut Cleophon, qui in eo genere uidetur frequens: adeo non ueritus illa, O' ſanctam te, atq; almam. Affecta oratio efficitur, ſi ſuus cuiq; rei & color accommodatur, & actus, ſi rixã, & iurgium dicimus, ut acribus uerbis, inſtantibusq; utamur, & quibus utuntur irati. Si pudẽda querimur, ut moleſtè illa uerecundeq;, nec libenter tractare uideamur: ſi honeſta, ut cùm admiratione dicamus: ſi triſtia leniter, ac miſerabiliter comploremus. Reliqua quoq; pari ratione tractantur.

tur. Genus certè orationis, & qualitas facit, ut uerisimilia & fortia uideantur eſſe, quæ dicimus. Ducitur enim & quaſi rapitur audientiũ animus, ut ſe credant actori, & putẽt uera eſſe, quæ ita dicuntur, propterea quòd uera qui dicerent, aliter affecti eſſe nõ poſſent. Quamobrẽ facilè adducũtur, ut arbitrentur eſſe, ut dicit orator, etiã quando ita non eſt. Quoniam ferè accidit, ut ad illos ipſos affectus, & ſenſus adducantur, qui audiunt, quibus permoueri uidentur, qui dicunt, etiã ſi nihil dicãt. Cuius efficaciæ multi non ignari ſæpe acclamationibus ſolis auditorem quaſi perterritum uendicant.

De oratione morata. CAP. VI.

MORATA uerò cenſetur oratio, quæ ad cõprobationem utitur argumentis, & ſignis. Nam cõfirmatio illa facilimè ſequitur, quæ cuiq; generi, & habitui maximè conuenit. In Genere intelligo ætatẽ, ſexũ, nationem. Aetatem, puer'ne ſit, an ſenex: Sexum, uir, an fœmina: Nationẽ, Spartanus, an Theſſalus. Habitus autẽ hoc loco duntaxat accipio, quibus hominis mores cõparantur, & inſtituitur uita: nõ enim omnis habitus ad inſtitutionẽ morum, & uitæ hominis pertinet. Verba igitur ſi accommodentur ad habitus, moratã orationẽ efficiũt. Nõ enim eadẽ dixerit, neq; eodem modo indoctus, & doctus. Mouẽtur ſæpe qui audiunt illa figura, qua ſcriptores frequẽter, & paſsim utũtur. Quis hæc ignorat, quæ norũt omnes? pudet enim diſſentire, & tacita quadã uerecũdia inhibemur, ne ſoli eſſe uideamur expertes, & inſcij eius rei, quæ communis, & nota ſit omnibus. Cæterùm figuræ omnes poſſunt & cõmodo, & incommodo tẽpore adhiberi. Sanè ubi periculoſius aliquid finxiſſe, tritum illud remediũ negligere non oportet, ut nos ipſoſmet, ceu licentius euagatos, quaſi re-

prehendentes corrigamus:in quo non falli iudicium noſtrum ſolicitudine ipſa manifeſtum erit. Ea quoq; præceptio non eſt prorſus inutilis, quæ admonet, ne ſimul omnia cõgeramus,quæ conuenire in materiam noſtrã uidebũtur. Circũuenitur enim facilius, & minus apertè qui audit, ſi nõ omnia ſimul exponantur arma, quæ in aciem poſſunt educi,ut ſi ad aſperitatem uerborum,non etiam uocis atrocitas, & aſperitas ſemper acceſſerit:alioquin ſi cũcta uno loco conſtituas, neceſſe eſt, ut conatus deprehendatur. Contrà quoq; id eueniet, ſi ubi quædã tutò, atq; clàm intuleris, alia ratione turpiter detegare. Quare ſi lenia aſperè, & aſpera leniter dixeris, uerisſimilis ſermo uideri non poterit. Affectæ quidem orationi Epitheta,duplicia, & peregrina,atq; inuſitata uocabula mirificè apta ſunt. Ignoſcitur enim uehementer commotis, & ijs,qui ſuprema in ira,ut ſiquis malũ aliquid magnum οὐρανόμηκες,hoc eſt,à terra in cœlũ pertinens,uel πελώριον inſtar montis uocet.Conueniũt & illa potiſsimum eo tempore,quo occupatos iam, poſſeſſosq; audientium animos inflammare, atq; agere in furias uolumus,laudando,uituperando'ue: in odium adducendo, aut contrà ad beneuolẽtiã impellendo.Quod genus Iſocrates in finem Panægyrici contulit,Fama inquit & ſententiæ omnium, & qui aliquando illa ſunt perpeſſi, & reliqua. Hæc enim acclamari fere ſolent ab ijs,qui grauiter ſunt commoti: quare auditores quoq; ſimiliter affecti facile corripiuntur. Hoc uerò genus maxime pertinet ad Poëtas, quos conſtat ſine quodam afflatu quaſi furoris bonos eſſe non poſſe. Hoc igitur uel in hunc modum oportet, uel per diſsimulationem fieri: id quod & Gorgias facit, & apud Platonem Phædrus.

DANIEL BARB. *in* CAP. V. & VI.

NVnc quid ſit aptum. *Vt in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quàm quid deceat uidere: de quo præclarè multa præcipiuntur, & res eſt cognitione digniſsima. Huius ignoratione non modò in uita, ſed ſæpiſsimè & in poëmatis, & in oratione peccatur. Eſt ergo quid deceat oratori uidendum, non in ſententijs ſolùm, ſed etiam in uerbis.* Vnde Ariſtoteles, *qui omnem conatum poſuit hoc in libro ad orationem afficiendam, cuius uis homines probos, & moratos uideri facit, meritò de eo, quod in oratione decet, mentionem facit: & oſtendit decorum in affectione, & more poſitum eſſe, & utrumq; declarat.* Porrò *conſentientes habebit* Cicero: *Quàm enim indecorum eſt, cùm de ſtillicidijs apud unum iudicem dices, ampliſsimis uerbis, & locis uti communibus: de maieſtate populi* Romani *ſubmiſſè, & ſubtiliter?* Hic genere toto. *Totum genus uocat ex omnium generum permixtione coalitum. hîc inquam, id eſt, in hoc loco, in ſermone familiari, genere toto. At perſona alij peccant, aut ſua, aut iudicum, aut aduerſarij, nec re ſolùm, ſed ſæpe etiam in uerbo, etſi ſine re nulla uis uerbi eſt, tamen eadem res ſæpe probatur, aut reijcitur alio atque alio elata uerbo, & reliqua in* Orat. *ad hunc locum pertinentia.* Idem *ſuperius,* Qui idem ita moderatur, ut rerum, ut perſonarum dignitates ferunt, ij ſunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum, & congruens nominem. Omnia in Ariſtotele plana. Vbi uerò dicit, Quibus permoueri uidentur qui dicunt, etiam ſi nihil dicant: Intelligendum eſt, nihil dicant, id eſt, falſum dicant. Nam cùm probatum eſt in philoſophia id, quod eſt, conuerti cum eo, quod uerum eſt: ita ratio fert ut id, quod non eſt, cum falſo conuertatur. *De morata oratione diximus in proœmio huius libri.* Et Cicero *ad* Brutum *per totum uolumen copioſiſsimè, & ornatiſsimè loquitur.*

Cernitur enim facilius. Cicero ad Brutum: Genus autem orationis neq; totum aſſumendum eſt ad cauſas forenſes, neq; omnino repudiandum. Si enim ſemper utare, cùm ſatietatem affert, tum quale ſit, etiam ab imperitis agnoſcitur, detrahit præterea actionis colorem, aufert humanum ſenſum, actoris tollit funditus ueritatem, & fidem.

De Numeris in communi. CAP. VII.

FORMAM orationis neq; plane metricam oportet eſſe, nec ſine numeris prorſus: nam alterum probabilitate caret, & fide, quaſi elaboratum induſtria, atq; confictum, & præterea diſtrahitur auditoris intentio, qui non ad ea, quæ dicuntur, ſed ad ſimilitudinem circumeuntis, & obambulantis numeri ſe conuertit. Non ſecus hercule, quàm pueri ſolent, qui illam præconis uocem præueniunt: quē legat procuratorem is, qui manu Cleonem mittit. Alterum quod numeris penitus caret, infinitum, ac diſſolutum eſt. ac finiri quidem orationē oportet, & claudi, ſed non ad ſimilitudinem uerſuum, aut ita ut diſſoluta in canticum uideatur. Quod uerò infinitum eſt, obtundit, & faſtidio afficit aures, ac propterea cognoſci, & percipi minime poteſt. Finiuntur autem omnia numeris: nam Rhythmi, quibus oratio ſoluta utitur, numeri appellantur, ex quibus non uerſus integri, ſed cęſi, & trunci conflantur, quorum dimenſus cæſionibus conſtāt. Numeris igitur debet oratio aſtringi, non uerſibus, ne poëma uideatur, & cantio. At numeros quidem non nimis exacte conquirendos puto, ſed quatenus conuenit.

De Numeris ſeparatim. CAP. VIII.

EX NVMERIS heroicus, ſublimis, & elegans, ſonantiorq́; quàm oratio ſoluta deſideret. Iambus nimis uidetur è uulgari eſſe ſermone, nullum'que eſt

carminis

carminis genus, quod in orationem ſolutam propenſius,& frequentius incidat: ego grauius,& robuſtius dicendi genus expoſtulo, & quàm fieri poteſt ab uſu eius frequenti recedendum oratoribus cenſeo: ſed ne Trochęum quocꝫ probo, utpote cordatiorem, id eſt molliorem,& ſubſilientem. Atcꝫ hoc tetrametra octonarij nobis oſtendunt: conſtant enim Trochæis tetrametra. Relinquitur Pęan, quo tãquam arcano ueteres quidem ſunt uſi, cœpit uerò ætate Traſymachi, ſed ignorabatur, quidnam eſſet id genus. Eſt autem tertius quidam, & medius inter illos Pæan, ex numeris illis ſuperioribus conſtitutus: eius dimenſio eſt, qualis tria cum referuntur ad duo, hoc eſt, ut pars pedis altera ſeſqui ſit maior. Heroici uerò mẽſura eſt qualis unius ad unum, hoc eſt, ut pars pedis parti alteri ſit æqualis. Iambi, & Trochęi qualis duorum ad unum, hoc eſt, ut pars pedis altero tantum ſit maior, quarum proportionum quaſi particeps eſt ea, quæ ſequiplum facit, cuiuſmodi eſt Pæanis. Igitur alij numeri tum propter rationes, quas diximus, tum quòd admodum Poëtici ſunt, reijciendi, ſegregandicꝫ uidentur ab oratione ſoluta. Pæan contrà, quia rarò uerſus facit, recipiendus, probanduſcꝫ eſt. Proinde quia commodiſsimus eſt, nec inſignes habet percuſsiones, & facilè diſsimulatur. Ac nunc quidem plericꝫ initium capiunt ab eodem Pæane, quod mihi minimè probatur. Nam finis clauſulæ diuerſum eſſe à principio debet. Porrò duplex eſt Pæan, alterum aptiorem initijs puto, eóque etiam num utuntur, is eſt, qui à longa oritur, quam tres breues conſequuntur, ἀλλογενὴς, & reliqua. Alter uero clauſulæ conuenit ordiens à breuibus tribus extrema producta, atcꝫ longa, ut μετὰ δὲ γῆν, & reliqua, is adhibetur ad extremum retrorſum. Nam

breuis ſyllaba cùm ſit præceps, & ceſſans, infractum, & amputatum exitum præbet. Quare ut euidens, & manifeſtus finis habeatur, ſtabiliendus eſt productione ſyllabæ, quæ deſtitutam temporibus clauſulam, & à ſequentibus euidenter abſcindat. Neq; hoc propter eum, qui ſcribit, requiritur, nec propter dictata: ſed propter aures ipſas, & numerum. Igitur numeroſa eſſe iubetur oratio. Quales autem id numeri faciant, & quomodo habendi, conſtituendiq; ſint, dictum eſt nobis.

DANIEL BAR. *in* CAP. VII. & VIII.

FOrmam orationis, neque plane metricam. *De modo, & forma uerborum collocatorum nunc agit Ariſtoteles, nos eius ſententiam primo, deinde uerba exponemus. Eſſe igitur numerum oportere, nemo eſt, qui dubitet, nam & natura ipſa, & res poſtulat, ut oratio numeroſe cadat. Natura enim ut in ſenſibus alijs, ita in auribus ſuas poſuit uoluptates, & res quoque monet, ut defatigati qui ſunt, ſæpius interſpirent. Hanc rem cùm in Poëtis, & fictoribus plurimum ualere oratores uiderent, quippe qui aurium, & ſuauitatis cauſa numeris uerba concinnius, & plenius illigantes, uulgò erant admirationi maximæ, inconditam, & rudem antiquorum conſuetudinem odiſſe cœperunt, & nouis quibuſdam menſuris orationem ſtruere, & componere auſi ſunt. Autor, & primus in ea re Traſimachus, quem ſubſecutus eſt Iſocrates, quo nemo in eo genere ſcientius eſt uerſatus. Cùm igitur numerus ſit, reſtat ut uideamus, qui & qualis eſſe oporteat. Ariſtoteles igitur, quem Cicero, & Fabius ſequuti ſunt, formam orationis non omnino eſſe metricam, & numeroſam, ut uerſus, ſed ſuis menſuris conſtare dicit. Non debet autem eſſe metrica: nam quod elaboratum, & cultum induſtria cernitur, probabilitate, & fide caret: putant enim qui audiũt, orationem arte, & aſtutia quadam confici, qua eorum fidem attentari timent.*

Probab

Probabilis autem omni ex parte debet eſſe oratio. Probabilius autem genus eſt orationis, ſi aut non nimis comptum, atque expolitum, ſi eſt autoritas, & pondus in uerbis, ſi ſententiæ uel graues, uel aptæ opinionibus hominum, & moribus habeantur: nam ſi uerba ſunt certa numerorum lege inter ſe compacta, diſtrahitur auditoris animus, & à rebus ipſis ad numerorum ſuauitatem ſeipſum conuertit, & reſponſum numerorum expectans, non quid dicatur, ſed modum, quo quid dicitur, attendit: & iudex efficitur orationis, an mutila, an decurtata, an productiora, & quaſi immoderatius excurrentia uerba ſint: an terminatione aurium concluſa potius, quàm res ſint, nec'ne: iuſtæ, an iniquæ: honeſtæ, an turpes: utiles, an inutiles habeantur. Quemadmodum igitur pueri præueniunt uocem præconis, cum ſciunt aliquem ab eo liberum publicandum, certa enim & uulgata uerba dicebantur, ita qui numerum, & uerſum audit, præuertit dicentem, quia terminationem uocis aures numeris aſſuetæ expectare ſolent: cumq; ſit numerus deprehenſus, facilè quiuis eum perficit, uel cùm auditum eſt carmen unum, aliud, atque aliud ab auditoribus expectatur. Qui libertate donabantur, procuratorem, & commiſſarium eligebant, quem præco nominabat: pueri præſcientes, quem præco nominaturus erat, præconis uocem præoccupabant, atque ipſum, quem nouerant electum iri, nominabant. Hæc igitur cauſa eſt, cur oratio uerſus eſſe non debeat. unde Cicero: In quo illud eſt uel *maximum, quòd uerſus in oratione, ſi efficitur coniunctione uerborum, uitium eſt: & tamen eam coniunctionem ſicuti uerſum numeroſe cadere, & quadrare, & perfici uolumus.* Ratio *huius ſecundæ partis, quoniam ſi numerus abſit, & uerba ipſa ſoluta ſint, prorſus fiet, ut uagari uerba, & in infinitum excurrere uideantur: at infinito nihil inſuauius, nihil eſt obſcurius. Quare ut nimium cultum, & nimiam uolu-*

ptatem

ptatem fugiamus, ne ſuſpecta oratio noſtra ſit, neque ſenſus in profluenti ſuauitate natura, non mente ſatientur, uerſum in oratione ſoluta uitare meminerimus. Vt uerò expeditè, & ſuauiter audiamur, numeros non negligemus. Numerum uocat Ariſtoteles dimenſionem quandam numeroſam, quæ pedibus conſtet, quorum congeries proportione reſpondeat, & modulationem quandam habeat, quæ prolationis interuallo metiatur. Rhythmus ſpatio temporum conſtat, ſunt etiam rhythmis libera ſpatia metris finita. Finiuntur autem mnia numeris. Cicero: Sed quis omnium doctior in rebus, uel inueniendis, uel iudicandis acrior Ariſtotele fuit? Si uerſum in oratione uetat eſſe, numerum iubet. Hoc declarat illud Ariſtotelis, ex quibus non uerſus integri, ſed cæſi, & trunci conflantur. ῥυθμὸς eſt propriè numerus oratorius, ſicut Enthymema eſt ſyllogiſmus oratorius. Ex numeris heroicus. Nullus numerus eſt extra Poëticos: Propterea quòd definita ſunt genera numerorum. Quæritur ergo, quo numero ſit utendum. Ariſtoteles hoc loco iudicat heroicum numerum, id eſt dactylum, ſpondeum, anapæſtum, grandiorem eſſe quàm ſoluta oratio poſcat: Iambum autem nimis è uulgari eſſe ſermone. Itaque neque humilem, & abiectam orationem, nec nimis altam, & exaggeratam probat, plenũ eam uult eſſe grauitatis, ut eos, qui audiunt ad maiorem admirationem traducat. Trochæum autem, qui eſt eodem ſpatio, quo Choreus, Cordacem uocat, id eſt, mollem. Κορδακίζειν, eſt eorum, qui laſciuiuſculè ad ſonum cytharæ̃ ſaltant. Mollem hũc ergo appellat, quia contractio, & breuitas dignitatem non habet. Ita Pæana probat: eo'que ait uti omnes, ſed ipſos non ſentire cum utantur, & eſſe tertium, ac medium inter illos, ſed ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modus inſit, aut ſexquiplex, aut duplex, aut par, ut ait Cicero in Oratore, ubi mentem aperit Ariſtotelis: ita fit æqualis dactylus, duplex iambus,

iambus, ſeſqui pæan. Attamen de Numero *aliqua nos etiam dicamus.* Poſtquam *igitur rem, qua de agimus, habere cognoſcimus, quoq; artificio, quibus uerbis, & quibus luminibus explicanda, & illuſtranda eſſet tenuimus, reſtabat de* Circuitu, & Periodo *pertractare.* Periodus *ergo collocationem habet, exitum, & numerum. nam* Periodus *eſt totius orationis rotunda, & referta uerborum compoſitio, in qua attenditur* Collocatio, *ut dixi,* Exitus, & Membrum *etiam, &* Numerus. Collocatio *eſt dictionum numeroſa compoſitio.* Clauſula & Exitus *eſt periodi finis numeroſus.* Membrum *eſt uno ſpiritu prolata oratio, quæ uel ſententiam uniuerſam, uel eius partem breuiter, & abſque interuallo abſoluit.* Membrorum *uerò, quæ breuiora ſunt,* κόμματα, *id eſt, cæſa dicuntur: quæ uerò longiora,* κῶλα *nuncupantur à Græcis, à* Latinis Membra. Numerus *tanquam forma quædam ex collocatione, & clauſula efficitur, cùm neque ſit collocatio, neque clauſula: & quemadmodũ diuerſa eſt domus à lignis & lapidibus, ex quibus conficitur, ita numerus cùm ſit alius ab exitu, & collocatione, forma tamen quædam eſt ex his concreta.* Quare *illud totum, quod per uniuerſum ambitum, & periodum numeroſè cadet, quod'que in exitu eius ſpectari poterit, illud inquam totũ* Rhythmus, *id eſt, numerus rectè appellari poteſt. Cùm igitur alia ſit collocatio, alius'que exitus in puro genere, & alia collocatio, exitus'que alius in circunducto, neceſſariò ſequitur, ut alius quoque numerus ſit in illo genere, & alius in hoc. uerbi gratia:* In *puro genere iambis, & trochæis collocatio referta erit, clauſula quoque deſinet in iambum, & trochæum, nec planè uerſum faciet, licet numeroſè cadet, unde numerus ex utriſque puro generi aptus efficitur: at in circunducta, & ampla oratione diuerſa ratio eſt exitus, collocationis, & numeri. Cæterùm non ignorare oportet, quòd exitus, numerus, & collocatio*

quanquam difficilia ſunt, pauca tamen ad puritatem conficiendam colligunt, aut parum: atque hoc in reliquis generibus ferè accidit, ſi non omnibus, ſaltem plurimis, nam uis eorum uniuerſa, tum ſententijs, tum uerbis, tum artificio, & figuris, uel etiam membris abſoluitur, & perficitur magis, quàm numeris. Vnde ait Ariſtoteles : At numeros quidem non nimis exactè conquirendos puto, ſed quatenus conuenit. *Niſi fortè perpolitam quærimus orationem, in qua exitus, & uis numerorum maximè ualet, nanque ad Poëticen accedit, & aurium uoluptatem ſequitur. Sed incidit tempus, ut incongrua, diſſonans, & ab omni numero aliena oratio eſſe debeat, auditum exaſperans, modò in hos, modò in illos pedes exiens, ut dixi, cùm de aſpero dicendi genere diſſerebam. Illud autem in omni genere obſeruandum eſt, quòd ſi oratio ex quibuſuis pedibus componatur, qui quancunque orationis formam conficiunt, clauſulæ uerò, exitusq; per eoſdem, qui cuique aptantur generi plenè, atque abundè minimè fiant, & interiecti pedes intercidant, nunquam nos conſecuturos, ut eos numeros habeamus, qui ſingulis generibus conſonant: nam ſi ex collocatione, & clauſula numerus eminet, quomodo numerum efficiemus, ſi altera pars, id eſt, clauſula non adducatur in numeri compoſitionem: quare neceſſarium eſt, ut clauſula in hunc potius, quàm in illum deſinat pedem, ſi ex ea, & collocatione aptus cuique generi numerus efficiatur. Ex his patet numeros omnes, per omnes periodi partes, in omnibus orationis generibus admitti poſſe. Laudat Ariſtoteles Pæanas, ſed non omnes, at primum, & poſtremum. Primus à longa oritur, quam res breues conſequuntur: ut, deſinite, incipite: ultimus à breuibus deinceps tribus extrema producta: ut, domuerunt, ſonipedes. Periodum à primo incipere, & ab ultimo terminare placet Ariſtoteli. Contrarium ſentit Cicero: unde cùm de hac re loquitur,*

tur, inquit, Atque illi Philoſopho ordiri placet à ſuperiori pæane, poſteriori finire: ea enim uerba illi Philoſopho habĕt uim. Deinde Cicero probat pæana illum in exitu poni, qui incipiat à tribus breuibus, & deſinat in productam. At pæane ueteres uſi ſunt tanquam arcano. Videtur Cicero id hoc modo intelligere ita loquens de Ariſtotele: Pæana probat, eoq; ait, uti omnes, ſed ipſos non ſentire cùm utantur. Duplicem ſenſum uerba illa Ariſtotelis uidentur recipere, uel quia ueteres ſubtimidè utebantur hoc pede, tanquam is, qui à multis damnatus eſſet, ut inquit Cicero, non uident ſe molliſſimum, & grauiſſimum pedem damnare: uel quia, ut loco iam dicto apparet, imprudentes utebantur, quia eum non cognoſcerent. Ἐχόμενον uerbum hoc cathenæ annulis cōſectæ uim exprimit, annuli enim & habere, & haberi uidentur. Cicero medium transfert, & tertium. Pæan ergo medius eſt inter Heroum & Iambum, & Trochæum, Herous, id eſt, Dactylus longam habet unam, & duas breues conſequentes, hæ partes inter ſe pares ſunt, tantùm enim temporis habet longa una, quantum breues duæ. Heroum igitur Cicero æqualem, & parem meritò dixit. Iambus autem & Trochæus ſi in partes æquas ſecentur, illæ partes non erunt pares, ſed altera ad alteram erit dupla: in una enim breuis eſt ſyllaba, quæ uno tempore conſtat, in altera uerò longa, quæ duobus, hunc itaq; duplicem dixit. Eadem ratio de Anapæſto, quæ de Dactylo eſt. At Pæan ſi in partes æquales diuidatur, illæ quidē neq; omnino pares erunt, ut in dactylo, & anapæſto, neq; ita diſpares ut in iambo, & trochæo, altera enim ad alteram hemiolia eſt, id eſt, ſexqui, nam in una parte eſt ſyllaba ipſa producta, quæ habet duo tempora, in altera tres breues, quæ tribus temporibus abſoluuntur. tria uerò ad duo ſeſqui altera proportio eſt, quare inferius hunc numerum Hemiolium uocat Ariſtoteles, ſecuplicem Cicero. hac igitur de cauſa medius, & continens eſt Pæan

pedibus

pedibus ſupradictis.

Heroici menſura qualis unus ad unũ. *Reddidit obſcurum ſe Ariſto. ponit enim ex una parte duas breues, & ex altera unam longam, quare debebat dicere, ut duo ad duo, ſed tantum ualent breues duæ, quantum longa una.* Et *reſpexit partitionem iambi, & trochæi, quorum partes duæ ſunt, & comparatio eſt unius breuis ad unam longam.* μετὰ δὲ γῆν. *Ponit nunc exemplum Pæanis eius, qui in fine ponendus eſt, conuenit enim Græcæ linguæ, quare non interpretatur Hermolaus uerba: Poſt inquit, terras, & aquas, fontes item, & fluuios factos nox aboleuit oceanum.* Erãt *enim omnes aquæ antea ſimul, poſtquàm igitur fontes, & fluuij facti ſunt, oceanus & ipſe qui paßim uagabatur, accepit locum ſuum, illum enim eripuit nox noſtris ab oculis.* Hoc Cicero minime probat, *melius enim dicendum putaret,* Nanq; *eum nox noſtris ab oculis dicitur abſtuliſſe: ut in eo, Patris dictum ſapiens temeritas filij comprobauit. hoc dichoreo, inquit, tantus clamor concionis excitatus eſt, ut admirabile eſſet.* Quæro, *non'ne id numerus effecerit? uerborum ordinem immuta, fac ſic, comprobauit filij temeritas: iam nihil erit, etſi temeritas ex tribus breuibus, & longa eſt, quem Ariſtot. ut optimum probat, à quo diſſentio: at eadem uerba, eadem ſententia, animo iſtud ſatis eſt, auribus non ſatis, ſed id crebrius fieri non oportet. Primùm enim numerus agnoſcitur, deinde ſatiat, poſtea cognita facilitate contemnitur. unde Ariſtoteles,* Neq; hoc propter eum, qui ſcribit: nec propter dictata. *Id eſt, ad ſcriptionem, quod ſcilicet ſcribens punctum ſignauerit: non enim oportet finem eſſe manifeſtum animo, uel quia, qui ſcribit, finem puncto ſignauerit: ſed oportet finem eſſe manifeſtum propter rhtyhmũ, & numerum in quo clauſula debet conſiſtere. Cicero: Hanc igitur ſiue cõpoſitionem, ſiue perfectionem, ſiue numerũ uocari placet, & adhiberi neceſſe eſt,*

ſi orna

ſi ornatè uelis dicere, non ſolùm quod ait Ariſtoteles, & Theophraſtus, ne infinitè feratur, ut flumen, oratio, quæ non aut ſpiritu pronunciantis, aut interductu librarij, ſed numero coacta debet inſiſtere, uerum etiam quòd multo maiorem habent apta uim, quàm ſoluta. Cæterum non tanta religione ab heroicis pedibus, iambo item, & trochæo abſtinendum eſſe monet Ariſtoteles, ut ab illis omnino caueamus: hoc enim neque fieri poteſt, nec collocatio uerborum poſtulat. Sed illud uidendum eſt, ne pedes hi continui ſint, ut duo dactili, duo iambi, duo trochæi ſe conſequantur. Sed in Oratore Tullius hanc de numeris quæſtionem copioſe tractat, ut eorum originem, cauſam, uim, naturam, qualitatem, præſtantiam, permixtionem, uſum, edoceat, quatenus in oratione utiles habeantur.

De nexa, & contorta locutione. CAP. IX.

LOCVTIONEM ipſam neceſſe eſt aut pendentem, & continenter uno complexu tantum, atque curſu coniunctam, cuiuſmodi ſunt dithyrambicis ſui orbes, ſiue dilationes: Aut diſtinctam interuallis, ac cæſam: & ueterum Poëtarum Antiſtrophis ſimilem, Prior illa, quæ Pendens, Nexaque dicitur, antiquorum fuit, qualis eſt ea Herodoti Thurij hiſtoria: ea enim, ut dixi, uſa eſt ſuperior omnis ætas, eademque pauci nunc utuntur. Pendentem orationem appello, quæ per ſe nullo exitu numeretur, niſi quodammodo temere, ac fortuitò res, qua de agitur, inſiſteret ipſa, ac perueniret ad finem. Quod genus cùm in infinitum excurrat, delectare nullo modo poteſt: nam aures omnium receptum quendam, & exitum ſemper expectant. Nam in cæteris quoque rebus laboris menſuram noſſe, & terminum aliquem ſaltem proſpicere, uoluptati eſt omnibus: eoque fit, ut in cer-

taminibus ſacris, & ſtadijs, qui propè metam ſunt, reſpirare, & quaſi relaxare animum ſoleant, ceu refectis ea ſpe uiribus. Diſtincta locutio periodis conſtat: Periodum uoco circunductam orationem, quæ per ſe principium habet, finem, & quæ circuitus ſui ſpectata amplitudine, atque orbis facilè ferit audientium aures. Erit hæc & ſuauis, & planè dilucida. Suauis quia finita, & quia ſperabit auditor ſemper arripere aliquam concluſionem, propterea quòd ſeorſum ſententiæ ſuo quæque ambitu colligantur: ſicut contrà moleſtiſsimum eſt, cùm nihil intelligimus, nullum contuemur finem, nihil intentione perficimus. Dilucida eſt, quoniam facilè memoria retinentur, quæ concluſionibus, & periodis uinciuntur, Periodi enim numeros habent, & aptè cadunt in pedes, quæ res ad memoriam uim habet uel maximam. Hinc facilius uerſum ediſcimus, quàm proſam orationem: ſunt enim in uerſibus numeri, quorum menſiones, & caſus excepti, aſsignatiq; animo ſunt, diutiſsimè hærent aſſeruanturq;. Cæterùm clauſulæ non ſolùm comprehenſionibus, atque periodis, ſed etiam finiendæ ſunt ſenſibus, qui ut numeros ſequare, concidendi, & delumbandi non ſunt. Quo uitio Sophoclis Iambi laborant, ut illud: Calydon (inquit) hæc tellus Pelopidarum regni. Ex quo uerſu contrarium ſenſum elicere poſſumus ex interpretatione, uidelicet Calydonem in terra Peloponeſo eſſe.

DANIEL BARB.

Locutionem ipſam neceſſe eſt. *Locus is, quanquam difficilis eſt, propterea quòd exemplis earum rerum, quæ dicuntur ab Ariſtotele, nos carere antiquitas cogit, conabimur tamen per eundem autorē rem difficilem declarare. Qui igitur*

rectè componere orationem uolunt, id animaduertant, quòd Ariſtoteles hoc loco dixit: Locutionem *aut pendentem, & uno continenter quaſi curſu coniunctam: aut diſtinctam interuallis, & cæſam. nam locutio tracta pendens, ſoluta, fluens, nexa, perennis, apud* Rhetores *eadem eſt, diuerſa tamen ratione. Sicuti eadem contorta, diſtincta, uincta, atque contexta. Nos primum in qua re conueniant hæc uocabula dicemus, deinde uocabulorum rationem exponemus. Qualitas igitur* Pendentis, *ac* Tractæ *locutionis ea eſt, quæ in ſermone, in epiſtolis, in hiſtoria, & huiuſmodi obſeruatur: nam hiſtoriæ, quæ fluere continenti curſu, ac ferri debet, non conueniunt inſiſtentes clauſulæ, & debita actionibus reſpiratio, & ratio principij, exituſq; ſententiarum: niſi fortè aliquid narretur ornatè, uel regio aut pugna inſignis quædam deſcribatur, uel conciones etiam, & hortationes inſerantur: in his enim aliud locutionis genus expetitur. Sed ſuperiorum genus fluens, tractum, & ſolutum uocatur: non quia ſuos quoſdam non habeat, & forſan difficiliores etiam pedes, ſed quia res ita poſtulat: nam oratio illa nullum ex ſe haberet exitum, niſi res, qua de agitur, inſiſteret, atq; ad finem perueniret.* Hanc orationem *uocat* Ariſtoteles *coniunctione unam, & uno curſu, atque complexu coniunctam: non eo modo, quo dixit in libro de interpretatione, ſed quemadmodum* Ilias, *&* Odyſſea, *dicitur oratio una coniunctione quidem, & complexu: quod etiam* Horatius *dixit,* Simplex *duntaxat, &* unum*: coniunguntur enim partes donec tota res abſoluatur. Cuiuſmodi ſunt* Dithyrambicis *ſui orbes, uel dilationes. ſic ex* Cicerone*: quã rem non ſatis intelligimus, tum quia huius generis exemplo caremus, tum quia dubium eſt uerbum* ἀναβολαί. *Sed ſi licet aliquid coniectari, dicerem illud uerbum proluſiones ſignificare, quæ ante legitimum ſonum aurium cauſa ſolent fieri: hæ quoniam nihil habent commune cum legitimo ſono, ideo eas inferius di-*

rius dicet Ariſtoteles *ſimiles eſſe procemijs generi demonſtratiuo accommodatis.Sed quomodo id ad rem noſtram?* An *quia ut proluſiones illæ cytharœdorum, etſi nihil habent cum legitimo ſono, & conſequentibus ſerijs non cohærent,iunguntur tamen : ita in exornationibus procemia ſunt maxime libera, & quod quiſque uult initijs dicere poteſt, & ſequenti continenter committere.Vnde inferius* Ariſtoteles, Initia,*inquit,quæ dithyrambicis adiunguntur,cognata ſunt ijs,quæ in demõſtrationibus,& reliqua.*V*t igitur dithyramborum proluſio cum dithyrambo res una coniunctione dicitur, licet non cohæreat: ita & in hoc* Pendenti *genere, illud unum coniunctione dicitur,quod unum etiam ratione unius rei,qua de agitur,non ratione contextus,eſt unum.* Hanc *puto ego eſſe* Ariſtotelis *mentem.*Orationem *pendentem eſſe debere, quoniam à rebus pendeat, & per ſe nullo exitu terminetur, niſi res ipſa inſiſtat, & uno complexu tantum & curſu coniunctam, cuiuſmodi, ſunt dithyramborum proluſiones, quæ complexu quodam potius temerario,quàm certo ſequenti cum ſonocom mittuntur.* H*æc oratio* Soluta *dicitur, &* Fluens, *quia nullo certo ambitu continetur,* Nexa, *quia nexu rerum copulatur.* Plato *de generibus* Muſices, *ac figuris hæc ait*: Fuitq; *una ſpecies cantus, ad* Deos *precibus placandos, quos* Hymnos *uocabant: huic altera cantus contraria ſpecies* Elegia: *tertia* Pæan: *quarta* Generatio Bacchi, *quam* Dithyrambum *arbitror appellatum:dictus autem* Bacchus *eſt* Dithyrambus *ab antro* Niſæo, *cuius duæ ſunt portæ, unde illud nomen deriuatum eſt:in eo enim educatus eſt:quo fit,ut conſentaneum ſit credere,id genus carminis* Baccho *fuiſſe idoneum.* Hinc Cicero, Inde, *inquit, ille licentior, & diuitior fluxit dithyrambus, cuius membra,& pedes ſunt in omni locupleti oratione diffuſa. Sed nos ad genus* Diſtinctum *ueniamus*: Cicero *id* Contortum, Fabius Contextum*uocat.* Huius *connexa ſeries*

tres

tres habet formas: inciſa, quæ κόμματα dicuntur: membra, quæ κῶλα: ambitus, quos περίοδους, dicunt. Vt igitur in priori genere cauendum eſt nobis, ne fluat oratio, ne uagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, ita in hoc efficiendum eſt, ut membris diſtinguatur, ut conuerſiones habeat abſolutas: atque ut illud proluſioni dithyramborum ſimile eſt, ita hoc antiſtrophæ, id eſt, reuerſioni, qua utebantur antiqui: nam ex tribus, uel quatuor, uel etiam pluribus, & eiſdem diuerſis carminibus conuerſionem, quam στροφὴν dicunt, efficiebant, poſtea ad idem genus carminum reuertebantur. Vt igitur certus erat metrorum numerus, certa ratio, certaq; connexio in ea poëſi, ita in hoc genere quæritur contextus, & comprehenſio certa, membrorum, & cæſorum diſtinctione partita: nanque illa Herodoti Thurij demonſtratio hiſtoriæ, id eſt hiſtoria, fuſo genere confecta eſt: & quanquam iucundiſſimus fuit, hoc tamen alia ratione fuit, quàm illa, qua oratores ſunt: aliud enim genus hiſtoria, aliud oratoria poſtulat uis. Herodotus autem Halicarnaſſeus fuit, Thuria uerò Halicarnaſſeorum colonia, in eo uarietas fabuloſa, & genus hoc fluens ſuauitatem peperit, nam rerum ordo in eo numerum fecit, ſine ulla aperta eius induſtria, cuiuſmodi eſſet illud, Nam ubi libido dominatur innocentiæ leue præſidium eſt: hoc enim rerum ordine ſolo aptè cecidit. Vnde Cice. Itaque ſi quæ ueteres illi, Herodotum dico, & Thucydidem, totamq; eam ætatem, aptè, numeroſeq; dixerunt, ea non numero quæſito, ſed uerborum collocatione ceciderunt. Non igitur numero tantùm numeroſa oratio, ſed etiam compoſitione fit, & genere. Quod dictum eſt, concinnitatis & harmoniæ compoſitione: poteſt intelligi, cùm ita ſtructa uerba ſunt, ut numerus nō quæſitus, ſed ipſe ſequutus eſſe uideatur. In Oratore contortū genus laudatur, quia diſtinctum eſt, & periodis cōſtat. Periodus eſt circunducta oratio, quæ per ſe principium

cipium habet, & finem, & quæ circuitus ſui ſpectata, & cognita magnitudine, ferit audientium aures: hæc quia finita, ſuauis, quia facilis, memoriæ planæ, & commoda erit.

Quo uitio Sophoclis Iambi laborant. *Fabius, Amphibologiam quoq; fieri uitioſa collocatione uerborum nemo eſt, qui dubitat. Verſiculus Sophocleus, aut Euripidius, ut ait interpres, ſi ſcribatur ſic, Calydon hæc, tellus Pelopidarum regni: ſenſus erit, Calydon hæc eſt, appoſitiue urbs Peloponeſi. Et hoc erit falſum: nam Calydon urbs Aetoliæ. Sed ſi dicas, Hæc quidem Calydon eſt, illa uerò urbs Peloponeſi: alius erit ſenſus. Vitioſum igitur hoc eſt, quia poſſumus contrarium exiſtimare, ſi periodus diuiſione tantum, non etiam ſententia diſtinguatur.*

De Periodis. CAP. X.

PERIODVS omnis aut membratim effertur, aut ſimpliciter ſingulis quaſi uerſibus deponit, ac ſedet. Membratim effertur, quæ nodis quibuſdam interuallisq; diuiditur, & præterea eiuſmodi eſt, ut eam ſpecies pronuntiantis facilè proſequatur, non ad cæſionem uſque, & quemadmodum iam dicta periodus, ſed quo ad uniuerſus circunducitur orbis. Membrum uerò portio periodi, & comprehēſionis eſt alterum. Simplicem, quæ ſine membris uno contextu, ac ſerie clauditur. Oportet autem tum membra, tum circuitus neq; amputatos, & perbreues, nec contrà immodicos, & excreſcentes eſſe. Nam præcincta, & curta concluſio auditorem ſæpenumero quaſi offendere facit, & cadere. Quemadmodum enim qui impetu longius concepto, ſi obiectu aliquo reuocentur, quaſi ſpiritu eliſo feſtinationeq; corruunt: Ita qui audiēdo occupati ulterius tendunt, & depoſitionem aliquam mediocrem expectant, oratione interrupta, & quaſi cōuulſa repente ſilentium

oritur:

oritur: hoc eſt, ſi ij, qui dicunt, media intentione deſti-tuunt, neceſſe eſt ut illi tanquam intercepti reſultent, & concidant. Quæ uerò longiuſculæ ſunt, quum ſit neceſ-ſe, tranſiliunt, relinquuntq́ auditorem: eo modo, quo ij, qui ſeſe extra terminos metarum flectunt, nam & hi deſerunt obambulantẽ cœtum. Præterea Periodus lon-ga uidetur integra oratio, & quæ ueterum more de-mum cõcluditur, abſoluta cùm eſt: quod genus nos Su-ſpenſiones, & Dilationes appellauimus. Vt dici poſsit illud hoc loco quàm commodiſsimè, quo Democritus Melanippidem cauillabatur, qui ſublatis antiſtrophis continenter dicere maluiſſet: Ipſe ſibi quærit, qui alijs incommoda quærit. &, Suſpendenti ſuſpenſio peſsima ſemper. Hoc idem uериſsimè in eos dicetur, qui longa membrorum ſerie orbem illum, & circuitum tardiſsi-mè finiunt. E' diuerſo non eſt habenda periodus, quæ breuiſsimè, & ocyſsimè præterit, quæq́ auditorem rue re, & præcipitem ire compellit.

De formis orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, ut ſe-quatur numerus neceſſariò. CAP. XI.

EST & illa partitio orationis quę conſtat ex mem-bris, alia ut diſtinctas, alia ut oppoſitas per conten tionem ſententias habeat. Diſtinctas, ut illa: Sæpenume ro admiratus ſum ſtudia, & uirtutem eorum, qui cõuen tus tales, celebritatesq́ Gymnicas inſtituerunt. Oppoſi-tas habet in cuius ut quoq́ membro uel cõtrarijs appo-ſita contraria referuntur, uel unum ad uerbum duo con traria adiunguntur, hoc modo: Vtriſq́ utiles fuere, & ijs, qui domi remanſerunt, & ijs, qui ſecuti ſunt illos: his plura parauerũt, quàm poſsiderent domi: illis facultates ſuas reliquerũt, quibus ſoli honeſtius, & liberalius frue rentur. In hoc ſermone contraria contrarijs ſunt relata:

nam Remanere, & Sequi, contraria ſunt. Item ad illud, Plura parauerunt, redditum eſt, Facultates ſuas reliquerunt, quibus ſoli honeſtius, & liberalius fruerētur. Quo circa ſatisfactum eſt utriſq;, & ijs, qui rem familiarem ſuam amplificare ſtudebāt, & ijs, qui partis opibus frui uolebant. Hic Studium quęrendi opponitur Cupiditati fruendi. Item in his frequens eſt illud, ut ſtolidis faueat Fortuna, ſapientibus aduerſetur. Ac derepente quidem ille euaſit ſummus magna parte terrarum domita, mox & imperio maris parto: utrunq; uerò adeo impotenter, ut terras enauigarit, & undas inceſſerit. Nam & Helleſpontum facto è nauibus ponte conſtrauit: & montem Athon perfoſſa tellure diduxit. Qui natura ſunt ciues, lege ciuitatem amittere. Alios miſerè perditos fuiſſe, alios turpiter ac fœdè ſeruatos. Priuatim in famulatu barbaris utimur: publicè ſocios, qui barbaris ſeruiunt, negligimus. Aut ornari uiuos oportuit, aut contemni defunctos. Quo de genere eſt & dictum illud, quo in iudicium quidam Pytholaum, & Lycophronem taxauit, Atqui hi (inquit) iudices ſolebant uos, domi cum reliquiſſent, diuendere: poſteaquam ipſi redierunt ad nos, ipſi ſunt coëmpti. Omnia hęc, quæ attulimus exempla, uidētur oppoſitionem illam habere, de qua dictum eſt. Quod genus plenum eſt feſtiuitatis, & uoluptatis, tum quòd contraria illa ſponte ſua notiſsima ſunt, præſertim cum inter ſe per collationem breuiter cōmittuntur: tum uel maxime quòd compoſitionem habent ſyllogiſmo non abſimilem. Nam is, qui Elenchus dicitur, inductione, & collectione Pugnantium rerum conſtituitur: igitur oratio huiuſmodi Antitheſis, hoc eſt contentio, & oppoſitio appellatur. Eſt etiam collocatio illa uerborum ad genus hoc pertinens, quæ Compar dicitur.

Ea intelligitur quotiens membra ſunt paria,id eſt, cùm par pari refertur.Habetur,& Similiter cadens,ea uidelicet quæ utriuſq; membri caſus habet in exitu ſimiles.Similitudo autẽ illa caſuum aliquando ad finem,aliquando ad initium adhibetur. In Principijs ſemper nomina ſimiliter definita melius collocantur: in finem uerò, aut extremæ ſyllabæ diuerſorum nominum, aut eiuſdem nominis diſsimiles caſus, aut idem, atq; integræ dictiones per iterationem retractationemq; commodè conferuntur. Eius orationis, quæ primo conuenit, exemplum tale eſt:Agrum aut agrum ab ipſo.Eius autem, quæ accommodatur ad exitum, tale:Exiſtimatus eſt ipſe infantẽ peperiſſe,& autor,atq; cauſa fuiſſe.Item, Erat illi cogitatio maxima, cæterũ ſpes minima. Quòd ſi dixeris, Dignus es cuius imago, atq; res geſtæ incidantur in æs, non cuius facta rependantur ære. Erit eiuſdem nominis in ultimam partem collati iteratio, differens ſolo caſu. At ſi diceretur, Tu uerò illi & uiuo dicebas malè, & nunc in mortuum ſcribis male: erit eiuſdem nominis retractatio, ac repetitio integra. In ſyllaba uerò una erit exitus ſimilis hoc modo, Quid nã eſt quod tam grauem rem putaſti,ſi ocioſum hominem uidiſti? Quanquam uero genus hoc, quod eſt ex tribus partibus collocationis,multiplex eſt, aliquando tamen ita incidit, ut & contentio, & compar, & ſimiliter cadens in eundem ſermonem cõcurrant. Porro qualia initia adiungenda periodis ſint, in libris ad Theodectem explicauiſſe, atq; enumeraſſe me ſcio. Illud hoc loco ſubijciendum arbitror, pleroſq; contentionibus, quas Antitheſeis uocauimus,falſis uti, ut in illo Epicharmi, Interdum,inquit,illorum unus ego habebar,interdum apud illos ego.

tædium parit, quia cum re non uidetur cohærere. Vnde in eum, qui cunctatur, & in longum deducit animos auditorum, nec reuertitur ad exitum, rectè illud accommodari poteſt, quod Democritus dixit in Melannipida: Ipſe ſibi quærit, reliquis qui incommoda quærit. Quaſi in hunc modum moneat Ariſtoteles, Ne ſint ambitus oratores ueſtri, & comprehenſiones ueſtræ nimis productæ, nam in uos tædium audientium redundabit, deſtituent deinde uos in medio curſu, inde fiet ut ſoli uiæ finem, exitumq́; inuenietis.

Eſt & illa partitio orationis, quæ cõſtat ex membris. Cicer. *Formæ uerò quædam ſunt orationis, in quibus illa concinnitas ineſt, ut ſequatur numerus neceſſariò: nã cùm aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt, uerba uerbis comparantur: quicquid ita concluditur, plerunq; fit, ut numeroſè cadat.*

Par pari. *Compar dicitur, cùm membra orationis ea ſunt, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum. Ferè dico, quia hæc paritas interiori quodam iudicio æſtimanda eſt: non autem par omnino ſyllabarum numerus ſit oportet in utroq; membro, quanquam ſi ſit, bonum eſt: ſed duæ interim, & tres quoq; ſyllabæ ſuperant. Præterea uidendũ eſt ne in uno mẽbro longæ plures, in alio plures habeãtur breues: nã & hoc quoq; modo membrum à membro excedi poteſt, quare iudicio tempora, & ſyllabæ ſunt ponderandæ.*

Porro qualia initia. *Videbat ſe aliquid omiſiſſe Rhetor is optimus: nanq; agendum erat de periodorum principio, quare ait, de ijs ſe in libris ad Theodectem dixiſſe. Ex his duo elicimus, alterum eſt, hos libros non eſſe (ut aliqui uolunt) ad Theodectem conſcriptos: alterum, quod etiam Cicero uſurpauit, & eſt de periodorum initijs. Hermogenes ait redditionem per eundem caſum, per quem periodus incipiet, fieri oportere: fieri autem per omnes poſſe, iam patet. Cùm igitur à recto periodus*

riodus incipit, rectum neceſſariò reſpondebit: cùm per obliquum pariter, per obliquum reddetur ſic, Qui ad nos uenit, is malum nobis affert. Cuius mens mala, huius malum eſt opus. A quo diſsidium, ab eo iniuria quoq; oritur. Quem amamus, hunc timemus. Dixi autem periodum uno mēbro confici, ut, Non'ne te pudet? Nunc dico duobus, ut habent exempla iam dicta, & tribus, quatuorq́; perfici poſſe. Tribus quidem, hoc modo, Qui uenit ad nos, hunc enim noui, is certè malus eſt. Quatuor uerò ſic, Qui uenit ad nos, noui enim hunc, nam patrem uerberauit, is malus eſt. At Theodectem nos eum putamus, de quo Cicero ait, quod de Rhetorica libros conſcripſit, & ad quem modo Ariſtoteles miſiſſe affirmat libros de arte. Sed hæc hactenus. Vidimus autem iam ea, quæ dictiones conſequuntur, inde ad dictiones acceſsimus, deq́; ijs primo tractauimus, quæ ſolutæ, ac per ſe ſumerētur, mox ad Collocationem earum peruenimus, cuius alteram partem Concinnitatem, alteram uerò Numerum appellauimus, ac de utraq; ſatis amplè loquuti ſumus, & dictionē uniuerſam per ſua genera diſtinximus, quæ omnia pertinere ad aurium uoluptatem contendimus. Supereſt ut de alijs quoq; rebus agamus, quæ ita condiunt orationem, ut quaſi ſale conſperſa ad eius appetitum excitent auditorem.

De Ridiculis, & Salibus. CAP. XII.

HIS in hunc modum confectis, ſequens eſt, ut de Salibus dicatur, uidelicet ijs, qui urbani, probatiq; cenſeantur. Ac res quidem ipſa naturæ propria eſt, atq; ingenio tota conſtat, aut exercitatione, præceptio uero ad inſtitutionem oratoriam pertinet. Explicabimus igitur genus hoc quale ſit. Atq; hinc protinus ordiamur. Natura inſitum eſt omnibus, ut cum uoluptate accipiant, quæ ſine labore poſſunt intelligere, ac diſcere. Nullum eſt uerbum, quod non ſignificet aliquid. Illa igitur uocabula, quæ intelligentiam

nobis

nobis facilè pariunt, iucundiſsimè audiuntur: ac ſermo quidem omnis externus alieno ignotus eſt, ſuam quiſq; linguam, & modum loquendi cognoſcit. Tranſlatio autem una potiſsimum facit, ut res facilè agnoſcantur. Nam qui ſenium indicaturus paleam dicit, quaſi ſubijcit oculis ſenectutem, atq; illam rem per genus apertè demonſtrat, quoniam utraq; res defloruiſſe, inaruiſſeq; uidetur. Idem ferè præſtant imagines, & ſimilitudines Poëtarum, quæ propter eandem cauſam urbanæ, uenuſtæq; iudicantur: eſt enim Imago, ut ſuprà diximus, translatio duntaxat appoſitiuncula differens. Quæ ratio obiter facit, ut quàm longiuſculam compoſitionem habeat: minus etiam uoluptatis habere, quàm translatio, uideatur. Non enim pro ipſa re dicitur, ſed hinc quod uolumus exprimere, comparatur: igitur nec quærit id animus. Sanè opus eſt eum, qui tum perpetua oratione, tum argumentorum inuentione uolet urbanus eſſe, ſententias afferat ad docendum acutas, atq; ueloces. Nam & planiſsima, quæ nemo ambigat, aut quærat: & obſcura, id eſt, quæ cùm dicta ſunt, minimè intelliguntur, urbana eſſe, aut haberi minimè poſſunt: ſed ea tantùm, quorum notitia etiam ſi antè ignorabatur, ſimulatq; accepta ſunt, aut ſtatim habetur, aut non multò pòſt ſequitur: Atq; ita ſemper quaſi condiſcitur aliquid, ſiue continuo (ut dixi) ſiue mox: quorum neutrum contingit, ſi aut uulgaria, aut remota dicuntur. Verum Enthymemata, & argumenta quibus ineſſe debet urbanitas, commendanda ſunt ſenſu, ac rerum ipſarum inuentione. Elocutio autem ac forma ipſa ſermonis, id eſt, explicatio multifariam urbanitate conditur. Primùm compoſitione ipſa, & figura dicendi, qualis eſt, quæ per contentionem

nem conſtat relatione contrariorum: ut ſi dicatur, pacem hanc, ut cæteris pacem, ſic ſuis non pacem, ſed bellum putabant. Nam bellum paci per oppoſitionem relatum eſt. Ex uocabulis quoque urbanitatis materia præbetur, ſi translationem habent, neque alienam, & obſcuram, neq; contrà manifeſtam, ac ſtultam: nam altera peruideri non poteſt, altera ad mouendos homines in aliquem affectum non eſt idonea. Multum etiam confert ad occaſionem illam oratio, quæ rerum imagines ita repræſentat, ut oculis cerni, & tanquam agi tum uideantur: illud enim in hoc genere quęritur, ut res clare, & actuoſe dicantur, utq; qui audiunt, intueri ſe illas, atq; præſentibus intereſſe potius, quàm abſentibus putent. Ergo ſpectanda ſunt tria hæc quibus urbana oratio efficitur: Translatio, Contentio, Euidentia.

De Translatione. CAP. XIII.

CVM uero quatuor habeantur ſpecies translationum, illæ potiſsimum uidentur in hoc genere cõuenire, quæ collocationem habent inuicem, ex proportioneq; reſpondent: qualis fuit ea, quà Pericles eſt uſus: Iuuentutem, inquit, bello exhauſtam, atq; ereptam ciuitati, faciem eius ita deformaſſe, ac ſiquis uer ſuſtuliſſet ex anno. Leptines quoq; cùm de Lacedæmonijs loqueretur, Non eſſe permittendum ut Græcia altero oculo careat. Cephiſodotus cum Charetem belli Olynthiaci adminiſtrati rationem reddere properantem uideret, atq; ægre id feſtinationis tuliſſet, Accelerat, inquit, expungere, ut populus dum ſuffocatus eſt, rationes accipiat. Idem Athenienſes hortaturus ſumpto uti cibo in Eubœam traijcerent, Oportere, inquit, ut Miltiadæ ſententia exeat. Iphicrates cùm mo-

leſtè

leſte ferret, inducias cum Epidamnenſibus, atque ora maritima fuiſſe ab Athenienſibus factas: Neruos, inquit, belli præcidimus. & Pitholaus, Paralum Midæ, Seſtum uero Pyræei ſacculum dicere ſolitus eſt. Pericles Aeginam tollendam eſſe dicebat, quòd eſſet Piræei ſordes, ac lues. Myrodes de homine modeſto, & comi, Nihil, inquit, eo improbius eſſe: illum trientario fœnore oneroſum eſſe, ſe decimis eſſe contentum. Alexander in Iambo illo, quem de filiabus nuptias differentibus cecinit, Perendinarias uirgines appellauit. Polyectes cum Speuſippum quendam comitiali morbo uexatum uidiſſet, Non ceſſat, inquit, fortuna exagitare hominem, quinque fiſtularum ſtupore, atque morbo correptum. Cephiſodotus Triremes picta molaria nuncupabat. Cyon Atticas Cauponas amicorum diuerſoria nominauit. Aeſion, Ciuitatem, inquit, in Siciliam effuderunt. Habet hoc & translationem apertam, & rem ante oculos ponit. Quemadmodum fere illud eſt, Vociferatam eſſe Græciam uniuerſam. Et Cephiſodotus cauendum ciuitatibus conſulit, ne frequentes fiant accurſus. Iſocrates ad eos, qui ad celebritatem, & exequias eorum confluxerant, qui apud Salaminam fuerant in prælio interfecti: Aequum inquit eſſe, ut Græcia crinibus tonſis ad funus iſtud accederet, utpote in qua una cum illorum uirtute, libertas quoque ſepulta ſit Græciæ. Porro ad translationem, euidentiamque ſatis erat dixiſſe: flendum eſſe ſepulta uirtute: ſed adijcere uoluit, una cum uirtute illorum, libertatem quoque ſepultam fuiſſe: ut quaſi per contentionem quandam illuminatior, & magnificentior efficeretur oratio. Iphicrates, Erit, inquit, iter orationi noſtræ per medias res à Charete geſtas. Quo in

ſermone,

ſermone, & translatio uiſitur proportione reſpondens, & uerbum, per medias, euidentiam illam facit, ac ſubijcit oculis. Item illud, Hortari ipſa pericula, ut periculis occurramus. hoc & elegantem translationem habet, & repræſentationem illuſtrem. Lycoleon pro Gabria, Nec pudebat, inquit, illum obſecrationis, ſupplicationisque, ſed obteſtabundus urgebat. quæ omnia ille per proſopopœiam ſtatuæ illius æneæ, tribuebat. Fuit autem translatio hæc non ad omnem cauſam, neq; ad omne tempus idonea, ſed ad præſentem uſum accommodata duntaxat, & euidens. Nam illis in diſcrimen adductis aptiſsimè inducitur imago ſupplicauiſſe. Eſt igitur animale opus anima carenti datum, admonitio ſcilicet illa, atque commemoratio rerum, quas Reſpublica olim magnificè memorabiliterq; geſsiſſet. Item illud, Omnibus, inquit, modis parum ſapere meditabantur. Quo loco uerbum Meditari, ſtudium augendi aliquid commonſtrat. Ex eodem genere eſt & illud, Deus mentem in nobis, lumen ut eſſet, accendit. Vtrumq; uerbum, & Lumen, & Accendere, oſtendit aliquid, & quodammodo repræſentat. Item, Non eſt hoc auferre bellum, ſed differre: nam utrumq; quod abſens eſt, & futurum, ante oculos collocatur ut præſens. Dilatio ualet atq; pax huiuſmodi. Item præclariora eſſe pacis trophæa, quàm belli. Nam illa quacunque de re paulo felicius geſta facilè, ac leniter eriguntur. Hæc pro uniuerſo confecto, adminiſtratoq; bello figuntur. Vtræque enim uictoriæ ſunt indicia. Item conſtat ciuitates ipſas infamatione hominum ſæpenumero graues pœnas luiſſe: metaphora eſt: nam damnum quocunque quis iure afficitur, pœna eſt.

De Repre

De Repreſentatione. CAP. XIIII.

DICTVM eſt urbanitatẽ translationibus, repræſentationibusq́ orationi contingere: nunc quid ſit Repræſentatio, & qua ratione uirtutem illam conſequi ualeamus, deinceps exequimur. Igitur ſubijcere oculis ſolent ea, quæ ita ſignificanter, & clarè dicuntur, ut uideantur geri. Nam uirum bonum appellare Quadratum, eſt quidem ut translatio uideri poſsit, quia utraq; res perfecta abſolutaq́ eſt: ſed euidentiam illam, ſiue geſtionem, qua de loquimur, non habet. At ſi dixeris Florentiſsimo ſtatu eſſe quempiam: planiſsimè oſtenditur, & actuoſa translatio eſt. Idem uideri poteſt in illo eſſe, Te uerò tanquam è uinculis dimittendum. Itẽ, Græcos liberis pedibus irruiſſe. Nam Irruiſſe, uerbum non ad translationem modò pertinet, uerùm etiam ad repræſentationem. Vtpote quo ſtudium, & uelocitas accurrentium ad libertatem planiſsimè commonſtretur. Porrò inanimis rebus tribuere animantium opera, per translationem, quo in genere frequentiſsimus eſt Homerus, commendari tunc plurimum ſolet, quotiens accedit claritas illa, atq; expreſsio rerum, quas uoluimus affingere:

Aſt illi petulans iterum per deuia ſaxum
Se rotat. Item,
–Præceps ſimul haſta uolabat. Item,
–Gliſcebant ſpicula mitti.
Incumbunt terræ, & depaſcere corpora tentant.
At tranſit, penetratq; animatum in uiſcera ferrum.
Crudelis mucro. Hæc officia, quæ ſunt animantibus propria, quoniam commodè ad res diuerſi generis adiunguntur, efficiunt illum, quem conamur exprimere actum, & faciem; Nam uerba illa Petulans ſaxum, &

animatum ferrum,& reliqua,apertè rem ponunt. Atq; hæc Poëta per proportionis tranſlationem commiſit. Nam ſaxum illud ita refertur ad Siſyphum,quem infeſtabat,ut petulantes, & impudentes ad eos,quos ſine reſpectu contemnunt, & uellicant. Eadem claritas contingit ex imaginibus,& ſimilitudinibus,quæ ad res ſenſu carentes præclarè accommodantur: ut ſi quis de fluuijs loquatur, flexuoſos & gibberoſos ſalli albeſcentes dicat,& ad alios atq; alios accedere,quæ omnia & mouere ſe,& uiuere finguntur.Repræſentatio porrò imitatio eſt, atq; fictio. Illud autem præcipuè cuſtodiendũ eſt,quod ſuprà dixi,ut ea,quæ tranſlationis gratia aſciſcuntur,& propria ſint,& manifeſta. Etenim inter philoſophos is plurimum uidet, qui in rebus longe diuerſis prouidere ſimilitudinem poteſt.Proinde Architas idem eſſe dicebat, Ars,& Iudicem:quia ad utrunq; confugerẽt,qui afficiuntur iniuria.Hinc illud ſimile eſt,eandem rem eſſe anchoram,& fibulam qua appenditur:utriuſq; enim quadantenus eſt idem:attamen differentia ea,quòd ſuperior hæc,inferior illa intelligitur.Par trãſlatio eſt & illa,cùm dicitur,Ciuitates inæquales eſſe: nã cùm Aequalitas ad planiciem ſolùm pertineat, tranſlata tamen eſt ad ſignificationem potentiæ,ac uirium ciuitatis. Atq; ita una, atq; eadem res in duabus remotiſsimis rebus notata,deprehenſaq; eſt.

De quodam eluſionis genere urbanitati annexo. CAP. XV.

PLANE' urbana ferè plurima ex tranſlatione ducuntur. Accedit eluſio illa, id eſt, cùm expectatio fallitur:maius lumen orationi, ac rebus, quæ dicuntur, infertur. Is enim qui contrà, quàm opinabatur, audit, quaſi excitatur, & planius docetur: fitq; ſæpenumero, uti ſecum animus per hunc modum admonitus, dicat:

Ita

Ita eſt planè,ut audio,nam ego fallebar.Sunt & nonnulla ex ijs,quæ Apophthegmata nominantur,urbana:eo quòd illa,quæ uidentur dici,non dicunt. Quale eſt Steſichori illud , Sibi ipſis,inquit, cicadæ ab humo canent. Eandem ob cauſam iucunda ſunt & Aenigmata , quæ quis rectè,atq; commodè finxerit:nam ſimul & docent illa , & translationem habent. Vtile eſt , ut Theodorus præcipit , & noua inſerere . Noua intelliguntur , quæ præter opinionem eueniunt : atq; ut illius uerbis utar, quæ ad priorem audientium opinionem non reſpondent:ſed ita accidunt auribus,ut præſtigia oculis.Eandẽ uim habent & ſales,qui detractis,uel mutatis literis inuerſione aliqua calumnia commendantur.Nam totum hoc ad decipiendas opiniones audientium pertinet. Ea hilaritas ſolet & in uerſus cadere,ut dicẽti,Eſſe quempiam indutum pedes ulceribus, cùm talaria, aut cothurni expectarẽtur.Quo in genere illud præcipiendum eſt mihi,ut qui eo uolet uti,ſubſtituat res,& uerba,quæ ſimul atq; protulerit,clarè,ac facilè accipiantur. Sane dictum, quod per immutationem literarum aliquam,aut deflexionem infertur,non ſignificat id,quod uerbum ſonat, ſed id quod per annominationem illam ſignificari mẽs uoluit.Quale eſt Theodori ſalſum in Cytharœdum Niconem,quem θράττειν dixit, quod uerbum per ſe ſignificabat allicere : ſed per affinitatem literarum Thracem eſſe illum uolebat intelligi.Quamobrem ſimulabat ſe alterum dicere.Hoc eſt detineri, & capi homines eius artis ſuauitate. Cæterùm cauillabatur,quia inhumanum, & Thracem dicebat : alterum igitur dixit , alterum ſenſit. Quò fit,ut qui id accipiunt,mirifice delectentur. Quòd ſi Thracem eſſe Niconem ignoraſſet,dicacitas ea uenere caruiſſet,& plauſu. Ex eodem genere eſt, & illud πέρσαι.

Cæterùm duo illa, unde dicuntur ſales, neceſſe eſt conuenienter, atq; apte dicantur. Idem obſeruari in dictis urbane oportet, hoc modo: Athenienſibus ἀρχὴν, id eſt, principatum maris, ἀρχὴν, id eſt, principium malorum non fuiſſe. Nam per eum modum auctæ ſunt ciuitatis opes. Aut contrà, ut Iſocrates ciuitatis ἀρχὴν, ἀρχὴν malorũ ciuitati fuiſſe. In utroq; ſermone infertur, quod dictum iri minime ſperabatur, & præterea agnoſcitur uerum eſſe, quod dicitur. Porrò ſi utroq; loco, ubi poſitum eſt nomen ἀρχὴν, imperium ſignificaretur, ſtultiſſima fuiſſet oratio: uerùm non dicitur hoc, ſed quod imperium priore loco ſignificat, ſequenti pro principio accipitur. In his omnibus recte uerſabimur, ſi uocabulum illud, ex quo urbanitas uenit, conuenienter aſciſcitur: ſiue tale ſit, ut multa ſignificet, quod genus Omonyma nuncupantur: ſiue tale, ut per translationem accommodari ad rem noſtram poſsit. Anaſchetus iſte anſachetus non eſt: omonymon eſt Anaſchetus, nam & proprium nomen eſt hominis, & ſignificat eum, qui tolerari non poteſt. Igitur hoc conuenienter aſciſcitur ſemper, ſi retractatur, atq; iteratur id nomen, ex quo urbanitas oritur. Noli mihi plus hoſpes eſſe, quàm hoſpitem decet. Aut aliud quippiam, Non oportet hoſpitem, hoſpitem ſemper eſſe. Hic appellatione hoſpitis, & alienus, & hoſpes uenit. Illud quoq; Anaxandridæ laudatur in primis, Præclarum eſt, inquit, mori antequam facias aliquid uindicandum morte. Idem, Dignus es qui moriare antequam ſis dignus mori. Idem, Dignum eſt te mori, cùm dignus morte non es: aut, cùm nondum commiſeris quippiam ulciſcendum morte. Species hæc, ac forma dicendi quanquam una eſt omnium, plus tamen gratiæ uidebitur dictis af-

ferre,

ferre, ſi breuitatem haberet, & ad breuitatem contentio illa contrariorũ acceſſerit. Ita enim is, qui audit, & plus, & celerius docebitur. Plus, quia contraria appoſitu clarius enitent. Celerius, quia in breue dictum coacta ſententia eſt, ſemper uerò alterum adeſſe oportet in dictis. Aut ut commodè cadant in eum, in quem dicuntur, aut ut per ſe recta, & fortia uideantur: quod fiet, ſi uera, & non uulgatiſsima aſciſcentur. Poſſunt enim iſta, & ſeorſum haberi, & eſſe ſeparata. Mori conuenit, qui nihil in uita deliquit. Non habet hoc urbanitatis multum. Nec illud, Dignas dignis matrimonio collocandas eſſe. Sed ſi nomẽ id repetieris, Dignus eſt mori, qui dignus morte non eſt. Atq; ita quanto plura eius generis ornamenta inculcaueris, tanto urbanior, & uenuſtior ſermo uidebitur: hoc eſt, ſi & uocabula bene tranſlata, & trãſlatio non quæcunq;, ſed ea, quam probauimus, ſi relatio contrariorum, ſi adiunctio parium, ſi euidentia illa, atq; actus orationis acceſſerit.

Similitudines ad urbanitatem conferre. CAP. XVI.

SVNT & Similitudines ad rationem iſtam præclaræ, quas retro diximus tranſlationis eſſe cognatas. Interim autem duabus in rebus poſita eſt Similitudo, quẽadmodum Tranſlatio quoq; illa, quæ dicitur conſtare proportione: ut cùm Clypeum uocamus Phyalã Martis: aut Arcum cytharam carentem chordis: quæ adiectio facit, ut ſimilitudo ſit duplex. At ſi abſolutè Cytharam dixeris arcum eſſe, aut Clypeum phialam, Similitudo ſimplex habebitur. At nunc quidem Imagines, & Similitudines plurimum trahunt hoc modo, ut aulœdo ſimiã aſſimilet, nam utrumq; ſolet circumagi. Speciosiſsima uerò Similitudo eſt, in qua tranſlationis quoq; permixta eſt gratia. Proinde ſi is, qui res bellicas

canit,dicatur tractare Phialas Martis,ſimilitudo erit uerbis translatis expreſſa. Item illud, Rudera,quæ ex ruina domus alicuius fiunt, lacerum ueſtimentum uocare. Item Niceratum Philoctetem eſſe demorſum à Pratye. Quo dicto Thraſimachus illum notauit, quē à Pratye deuinctum cantare uerſus uidiſſet,promiſſo capillo, & adhuc obſitum ſquallore. In hoc autem genere potiſsimum Poëtæ labuntur,niſi commodè utantur,aut parū probati ſint. De redditione ſimilitudinis loquor,ut illa, Ceu apium intortos cruribus ingredi. Et, Certare tanquàm cum Coryco Philemonem. Et id genus plurima, quas omnes Similitudines eſſe, atq; imagines conſtat. Ac ſæpe quidem repetitum eſt à nobis, Similitudines eſſe Trāſlationibus proximas,ferèq; congeneres. Nunc idem de Adagijs,& Prouerbijs dicimus. Ea translationes à ſpecie in ſpeciem ſunt:ut ſi quis aggreſsus rē unde commodum ſperabat,incommodū inueniſſet, dici poſſet,quod ait,Carpathius leporem. Nam uterq; eiuſdem generis damnum ſenſit . Quibus ex rebus elicerentur urbana, & quamobrem adhiberentur, ferè cauſa nobis expoſita omnis uidetur.

De Superiectione. CAP. XVII.

HYPERBOLE quoq;,id eſt,Superiectio,Superlatioue probata,atq; elegans translatio eſt,qualis eam,quæ de homine ſigillato eſt dicta, Putabā, inquit, illum fiſcellam murorum eſſe. Nam ſigillatio quoq; rubens eſt. Verùm à communi translatione diſtat Hyperbole,quòd hæc uehementior eſt,ac mirabilior,illa ſedatior,atq; mollior. Omnis item Hyperbole imago quædam eſt,atq; ſimilitudo,ſed differt forma dicendi: Imago enim comparatur rei, quam exprimere uolumus. Comparatio eſt,cùm dicitur,Philæmonem concurrere

Coryco.

Coryco. Hyperbole eſt cùm dico, Philæmonē eſſe qui concurreret Coryco. Item, Ceu apium intortis eſt cruribus, Comparatio eſt. Putaui non crura eſſe, ſed apium, Hyperbole. Equidem Superlationes conſtat iuueniles eſſe, quoniam impetum quendam, & uehementiam præferunt, quare & dantur iratis. Homerus:

Si tot opes dederis, quot ſunt in littore harenæ,
Coniugio natam Atridæ mihi iungere nolim.
Seu forma Venerem ſuperet, uel arte Mineruam.

Hoc tropo frequentiſsimè utuntur Attici oratores, ſenibus minimè congruit. Admonendi ſunt mihi hoc loco noſcentes hæc, non eadem conuenire in omni genere orationis. Aliam eſſe ſcribendi rationem, aliam altercandi, ſeu recitandi. Item aliter in deliberatiuis, aliter in iudicialibus cauſis uerſandum. Vtrumcꝫ genus tenendum eſt: nam in altero poſita eſt ratio emendate loquendi: alterum facit, ne cùm tradere aliquid alijs uolumus, turpiter tacere cogamur, quod accidere ſolet ijs, qui neſciunt ſcribere. Sane ſcriptio, & quod in libris dicitur, terſum, ac limatum maxime, & ad legem, & regulam compoſitum eſſe oportet: contentioſa uerò, & concertatoria oratio actione in primis, & pronunciatione conſtat. Poſterioris huius duæ ſunt ſpecies. Altera, quam Ethicen uocant, hoc eſt, ad naturam, & mores, & omnem uitæ conſuetudinem accommodata. Altera, quam Patheticam nominant, qua perturbantur animi, & concitantur: quocirca qui comœdias recitant, huiuſmodi fabulas maxime diligunt, quæ tum moribus, tum affectibus uariæ, luminoſæcꝫ uideantur. Poëtæ quoque eos potiſsimum carminum ſuorum actores uolunt, qui eos habitus optime ſoleant in pronunciando concipere, Sed geſtantur præcipue pla-

na, & quæ lectu facilia appellantur. Qua laude Chæremonis ſcripta cenſentur, quæ ad graphicum modum exquiſite uidentur elaborata. Ex dithyrambicis uerò Lycimnius. Quòd ſi utrumque genus commiſeris, inuenies eos, qui componendo ſint optimi, non eſſe actionibus idoneos. Contrà in agendo clariſsimos quoque, ſi legantur eorum ſcripta, quaſi ſerpere humi, ac plebem olere. Cauſa ea, quòd hoc genus pugnæ, & altercationibus proprium eſt. Ergo ſublata actione illa de fabulis, gratia etiam peribit omnis: Imo plane fatua, ac ſtulta ſit recitatio, quæ hoc uno caruerit. Proinde iterata, diſſoluta, in oratione ſcripta non admodum probantur, quibus tamen in agendo, docendoq́ꝫ, neceſſe ſit frequenter uti, quòd ea res in actione, ac pronunciatione fere tota uerſatur. Eſt autem utilis interim uerſio, & emutatio aliqua, cùm res eadem ſæpe retractanda, refricandaq́ꝫ eſt, nam hoc apprime opportunum uidetur ad illum, quem pronunciatione exprimimus, colorem, & actum. Hic eſt, qui depeculatus eſt uos: hic, qui fraudauit: hic, qui uos demum prodere eſt conatus. Fecit hoc Philæmon comœdiarum actor in fabula Anaxandridæ, quæ Senex furioſus uocatur, ubi Rhadamanthus, & Palamedes inducitur: item in prologo illius, quæ Piorum inſcribitur: Ego inquit, & cætera quæ ſequuntur. Quæ ſiquis ſine actione, coloreq́ꝫ recitet, fit illud tritum, ut trabem ferre uideatur. Idem euenit, cum diſſoluta ſine actu ſuo pronunciantur: Veni, occurri, ſupplicaui. Hæc ſuo quæq́ꝫ geſtu, ac ſenſu non uno tenore, aut habitu uocis efferuntur. Habent uerò articuli proprium illud, quod in ſpatio temporis pari, multa uidentur dici. Coniunctio quidem facit, ut unum eſſe uideantur plura. Ea

ſublata

ſublata efficitur contrà, ut unum quod eſt, diſtrahatur, ac diducatur in multa. Ad amplificationem igitur orationis adhibentur articuli. Profectus ſum, collocutus ſum, deprecatus ſum multa. Viſus eſt aſpernari quæ dicebam, contemnere quæ petebam. Hac figura uti uidetur uoluiſſe Homerus, cum diceret, Nireus Aeſimides: Nireus cui candida mater Aglaie, Nireus quo non formoſior alter. Nam is, quo de multa dicuntur, æquum eſt, ut ſæpenumero tractetur. Et qui ſæpenumero repetitur, de eo quoque multa uideantur dici neceſſe eſt. Poëta uerò cùm non eſſet alio loco mentionem eius hominis toto opere habiturus, duxit eam partem callidè per amplificationem eſſe tractandam, ut quem locum, eo quaſi lenocinio quodam, & lumine inſigniuiſſet, ſecurus, id quod fecit, ſileret in poſterum.

Quæ cuique generi dictio conueniat, & reprehenſio nonnullorum: qui aliter orationis diuiſiones afferebant. CAP. XVIII.

ORATIO, quæ in conſilijs adhibetur, ſimilima eſt picturarum umbris, Quantò enim frequentior confluit ſpectantium numerus, tantò ſpectanda eſt longius. Quare quemadmodum in eo genere exquiſitior cura, ut ſuperuacua, & operoſa damnatur, ita in oratione populari diligentia nimia ſolet reprehendi. In iudicijs cauſæ poſcunt accuratius dicendi genus: præſertim ſi coram iudice uno habendæ, agitandæ'ue ſunt. Tunc enim minimæ ſunt partes oratoris, & præterea, quæ controuerſiam faciunt, facilè prouideri, & exponi breuiter poſſunt: arceſsitis non eſt locus, res agitur omnis ad conflictum, & puluerem: quò fit, ut iudicium illud purum eſſe, ac ſimplex oporteat. Quæ

res facit, ut non omnes in omnibus cauſis præcellere uideantur. Quia ubi opus eſt actione, ibi minimum diligentiæ deſideratur. Actione opus eſt, ubi opus eſt uoce, tum clara, tum magna. Enimuerò genus oſtentationis, quo laudatio, & uituperatio continetur, maximè idoneum eſt ad ſcribendum: quoniam ad uoluptatem legentium potius, quàm ad iudicium inſtitui, & referri uidetur. Proximum ab eo iudiciale eſt. Quòd uerò nonnulli ita diuidunt orationem, ut iucunditatem in ea, & magnificentiam exigant, ſuperuacaneum puto. Cur enim potius ita, quàm ut temperata, ut liberalis, ut cæteris uirtutibus prædita eſſe uideatur? Ac iucunditas quidem, ſi rectè definiuimus uirtutem orationis, ex ijs rebus comparatur, quas antè præſcripſimus. Cuiuſnam obſecro alterius rei gratia perſpicuā eſſe orationem oportet, non obſcuram, non humilē, ſed ſplendidam, & planè quæ deceat, ut ſi prolixior fuerit, utique perſpicua eſſe non poſsit: ſicut contrà, ſi nimium contracta, atque conciſa? Sed conſtat mediocritatem tuendam. Iucundam porrò expoſitionem faciunt ea, quæ diximus, ſi uſitata inuſitatis, uetuſtiſque aptè, & commodè miſceantur, ſi numeris uinciantur, ſi uerisimiliter, ſi cum dignitate, ac uenuſtate dicantur.

DANIEL BARB. *à Cap. XI. uſq; ad XIX.*

HIs in hunc modum confectis. *Tractat de Ridiculis, & Vrbanis, & ita tractat, ut non doceat nos ea fingere, ſed eorum rationem oſtendit, unde inuenta ſint, & quæ ex his maximè probentur, & quem uſum præbeant oratori: nam neque omnia ſumenda ſunt, neq; ingenio carere debet is, qui huiuſmodi ſalibus uti debet. Locus is tam planus, & facilis eſt, ut cùm dilucide Fabius, feſtiuiſsimè Cicero de ijs dixerint, minimum noſtræ declarationis opus eſſe uideatur. Fabius primum oſtendit*

oſtendit quanta uis in riſu, quid efficiat, quàm magna in eo aptè mouendo difficultas, inquiens, Riſum maximarum rerum *ſæpe momenta uertere, triſtes ſoluere affectiones, animum ab intentione, à labore, à ſatietate, ad interſpirationem, & quietem traducere.* Plerique Demoſtheni *facultatem huius rei defuiſſe,* Ciceroni *modum putant: unde in eo difficultas apparet præclariſſimorum hominum teſtimonio. Sumitur etiam difficultatis argumentum, ab ipſa ridiculorum natura: nam plerunque falſum, interdum deprauatum, ſemper humile eſt, præterea nunquam honorificum. Sumitur etiam ſignum difficultatis ab eorum natura, qui ridicula audiunt, uaria nanque ſunt auditorum iudicia, uaria item natura eſt rerum, à quibus ſumuntur, & huius rei nulla eſt exercitatio, nulli præceptores, & in conuiuijs multi dicaces, oratoria urbanitas rara eſt. Fertur* Tironem Ciceronis *libertum tres edidiſſe dictorum libros, in quibus congerendis plus ſtudij, quàm in eligendis iudicij oſtendit: nam Scurra dictus eſt ſæpe* Tullius *ab aduerſarijs. Atque hæc primum à* Fabio *dicuntur. Deinde quærit, unde uis hauriatur mouendi riſum: arte, an natura, an occaſione? inclinatq́; ad naturam, ſed artem non recuſat. Vim ſummam tribuit occaſioni, cùm rudes ſæpe adiuuet, & imperitos. Mox oſtendit quibus uocabulis* Ridiculum *appellatur.* Dicta *dicuntur, quæ certis diebus feſtæ licentiæ dicere ſolebant.* Vrbanitas *ſermo eſt propriè guſtum urbis præſeferens in uerbis, & ſono, & uſu: contrarium cuius* Ruſticitas *eſt.* Venuſtum, *quod cum gratia quadam, & uenere dicitur.* Salſum *in conſuetudine pro ridiculo tantùm ſumitur: unde* Catul. Nulla in tam uaſto corpore mica ſalis. Cicero Bona dicta *uocat, quæ ſalſa ſunt.* Facetum *tamen circa ridicula tantum, decoris habet imaginem, & excultæ cuiuſdam elegantiæ appellationem.* Iocum *ſerijs contrarium dicunt.* Dicacitas *ſermo cum riſu laceſſens.* Cicero *hæc nomina confundit.* Ἀστεῖα *omnia* Rhetor *appellat*

appellat. Sed poſtremo Fabius *omnia ridiculorum genera, quibuſdam ſuperadditis præceptis, enumerat.* Tullius *quædam primò ad eam tractationem neceſſaria ponit: Suauis inquit, & utilis iocus, & facetiæ, neque ullam artem deſiderat.* Vnde Cæſar *omni de re facetius putat poſſe ab homine non inurbano, quàm de ipſis facetijs diſputari.* Et *ridiculorum tradentes rationem, ſic inſulſos eſſe, ut nihil aliud illorum niſi ipſa inſulſitas rideatur: nam prius facetè dictum hærere debet, quàm cogitari potuiſſe credatur.* Artem *uerò ualere dicit, ut ea, quæ natura, quæ ſtudio, quæ exercitatione conſequimur, aut recta eſſe confidamus, aut praua intelligamus, cùm quò referenda ſint didicerimus, nõ ad reperiendum quid dicamus.* His *poſitis, docet quinque res quæri de* Riſu, *quid ſit, unde, ſit'ne oratoris uelle riſum mouere, quatenus, & quæ ſint genera ridiculi.* Primam *partem omittit, in qua quæri oportet quid ſit ipſe* Riſus, *quo pacto concitetur, ubi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, uenas, uultum occupet.* In *ſecunda locus, & regio quæritur, turpitudine, ac deformitate quadam contineri dicit: hæc enim uidentur uel ſola, uel maxima, quæ notant, & deſignant turpitudinem aliquam non turpiter.* In *tertia declarat oratoris eſſe riſum mouere: hilaritas enim beneuolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt, uel ob admirationem acuminis in uno uerbo poſiti, uel ob aduerſarium, quem frangimus dicendo.* In *quarta parte, ubi quatenus quæritur, diligenter conſiderandum eſſe monet, & parcendum primo charitati hominum, & uitandam eſſe inſulſitatem, ne mimici, aut ſcurræ habeamur: materies autem omnis ridiculorum eſt in uitijs, quæ ſunt in uita hominum neque charorum, neque calamitoſorum: nam qui neque odio magno, neque miſericordia maxima digni ſunt, facilimè luduntur.* Poſt

tur. Poſt hæc duo eſſe facetiarum genera oſtendit: alterum, quod re tractatur: alterum, quod dicto proſertur. In eo uitanda eſt mimorum ethologorum ſimilitudo, quæ in nimia imitatione conſiſtit: in hoc, quoniam duplex eſt (aut enim uerbo, aut ſententia perficitur) acumen quæritur, & dicacitas omittitur. Dicacitas eſt extra tempus, & extra cauſam laceſſere, ut qui totum diem, & ſine cauſa mordet: uitatur etiam cogitationis internæ ſuſpicio. Tempus dicendi prudentia, & grauitate moderabitur: & cauſa bene iuſta erit, quæ nos ad dictum inuitet: nec imitabimur uulgum, qui male haberi ſtomachum dicit, cùm ſe à bono contineat dicto. Maior autem celeritas ingenij in reſpondendo, quàm in prouocando apparet, & humanitatis eſt reſponſio. Atque is ordo in ridiculis à Cicerone tenetur. Vnde Ariſtoteles planus efficitur: oſtendit enim riſum naturæ proprium, ingenio, exercitatione conſtare, & ad oratorem pertinere. Cùm igitur delectatio in hoc genere dicendo paranda ſit, neceſſe eſt huiuſmodi orationem eſſe, quæ iucunditatem parare queat. Diſcere autem ualde iucundum eſt omnibus, at cum facilitate diſcere, iucundiſſimum: quare iucunditas in oratione ex facilitate proueniet, & ex ui ſignificandi. Quæ res cùm ita ſit, neceſſariò ſequitur, ut urbanitas ſuauiſſima quædam res habeatur, in ea enim & facilitas, & perſpicuitas ineſt: in uulgari uerò uerbo, ac ſententia, & in obſcuris nulla ratio diſcendi eſſe ſolet. Cùm autem utrunque bonum adeſt, tunc arrident, qui audiunt, & ſe placidiſſimè gerunt. Hac igitur de cauſa (inquit Ariſtoteles) tractandum eſt de facetijs. Quoniam uerò riſus aut dicto, aut re conſtat, item in dicto, uerba, uel ſententiæ notantur, ideo ſecundum hanc partitionem loquetur Ariſtoteles de Translatione, de Euidentia, de Diſſimulatione, de Imaginibus, deq́; harum generibus, ita ut nihil deſiderandum poſtea ſit, neque in explicandis partibus, neque in tradendis omnium exemplis.

emplis. Sed in prima parte diuidit urbana, & dicta, in duas ſpecies, inquiens, Vrbana diuidi in dicta ſecundum mentem, & in dicta ſecundum dictionem. Mentem appellat Enthymema. Porro Enthymema dicitur cogitatio quæque. Quare illud, quod Hermolaus dixit, Sanè opus eſt eum, qui tum perpetua oratione, tum argumentorum inuentione uolet urbanus eſſe, ſententias afferat, ad docendum acutas, atque ueloces. *Dicerem ego, ſi licet, Sanè opus eſt urbanam dictionem, & ſententiam eſſe huiuſmodi, quæ celerem in nobis doctrinam, uel intelligentiam paret, uel quæ celeriter nos doceat. Mens igitur Ariſtotelis eſt, urbanorum ſenſum, & dictionem debere huiuſmodi eſſe, ut facilè intelligi poßint.*

Pacem hanc, ut cæteris pacem. *Oratores dicebantur, qui conſulebant in ſenatu, & ſententiam dicebant, ut patet apud Demoſthenem: hos taxat Ariſtoteles, quoniam pacem nolebant ob lucrum, quod faciebant belli tempore ab hoſtibus pecunia corrupti.*

Leptines quoq;. *Cum Lacedæmonij bello laborarent, de ijs dicebat Leptines, non debere Athenienſes permittere, ut Græcia uno tantum oculo intueretur.*

Cephiſodotus. *Quo tempore Philippus Corinthum oppugnabat, Carethes uolebat rationem reddere ſuæ adminiſtrationis, indignatus Cephiſodotus dixit, ipſum uelle rationem reddere, dum habebat populum ad laqueum.* Πνῖγμα *eſt ſuffocatio, huius inſtrumentum eſt laqueus: ut igitur ſe habet qui ſuſpendi debet, ad laqueum, ita populus eo tempore ad bellum. Idem Cephiſodotus admonens Athenienſes, qui ſocios Eubœos cum Thebanis bellum gerentes, in re frumentaria adiuuabant, dixit, non modò id eos facere debere, uerùm etiam exire ſecundum Miltiadis decretum: nam is cùm audiret Xerxem Græciam inuaſurum, ſtatim illi cum exercitu obuiam uenit, ut pro totius Græciæ dignitate dimicaret. Vocat*

hic

hic per translationem Decretum, quoniam ut ſe habet decre-tum ad res agendas, ita deliberatio illa inconſulta ſe habet ad illa peragenda: quare uolebat dicere Cephiſodotus, ut etiam Athenienſes illico, & nullo habito conſilio Eubœis ſocijs o-pem ferrent.

Iphicrates Neruos, inquit, belli præcidimus. *Viati-cum, non Neruos, dixit Ariſtoteles. eſt autem Viaticum mu-nus, quòd peregrè proficiſcenti datur. Vt igitur ſe habet uia-ticum ad peregrinantem, ita ſe habent pecuniæ, quas Athenien ſes habebant ab illis oppidis. Ad Athenienſes belli tempore di cebat etiam Pitholaus, Paralum Theſſaliæ oppidum eſſe ſac-culum farinæ Midæ: Seſtum uerò portus Pyræci. Vt enim de-ficiente pane in familia recurritur ad farinæ ſacculum, ut inde poßint panem facere: ita & Midas, cùm pecunia indigebat, accurrebat ad Paralum. Et Athenienſes, dum triremes à Pi-ræeo emitterent, accurrebant ad Seſtum oppidum: ibi enim to-ta claßis inſtruebatur rebus neceſſarijs. Eſt autem* τηλία *cir-culus cribri: ſed hoc loco ita intelligo, ut dixi.*

Pericles Aeginam tollendam eſſe dicebat, quòd eſſet Pyræei ſordes. *Λήμη, eſt album humidum in oculis deductum, uiſum hebetans.*

Myrocles de homine modeſto. *Ironicè dictum puto de aliquo ex ijs modeſtis. Dicebat modeſto illo nihil eſſe impro-bius, quoniam cùm modeſtus uideri uellet, tertiam partem ex fœnore ſuperlucrabatur, Myrocles autem decimam. Finge ali quem fœneratorem, & dißimulatorem, qui ſe modeſtum pro-pterea iactet, quòd tertiam partem accipiat in lucrum, alte-rum uerò immodeſtum dicat, quod decimam capiat: uoce nã-que Decima pars, uidetur maior quàm tertia, ſed tertiæ eſt ma ius damnum: proportio eſt in hoc, quòd utrunq; genus ad uſu-ram, & fœnus refertur. Sed in hac re non planè mihi ſatisfa-cio, & dubito in quo dictum ſit poſitum: nam* πονηρεύω, &

τόκος.

τοκὸς, multa ſignificant: neque ad animam tantùm uerbum illud refertur, ſed etiam ad corpus accentu mutato. eſt & τόκος genus ſeu ſoboles, à quo uſura nominatur, & fœnus, quoniam pecuniam quaſi ſobolem generat. πονηρὸς in bonam, & in malam partem accipitur, quare fit, ut dubium mihi reſtet, quo ſenſu, & qua proportione translatio ſumpta ſit. Video certe proportionem eſſe in ſobole, & in uſura: nam res utraq; generatur, & ſi illud uerbum ἐπιδικῶν, ſcriberetur ἐπιοίκων, poſſem aliquid dicere: at non habeo, unde alicuius autoritate nitar, quanquam dictum uidetur pulchrum, ſi dicatur, ut dictum eſt, Modeſto illo nihil eſſe immodeſtius, & improbius.

Alexander in Iambo. *Alexandrides aliàs legitur. Sed quid refert, cùm neutro de ulla memoria ſit: is filias ſuas iam nubiles nimis morantes, & perendinarias appellabat, quod uerbum de ijs dicitur, qui intra debitum tempus, cùm pecunias deberent, minimè ſoluerent.*

Et Polyectes. *Is cùm Speuſippum quendam cerneret pedibus impeditum, Non ſinet fortuna, inquit, hunc quieſcere ligatum morbo ob quinque foramina, dictum in uerbo, δεδυμένον: quomodo enim qui ligatus eſt, non poteſt quieſcere, & ſtare?*

Cephiſodotus. *Triremes is picta molaria uocare ſolitus erat, ut enim molæ conterunt omnia, ita triremes illæ omnia depopulabantur.*

Cyon. *Aliqui intelligunt Diogenem canem, is diuerſoria uocabat Attica conuiuia. φιλίτια apud Lacones conuiuia dicebantur, eò quòd maximè faciebant ad amicitiam confirmandam: quia igitur in huiuſmodi diuerſorijs amicitiæ multæ fiebant Athenis, Diogenes conuiuia dicebat.*

Aeſion: Effuderunt ciuitatem. *Id eſt, opes omnes, & ſupellectilem. translatio eſt in uerbo Effuderunt.*

Cephiſodotus. *σύνδρομη dicitur quando multi occurrunt ad aliq*

ad aliquid uidendũ, puta cadauer: cùm igitur hi nil aliud præter concurſum efficiant, Cauete, inquit Cephiſodotus, ne concurſus faciatis, ac ſi diceret ſtatuendum eſſe aliquid poſt conciones.

Iſocrates. *Hæc eadem uerba uſurpat hoc modo* Fabius: *Porro cùm eſſet trãſferenti, & repræſentanti ſatis flendum eſſe ſepulta uirtute adiecit unà cum uirtute illorum.* Decretum Athe*nis erat, ut quotannis ciuitas uniuerſa iret ad eorum ſepulchrum, qui in* Salamina *pro patria occubuere.* De hac re lo*quutus eſt* Iſocrates, *& urbanum attulit dictum.* De hac etiam *in* Epitaphio Platonis.

Iphicrates. *Volebat is* Athenienſibus *ingratitudinis notam inurere, quòd* Chareti *optimè de ipſis merito gratias non retuliſſent, & dicebat:* Erit iter orationi meæ *per medias res à* Charete *geſtas.* Gabriæ *uerò erecta in foro ſtatua erat ænea, quòd optime de patria meritus eſſet: & decretum eſt ut immunis ab omni cenſu foret in poſterum, & hoc beneficium ad filios quoque tranſiret.* Hoc mortuo, *& indigente populo, maleuoli erant quidam, qui uolebãt* Gabriæ *filios pecuniam ſoluere:* Lycoleon *iuuenum cauſam ſuſcepit, & eo dicto uſus eſt, quod ponitur ab* Ariſtotele. *Tranſit inde* Rhetor *ad eam trãſlationem, quæ ab inanimis ſumitur, inde ad eam, quæ à ſpecie ad ſpeciem, poſtea de* Euidentia *loquetur, de qua ſæpe antea mentionem fecit.* Fabius *autem priuſquam de perſpicuitate loquatur, de repræſentatione, & euidentia loquitur.*

Porrò inanimis rebus tribuere. Fabius *de* Tropis: Præ*cipue ex iis oritur mira ſublimitas, quæ audaciæ proxima, periculo translationis attollitur: cùm rebus ſenſu carentibus actum quendam, & animum damus.* Hæc ille.

Illud autem præcipuè cuſtodiendum eſt. *Senſus eſt:* Quoniam *rudis eſt auditor, oportet à notioribus translationes fieri: quare ut* Sapiens *iudicatur is, qui rerum ſimilitudines nouit*

nes nouit, ita Orator putandus eſt, qui à rebus non nimis diuer ſis, ſed notis, & perſpectis transferet, ut ſi quis anchoram fibulam uocet. Κρεμάςρα *eſt inſtrumẽtum illud, quo carnes æſtate ſeruantur à muſcis: eſt etiam illud, quo carnes ſuſpendũtur, & hoc melius ad rem facit.*

Attamen differentia ea. *Nam anchora deorſum tenet, fibula uerò ſurſum.*

Par translatio & illa, cùm dicitur ciuitates inæquales eſſe. Ἀνωμαλοῦσθαι *dicitur, quando populus decernit, ne quis ob diuitias alios excedat, dicitur de tabella, & ſuperficie, quæ multas habeat eminentes partes, ita ut oporteat eam reddere planiorem.*

Planè urbana fere plurima. *Paulatim nos ducit Ariſtoteles ad id genus dictorum, de quo Cicero mentionem facit.*

Accedit eluſio illa, cùm expectatio fallitur. *Fabius in capite de Riſu: Supereſt, inquit, genus decipiendi opinionem, aut dicta aliter intelligendi, quæ ſunt in omni hac materia uel uenuſtiſsima: Inopinatum, & à laceſcente poni ſolet, quale eſt quod refert Cicero, Quid huic abeſt niſi res, & uirtus? aut illud, Homo in agendis cauſis optimè ueſtitus, & in occurrendo, ut Cicero audita falſa Vatinij morte, cùm Ouinium libertum eius interrogaſſet, rectè'ne omnia? Rectè, inquit, mortuus eſt.*

Sunt & nonnulla ex his, quæ Apophthegmata. *Vt illud Steſichori, cum uellet dicere, quòd hoſtes plantis & arboribus etiam non parcent, ſed omnia ferro concident: dixit, Cicadæ ipſæ de terra canent. Similis ratio de uerbo illo Catulliano, cùm dixit Irruminationem: nõ enim obſcœnum quid ſignificat, Ea hilaritas & in uerſu, & non tantùm in quotidiano ſermone, nam & Comici, & qui uoluptatem moliuntur, omnes his urbanitatis generibus uti ſolent. Hos Figuratos morſus, Macrobius uocat.*

Iſſe quempiam indutum pedes ulceribus. *Verbum Græcum duplex eſt: nam & calceamenti quoddam genus ligneum ſignificat, quo tempore hyemis ruſtici utuntur, & morbum, quo eodem tempore laborant pedes.*

Ex eodem genere eſt illud πέρσαι. *Nam ſignificat populari, & Perſarum more aliquid facere, ut illud etiam Clodicat Marci Tullij: & illud Præceptoris mei ad amicum Teſtam nomine, dixit, Teſtam teſticulatum. Teſticulari eſt uaccam ad taurum ducere. innuebat eum magnum prouentum è bobus habere.*

Anaſchetus. *Aequiuocum eſt, nam ſignificat fortem, & inuictum eſſe, & eum, qui non poßit patienter ferre. Sed Hermolaus pro nomine proprio poſuit uiri cuiuſdam. Semper uerò alterum adeſſe oportet in dictis. Vult Ariſtoteles finem iocis imponere, quare colligit ea, quæ tenenda ſunt. Et præcipit tum noſtram, tum aduerſarij perſonam reſpiciendam, antequam dictum feramus, & uidendum quid rectè, & quid perperam dicatur. Dicitur autem rectè, ſi Oppoſitio, ſi Translatio, ſi Repræſentatio, ſi Expectationis deceptio, ſi demum fuerit Agnominatio: nam hæc omnia poſſunt ſeparari: nam licet rectè dictum ſit, & non uulgare, tamen perſona deſiderari poteſt. Poteſt etiam adeſſe perſona, & dictum uerè, & non uulgare, tamen rectè dicetur. Similitudo erit uerbis trāslatis, hoc modo: Vt Pithium tibicinem ſimilem lupo dicas in aures adducto: ſicut enim lupus in humerū caput uertit, ut muſcas lingua uel labro abigat, ita tibicen ille faciebat, dum ſonabat. Sic ego legerem, ut aliquem ſenſum elicerem. Hermolaus nō transfert hunc locum, ſed adnotat. lege Fabulas Aeſopi. ſed ego nihil inueni. eſt & adnotatum, & Au!œ lo ſimiam aßimilet, quod non placet. ita ille, ut Philoctetes fuit morſus à ſerpente Pratye, ita Niceratus uerberatus, & uictus à Pratye. Hanc Thraſymachus, uictum uidens Niceratum, attulit comparationem.*

Carpathius leporem. *In ea inſula non erant lepores: quidam attulit: lepores in tantum creuere, ut uites omnes corroſerint, atq; ita factum ut damnum pro uſu acceptum ſit.* Dicitur *adagium in eos, qui pro beneficio damnum referunt.*

Ea de ſpecie ad ſpeciem translationes ſunt. *Per Speciem particulare, per Genus intelligit uniuerſale.*

Cæterùm hæc hyperbole uehementior, & mirabilior, illa ſedatior, atque mollior, Philemonem eſſe, qui concurrat Coryco. *Corycus eſt genus peræ apud* Homerum. *Quid autem ſibi uelit* Ariſtoteles, *nondum ſatis intelligo.*

Admonendi ſunt mihi. *Nihil uult diligens* Rhetor *omittere, quod ad orationem inſtruendam, & exornandam ſpectet, quare illuſtrem quandam orationis partitionem facit: oſtenditq́;, quid interſit inter eam orationem, quæ ſcribitur ad poſterorum memoriam, ut legatur, & eam quæ ſcribitur, ut recitetur, & exprimatur agendo. Deinde quid in quaque obſeruandum ſit docet. Poſtea demonſtrat, quæ cuiq; cauſæ oratio, quod cuiq; rei genus accommodetur. Duplex ergo eſt orationis genus, alterum ſcribitur ad memoriam, hoc eſt, ut maneat, alterum ad actionem. Primum id retinere debet, ut cultum ſit, & accuratum: ſecundum ūt* Latinum, *purum, elegans ſit. Nec modo illud diſcrimen inter hæc accidit, ſed etiam illud, quòd literarum monumentum, & ſcriptio ſuperfutura maiorem poſtulat diligentiam: dictio recitanda geſtu, & prolatione in primis commendari oportet, & duabus rebus illuſtratur, moribus, & affectibus. Signum rei huius, quòd Comici, & Poëtæ illi, qui ſuas recitari fabulas uolunt, hæc duo in primis ſectantur, ut parte altera totos ſe ad hominum mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem fingant. Altera ut perturbatos animorum excitent motus.*

Sed geſtantur. *Id eſt, qui ſcribunt, ut legantur, ſuſtinent ſe, nec adeo morales, & pathetici uideri ſtudent, atq; hæc ad*

differen-

differentiam legendi, & recitandi faciunt.

Quòd ſi utrunque genus commiſeris. *Aliud dictæ rei ſignum eſt, compara (inquit) inter ſe genera hæc, uidebis certe ſcripta eorum, qui ut legantur ſcribunt, eſſe minus apta ad recitandum: & eorum ſcripta, qui ſcribunt ut recitentur, eſſe minus apta ut legantur: quoniam illi nimis anguſti, hi uulgares nimis ſunt. Anguſti enim ſunt ſcriptores, quia exculti, limati, non redundantes habentur. Vulgares autem ſunt actores, quoniam recitatio ita poſtulat, ut ſcilicet ſit ad uulgi aures accommodata. Quò fit, ut ſcripta eorum, qui actionē quærunt, fatua planè, ac ſtulta uideantur: nam iterata, diſſoluta, & pleraq; alia in ijs ſunt, quæ recitanti, & agenti conueniunt, ſcriptòri autem non quadrant. Actio enim etiam geſtu res adiuuat, quas iacentes ſcriptura ſubleuare non poteſt. Quòd ſi erigi ac ſuſtineri non poſſunt ea, quæ illo modo dicuntur, certè illud timendum, quod timent ij, qui trabem ingentem ferũt. ne ſcilicet oneri ſuccumbentes alios lapſu noſtro lædamus.*

Oratio quæ in conſilijs. *Docet quod genus cuique cauſæ accōmodandum ſit. Oſtendit in deliberatiuo minorem diligentiam poni, altius in iudiciali, maximè in demonſtratiuo eſſe elaborandum. Vnde Cicero, Nam (inquit) & cauſæ capitis, alium quendam uerborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum: & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud ſermones. Dictio ſenatoria umbratili picturæ perſimilis eſt, debet enim à longe ſpectari: ſi enim propius inſpiciatur, pulchra nō uidetur, nam uitia facilius eminebunt: nam quāto turba, quæ ad ſpectandum uenit maior eſt, eò longius eſt ſpectaculum. At cauſæ iudiciorum, & fori, duplices ſunt, quædam coram iudices aguntur plures, quædam coram uno: plus operis eſt, ſi coram uno res agatur: ab eo enim tota res pendet. Illud in uniuerſum teneri debet, ubi plurimum ualet actio, ibi minimum diligentiæ quæri. Diligentiam uoco*

eam, quæ accuratam & expolitam facit orationem. At genus cauſæ demonſtratiuum, quia inſtruitur ad uoluptatem, ideo plus exigit numerorum, plus curæ, plus induſtriæ quærit: quo fit, ut quāquàm ad actionem inſtituitur, propius tamen ad ſcriptionem accedat, quàm genera illa ſuperiora. Vnde Cicero: Adhibenda eſt igitur, ait, numeroſa oratio, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, ut nos in accuſationis ſecundo de Siciliæ laudibus: aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis deſiderat, quàm doloris, ut in quarto de Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu diximus. His poſitis nullam, inquit, Ariſtoteles aliæ ſuperaddendam eſſe partitionem, nam nullum genus eſt, quod non executum ſit, & quod optimè tractari non poſſit, ſi illa tenebuntur, quæ hactenus dicta ſunt.

De Diſpoſitione, ac Ordine. CAP. XIX.

DE ORATIONIS natura, & inſtitutione uniuerſa dicendi generatim, ſingulatimq́ executi ſumus. Relinquitur ratio diſpoſitionis, & ordinis. In duas partes tribuitur omnis oratio. Eſt enim neceſſe, ea, de quibus eſt ſermo aliquis, primùm ut exponantur, deinde ut demonſtrentur. Nec fieri poteſt, ut qui dicit, non demonſtret: aut demonſtret, qui non dicit. Nam qui demonſtrat, aliquid demonſtrat: & qui dicit aliquid, aut exponit, idcirco exponit, ut ad demonſtrationem, confirmationemq́ perueniat. Horum alterum Propoſitio dicitur: alterum Probatio. Perindeq́ id eſt, ac ſi illud Quæſtionem, hoc Demonſtrationem appelles. Ridenda uerò diſtinctio illa, quam hoc tempore ſequuntur artis ſcriptores. Narratio enim ad ſolum genus iudiciale pertinet. In Demonſtratiuas, & Suaſorias qui poteſt ea, quam dicunt, Narratio cadere, aut illa, quæ in aduerſarium dicuntur? aut Epilogus, id eſt, Peroratio? Iam Exordium, & Collatio mutua, & Replicatio

in genere

In genere deliberatiuo, tunc incidunt, quoties ſunt, qui contraria ſentiant. Nam & Accuſatio ſæpe, & Defenſio adhibentur in dictione ſententiæ: non tamen ex natura deliberationis. Epilogis quoque, aut Perorationibus non eſt ubiq; opus, nec in omni cauſa, uel iudiciali, puta ſi paucorum calculorum controuerſia fuerit, aut res eiuſmodi, quæ teneri memoria facilè poſsit. Nam ea ratio inuenta eſt ad tædium prolixitatis leuãdum. Duæ igitur ad minimum partes in omni cauſa reperiuntur: Propoſitio, & probatio. ſuntq; hę maximè propriæ, & præcipuæ, ſed ad ſummum quatuor: Exordium, Propoſitio, Probatio, Peroratio. Nam pars illa omnis, qua uel noſtra argumenta exponimus, uel aduerſarij confutamus, probationi ſubiecta eſt. Mutua item collatio ad eleuationem, amplificationemq; noſtrarum rerum, adiungitur ita, ut & ipſa quoq; probationi ſuccedat. Nam qui illud agit, confirmat utiq; aliquid, atq; probat. Horum nihil in exordio, perorationeq; cernitur. Sed utrũque admonitionis tantum, & memoriæ cauſa requiritur. Poſſunt quidem iſthæc diuidi, ita ut faciunt, qui à Theodoro ſunt: ſed longa membrorum, ac partium ſerie, in narrationem, repertam narrationem, in prænarrationem, in refutationem, in repertam refutationem. Verum qui aliquid nouat, primum debet differentiam, & ſpeciem diligenter inſpicere, tum deinde nomen imponere, alioquin uanus, & ridiculus uideatur neceſſe eſt. Laborat hoc uitio Lycimnius: qui in ijs, quæ de arte dicendi ſcripſit, adiecit corroborationem, egreſsionem, & ramos.

DANIEL BARB.

DE orationis natura, & inſtitutione uniuerſa. *Quàm prudenter Ariſtoteles de Ordine modo agat, deq; Diſpo*

ſitione, & Collocatione partium orationis, nec nō de omnium rerum dictarum uſu, nemo eſt, qui non uideat: tanta enim Ordinis, ac Collocationis uis eſt, ut nihil effici rectè queat, quod ordine uacare poßit. Quinimo ſi rectè conſideremus, natura ipſa rerum omnium parēs miris in cœlum laudibus propterea fertur, quia ordinē in primis, unde ornatus iſte, à quo mundum nominauere, profectus eſt, ſuo mirabili artificio ſeruauit. Animal hoc ſenſibile, ac ferè immenſum quod cœlum appellant, ſuam retinet perfectionem, quia ordine quodam certo ſemper mouetur, omnia quæ eius ambitu continentur ordinata miras habent delectationes. Artes, ſcientiæ, facultates, idcirco ſub intelligentiam cadunt, quia ordine ac uia tradi ſolent. Hoc uno ſapientes omnes Plato, & Ariſtoteles in primis, alij'que præſtitere. Ordo autem & ratio ferè idem ſunt, atque is uerus ordo eſt rei cuiuſque, cùm eius partes ita inuicem coniungantur, uti nihil meritò intercipi queat. Vt igitur Ariſtoteles de ordine commodius tractet, eum ordinem ſeruat, ut partes orationis primum inueniat, inuentas rectè collocet, rectè collocatas ad uſum denique inſtituat: nam ea uis ordinis eſt, ut quàmprimum rebus adeſt, ſtatim uſus, & munus earum appareat. Quærit ergo primo loco neceſſarias orationis partes, eas'que duas eſſe oſtendit, alteram uocat Propoſitum: alteram Argumentum, ſeu Fidem, ſeu Probationem, ſiue quo alio uocabulo gaudet propoſitæ rei comprobatio. Neceſſarias, & proprias partes intelligit eas, ſine quibus conſtare oratio minime poteſt, & quæ minus ad orationem conſtituunt. Propoſitum, ſeu Propoſitionem uocat eam partem, in qua aliquid probandum aſſumitur, & exponitur: Quæſtio in diſciplinis uocatur, ſeu Quæſitum. Probationem uerò, & Fidem uocat propoſitionis, & quæſtionis confirmationem, & aſtructionem, quæ eadem in Oratione & Rhetorica eſt cum Demonſtratione in mathematicis. Duæ igitur ſunt neceſſariæ in primis,

& prop

& propriæ orationis partes, Propoſitio, & huius approbatio. Exemplum ſumitur ab ipſo autore. Propoſitio eſt: Duæ ſunt orationis propriæ ac neceſſariæ partes, Propoſitio & Fides. Eſto autem probatio ibi: reddenda uerò diſtinctio illa: nã his uerbis probat id, quod propoſuit, oſtẽditq́; partes alias nõ eſſe neceſſarias: namq; Narratio ſi eſſet neceſſaria, certè in omni genere, ſemperq́; requireretur: at iam patet, quòd in deliberatiuo genere narratio nulla propria eſt, futurorum enim non eſt narratio: nec in demonſtratiua cauſa narratione opus eſt, uel ijs rebus, quæ in aduerſarium dicuntur, uel Epilogis. Quare malè diſtinguunt, & partiuntur ſcriptores artis, eas orationis partes, quas afferunt, Procemium, Narrationem, Probationem, & Epilogum: nam cum oratio ſine ijs confici queat, at ſine illis duabus non queat, neceßariò ſequitur, has partes non eſſe proprias, aut neceſſarias, illas uerò eſſe & proprias, & neceſſarias. Ad minimum ergo duæ ſunt orationis partes præcipuæ, & neceſſariæ, Propoſitio, & Probatio, ut patet per omnia genera diſcurrenti. Sed ad ſummum quatuor ſunt orationis partes, Exordium, Propoſitio, Probatio, & Peroratio: nam omnes aliæ, ſi quæ ſunt, ad aliquam ex his referri commodè poſſunt: nam Confirmatio, & Confutatio Probationi ſubiecta eſt. Mutua quoq; Collatio, & Amplificatio ad idem pertinent: nam qui confert, aut amplificat aliquid, id certe quodammodo comprobat, & confirmat. Exordium uerò ac peroratio admonitionis, & intelligentiæ cauſa quæruntur. Sed præter has partes addere inſuper alias, & innouare quicquam uitioſißimum eſt, niſi diſtinctas ſpecies adducamus: non enim eſt aliquod nouum rebus uocabulum imponendum, ut fecit Theodorus, niſi differentiam, & ſpeciem, id eſt, niſi differentiam, quæ conſtituat ſpeciem, prius inueniamus: nam differentia cauſa eſt, ut rerum ſpecies diſtinguantur: uerbi gratia, Ratione uti poſſe,

diſcrimen eſt quo humana ſpecies ab equina diſſeparetur. Theodorus uerò de quo Plato, cùm diſtingueret orationis partes longiſſima ſerie, non uidit eas commodiſſimè ad prædictas referri poſſe: in idem uitium lapſus eſt Lycimnius quidam artis ſcriptor. Atq; hæc ſunt, quæ ad partium inuentionem ſpectant, quæ quatuor ad ſummum, duæ ad minimum habentur: hæ neceſſariæ, & propriæ in omni oratione ſpectantur: aliæ ad aliquam ex ijs quatuor referuntur. Reſtat ut de ſingulis ſeorſum tractemus. Sed ante omnia conſiderandum eſt, quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum ſtatu, qua uulgi, qua iudicum opinione dicendum ſit, & omnis eſt amouenda ſuſpicio meditationis.

De Procemiis. CAP. XX.

INITIVM orationis in ſoluta oratione Procemiũ dicitur, quemadmodum in poëſi Præfatio, & in pulſu lyræ Præcentio. Nam omnia hæc principia eſſe conſtat, & quaſi ingreſſum, atq; aditum ſuccedenti. Ac pauca quidem illa, quæ Cytharœdi canunt, antequam certamen legitimum inchoënt, ſimilima ſunt procemijs, quibus oratores in genere Exornationis utuntur. Nam quemadmodum illi, cùm quid inſtituunt canere, ea, quę initijs affingunt, præluduntq́; conſequentibus ſerijs, etiam ſi non cohærent, tamen iungunt: ita in demonſtrationibus procemia ſunt maximè libera, & quod quiſq; uult, initijs dicere poteſt, & continenter ſequentibus committere, id eſt, materiæ, quæ à materia ſunt longè ducta, connectere. Atq; hoc omnes obſeruant, quod & in Helenæ laude Iſocrates fecerit, nihil etiam commune habet ſermo contentioſus, & Helena. Simul uerò quis digreditur, euenit uariari genus, nec totam orationem uniformem eſſe. Ac demonſtratiua quidem principia,

ex lau

ex laude, & uituperatione ſumuntur. Ex laude ſumptũ eſt in Olympiaco Gorgiæ, laudantis eos, qui primi tales inſtituiſſent conuentus: contrà, ex uituperatione in Panægyrico Iſocratis, cùm quæritur, plus honoris corporis, quàm animorum uirtutibus dari. Sed & ad modum conſilij principium laudis trahi poteſt, hoc modo: Aequum eſt ſtatuere honores bonis: proinde & Ariſtides ipſe laudat, non eos, qui nec probi, nec improbi habentur, ſed qui præſtantes, & iuſti cùm ſint, ut Alexander Priami, ignorentur & latitent. Quod genus dicendi proprium eſt conſilium dantibus. Iudiciali quoque procemia interim in demonſtrationem adhibentur. Non quidem omnia, quæ in iudicijs, ſed ea duntaxat, quæ ex auditorum perſona trahuntur: ſi de re admirabili oratio habeatur, ſi de ardua, ſi de uulgatiſsima, ut ignoſcendum eſſe uideatur, quod Cherilus facit. Nunc, inquit, cum diuiſa, & diſtributa ſunt omnia, & reliqua. Poſſunt igitur principia in cauſas demonſtratiuas multipliciter accipi, à laude, à uituperatione, ſuadendo, diſſuadendo. Ab ijs, quæ ad perſonam audientium attinent. In plenum, neceſſe eſt ea, quæ ante ingreſſum rei dicuntur, aut ex proprijs duci, aut extrinſecus peti.

DANIEL BARB.

INitium orationis in ſoluta. *De Procemiorum inuentione, ratione, ac ordine pertractantes, illud primùm conſiderare oportet, quod generatim procemijs conuenit generum ſingulorum, mox ſigillatim, quod ad unamquanq; cauſam ſpectat. Et quia plus operis in forenſi genere inſumendum eſt, huius enim præcipuè cauſa procemia inuenta iudicamus: ideo breuiora, & faciliora prius tranſigemus: & loco ultimo iudicialium procemia exponemus, interea ne procemij*

ſubtilitate,

ſubtilitate, ac prolixitate faſtidium pariamus, primum à ratione nominis incipiemus, deinde Ariſtotelem interpretabimur: Fabius *duplicem* Etymologiam *huius uocabuli eſſe dicit. ſed cum procœmium dicat Ariſtoteles eſſe ueluti deductionem, ac directionem itineris, uiam ſcilicet ingredienti, ſanè à uia, quàm à cantu procœmium dici melius arbitramur: ab utroq; enim* Fabius *deduci poſſe hoc nomen affirmat, ut & præcentio, & præuia quædam diſpoſitio dicatur:* Latinè Principium, *uel* Exordium, *communiori ambitu, quàm Græcè dicitur. Sed nos ad Ariſtotelē. In communi ergo idem facit* Procœmium *in ſoluta oratione, quod* Prologus *in numeroſa, &* Proluſio *in muſicis. namq; omnia hæc principio ſimilima ſunt. Ceterum quanquàm communis eſt horum nominum comparatio, & proportio, in Proluſione tamen ſimilius eſt quodam cum genere demonſtratiuo. Quoniam quemadmodum illi, qui tibias pulſant, ubi aliquid præcinuerint, continuò legitimum ſonum ingrediuntur: ita in genere demonſtratiuo poſt procœmium ſtatim rem ipſam, id eſt, laudem, uel uituperationem aggredimur: quod in alijs generibus non illico fit, ſed uel narratio, uel partitio, uel aliud ſequi ſolet, quod ſit cauſæ conuenientius. Sed hoc in loco duo procœmiorum genera eſſe in demonſtratione monemur: alterum accommodatum rebus dicendis, id eſt, quod ab ipſis rebus ortum ducit: alterum aduentitium, & appoſitum. Hoc poſtremo in* Helena *laudanda* Iſocrates *uſus eſt, defendit enim oratores, ut patet, & à genere iudiciali procœmium ſumit. Sed nos ad rē. Cùm igitur percuſſu quodam libero in muſicis fides tetigimus, ſerio incipiendum eſt. tanta autem licentia eſt harum proluſionum, ut quæuis cuiq; legitimo cantui aptari queat. Similis ratio in genere* Demonſtratiuo, *quod* Exornationem *uocat Ariſtoteles, in quo procœmia ſunt maximè libera: atq; hoc eſt quod dicit,* Nam quemadmodum illi, cùm quid inſtituunt canere, ea, quę

initijs

initijs affingunt, præluduntq́ conſequentibus ſerijs, etiam ſi non cohærent, iunguntːita in demonſtrationibus procœmia ſunt maximè libera. *Hoc in loco ſenſum potius, quàm uerba ſecutus eſt Hermolaus, quod interpretibus non negaturːnam quod Græcè dicitur* οὕτω δεῖ γράφειν, *id eſt, ſic oportet ſcribere: Hermolaus interpretatus eſt illud* οὕτω, *quaſi dicat ſic, ut ſcilicet poſt procœmium ſtatim ſequantur laudationes. Dixit autem* γράφειν, *quoniam ſuprà uocauit hoc genus* γραφικότατον.

Et quod quiſq; uult initijs dicere. *Id eſt, quodcunque orator afferre uoluerit, oportet ſtatim poſt procœmium effundere, & coniungere procœmio : quod Iſocrates cum alijs multis oratoribus obſeruauit.* Nihil enim commune habet ſermo contentioſus cum Helena. *Oſtendit procœmium illud non eſſe à re ſumptum. quid enim commune habet Helenæ laus cum defenſione oratorum, & genus demonſtratiuum cum iudiciali? quod ſermonem contentioſum uocat, ita exponerem, quanquàm quidam uir clariſſimorum aliter ſentiat.*

Simul autem quis digreditur. *Hactenus egit de exordio rebus accommodato, quanquàm uiſus eſt dicere de exordio rebus non accommodato, ob exemplum Iſocratisːſed id adduxit ut oſtenderet, poſt exordium ſtatim debere nos aggredi laudationem. Hic autem agit de exordio, quod rebus minimè conuenit, & dicit, Simul autem quis digreditur: id eſt, quàm primùm ab alio genere procœmia mutuantur, & extra materiem procœmium ſumitur, ſtatim fit, ut tota oratio non ſit unius generisːnam procœmium erit aut deliberatiuæ, aut iudiciali cauſæ accommodatum, reliqua uerò ad demonſtratiuam cauſam pertinebunt.*

At demonſtratiua quidem principia. *Docet hìc, unde ſumi queant exornationis initia. Totum id, quod hactenus dictum*

ctum eſt, & quod dicitur de hoc genere, breuiter colligo hunc in modum: Procœmiū demonſtratiui generis aut à materia propria ſumitur, ut à laude, uel uituperatione: aut ab ijs, quæ à materia ſunt aliena: & hæc duplicia ſunt: uel ſpectant ad ſuaſoriam, uel ad forenſem cauſam. Si à ſuaſoria capientur, præceptionem redolebunt, dictum eſt enim in primo, totum hoc genus habere quid ſimile ſuaſorijs: nam quæ illic ſubijciuntur ad ſuadendum, hic mutato tantùm flexu dicendi, ad laudem transferuntur. Si à forenſi, perſonam reſpiciunt auditorum, & ab ea ſumuntur. Quomodo autē id fiat, patebit inferius, cùm de procemijs iudicialibus agitur.

De Procemiis iudicialibus. CAP. XXI.

PROOEMIA iudicialium cauſarum idem præſtant, quod præfationes in fabulis, aut in heroico carmine prologus. Nam initia, quæ Dithyrambicis adiungūtur, cognata ſunt ijs, quæ in demonſtratiuas conuenire docuimus: ut illud, Te propter, ac tua dona, ſiue prædas, & cætera. In ſermone fuſo, & opere heroico, procemium eſt prælocutio, qua futuræ imago diſputationis exponitur. Cauſa principij nulla eſt alia, quàm ut is, qui audit, quaſi antè cognoſcat, qua de re habiturus ſit uerba, qui dicit. Atq; uti ne in ſuſpenſo ſint animi, dum qua de re quæratur, ignorant. Quod terminatum non eſt, & definitione caret, uagari, & errare compellit. Quare, qui ita principio utitur, ut quaſi de manu uideatur tradere in manum, facit, ut is, qui accipit, ceu ſponte ſequatur intentione dicentem. Quod operum ſuorum principijs Homerus facit:

Iram pande mihi Pelidæ diua ſuperbi. Item,
Dic mihi muſa uirum.

Eſt & illud ex eodem genere procemium: Dux mihi ſis ò Muſa ſubſequentium ſermonum, quomodo

ingens

ingens ex Aſia bellum uenerit in Europam. Tragici quoq; non ſtatim argumentum fabulæ aperiunt, ut Euripides aſſolet: in parte tamen aliqua prologi ſatisfaciunt, ut Sophocles: Erat, inquit, mihi grandæuus pater. Idem Comœdi cuſtodiunt. Principij igitur munus maximè neceſſarium, ac præcipuum eſt, Finem oſtendere, cuius gratia oratio ſit inſtituta. Quare ſi & cauſa nota, & res exigua fuerit, nullus eſt omnino Principij uſus. Reliquæ ſpecies, quibus utimur ſubſidio ac remedio cauſæ, in principia conferuntur, & communes ſunt tum actori, tum reo: ea interim à perſonis auditorum, aduerſarij, noſtra, ducuntur. Interim à cauſis accipiuntur: à noſtra, & aduerſarij perſona tunc, cùm crimẽ aliquod uel reijcimus in aduerſarium, uel remouemus à nobis. Nec tamẽ utrumq; idem ordo docuerit: ſed qui propulſat, primo loco debet hoc facere: qui accuſat, ſummo, atq; in peroratione. Huius diſcriminis ratio obſcura non eſt: Vt enim qui ſe tuetur, antequàm exponat ſeſe, & deſcendat in aciem, neceſſe eſt, ut quæ impedimento eſſe, ac prohibere uideantur, amoueat: Ita & qui ſe iudicio defendit, primò refellere, & amoliri debet inuidiam, tum deinde pedem conferre. Laceſſentibus cõtrà, atq; inſimulantibus, opportuniſsimè collocãtur in peroratione, quæ inuidiã faciunt, ut ijs, qui audiri debent, facilius, ac recentius hæreant. A` perſona auditorum ſumetur oratio, ſi beneuolos nobis, aut ſi iratos dicendo fecerimus. Præterea ſi attentos, aut contrà interim & auerſos. Non enim ſemper utile eſt attentum habere iudicem: namq; nonnulli ſæpe riſu aliquo ad remittendã iudicis intentionem utuntur. Dociles potiſsimum efficit is, qui poteſt præſtare, ut uir æquus, ac probus eſſe uideatur. Nam illis paſsim adhibebitur animus. Atten-

tos

ad ea, quæ interrogantur, non reſpondent: ſed circumeundo per inſinuationē exordiuntur. Liquere arbitror etiam illa, quibus in beneuolentiam eorum, qui audiūt, admitti poſsimus: & reliqua quæ ad omnem hanc rationem ſpectare uideantur. Sed rectè tamen uerſus illi nos admonent, Da mihi Phæacum pertingere littus amico, Et plane miſero. duo hæc ad emerendam Iudicis uoluntatem diligenter inſpici, & tractari oportere. In demonſtratiuo quidem genere conciliabimus auditores, ſi efficere poterimus, ut collaudari ſe, aut maiores ſuos, aut ſtudia ſua arbitrentur: uel demum, ut quouis modo putent aſſentari ſibi, qui dicunt: eſt enim ueriſsimum quod in funere Socrates dixit, Non eſſe difficile Athenienſem laudare Athenis, ſed Lacedæmone.

Deliberatiuæ cauſæ aut nulla omnino, aut à iudiciali ſumpta procœmia conficiuntur. CAP. XXII.

SVASORIA principia ex ſe natura non habent, ſed ea nos à iudiciali genere mutuamur. Nam cùm de rebus notis omnis ferè conſultatio inſtitui, haberiq́ſoleat, cumq́ nemo ignoret id, de quo conſulit, nihil eſt cur in deliberatione principio illo, aut initio opus eſſe poſſit: interim tamen aut à noſtra, aut ab eius, qui diſſentiet, perſona ducetur exordium: nonnunquam etiam minor res, maióre ue uideatur quàm uelint, qui conſulunt, aut contrà. Quo caſu incuſatio, refutatio, exaggeratio, abiectioq́ ſuccedunt, atque ita in deliberatiuas cauſas principia inde formantur. Frequenter tamen ſola uoluptas, & ornatus petitur, quoniam amputata, atque abrupta uidetur oratio, quæ principio caret, qualis eſt laudatio Gorgiæ in Helienſes, quam ille ſine ulla prælocutione, præparationeq́ in hunc modum incepit: Helis, inquit, ciuitas fe-

lix:& reliqua.

DANIEL BARB. *in Cap.* XXI. *&* XXII.

PRoœmia iudicialium cauſarum. *Quoniam deliberationi procœmia nulla ſunt, ideo tranſit Ariſtoteles ad iudiciales cauſas, in quibus labor eſt, & cura non mediocris. Ac quemadmodum præludio comparauit exornationis procœmiū ita prologo fabularum, aut heroicorum procœmio comparat forenſis cauſæ initium, ob ſimilitudinem quandam, quæ in eo ſita eſt, quòd ſoluta, & libera non ſunt iudiciorum procœmia, ſicut nec ſunt licentioſi fabularum prologi, nec heroicorum procœmia: nanq; tam in opere ſoluto, quàm in heroico procœmium ſumitur ex ipſa re, & eſt prælocutio quædam, in qua futuræ diſputationis imago exprimitur, unde ij, qui audiunt, facilem rei, qua de agitur, intelligentiam mente concipiant. Non enim hìc delectatio illa quæritur, quam in exornatione poſuimus: Sed res poſtulat, ut is, qui audit, præcognoſcat, qua de re habenda ſint uerba, Quare Procœmium (ut etiam Platoni placet in libris de Legibus) eſt oratio, quæ auditoris animum conuenienter comparat ad reliquam dictionem. Sed quãquàm hæc cauſa eſt procœmiorum, nulla tamen neceſſitas cogit uel tragicos, uel comicos, ut ſtatim præmoneant quid dicendum, modò id in aliqua parte prologi obſeruent, & argumentum fabulæ aperiant: ut Sophocles, cuius fabulæ exemplo nos carere puto. At Homerus, qui facilitati maximè ſtuduit, id initio ſtatim obſeruat, ut ſtatim præmonendo quietum, ac tranquillum reddat animum auditoris. Idem nonnulli in laudibus Herodoti ponunt, quod ſuo teſtimonio probat Ariſtoteles, dum eius exemplum adducit, inquiẽs, dum bellum Xerxis uult ſcribere, Dux mihi ſis ò Muſa ſubſequentium ſermonum, quomodo ex Aſiæ tellure magnum in Europa uenerit bellum. Sed ego in Herodoto hæc non inueni. Hermolaus uidetur adnotaſſe hæc eſſe carmina Homeri alterius operis, quo caremus, de quo quidem opere*

pere Herodotus Epigonos eſſe inſcriptum dicit, quanquàm & ipſe dubitat an ea carmina ſint Homeri. Sed quid refert cuius ſint, modò ex arte facta ſint? Hæ nanq; præmonitiones facilitatis cauſa collocantur, unde Cicero pro Cluentio: Animaduerti iudices, & reliqua. Hoc tamen totum reſpondenti facilius, quàm proponenti. Facta igitur comparatione procemiorum cauſæ forenſis & prologorum, expoſitaq; ratione illa, propter quam procemia ſunt inuenta, ut ſciamus, quò tendunt, qui procemia componunt, ad præcepta recurrit Ariſtoteles. Ex quibus alia cauſæ neceßitate, alia uerò externa de cauſa comparantur. Cauſa cogit, ut interdum à noſtra, interdum ab aduerſariorum, & interdum ab auditorum perſona ſumantur: quàm commodè autem id fiat, hoc loco dicet Ariſtoteles: ubi etiam ſciemus, quod paulò antè dixit, demonſtrantium procemia quandoq; ſumi à iudiciali cauſa ex ea parte, quatenus auditorum perſona eſt nobis argumentum ad procemium conficiendum. Hæc præcepta quanquàm ſint actori & reo communia, diuerſo tamen ordine ab utroq; tractari debent, quod perſpicuè docet Ariſtoteles, & ſimilitudine admodum pulchra, multa etiam ex hoc loco ſumuntur, quæ oſtendunt procemium non eſſe partem admodum neceſſariam & propriam in oratione. Sed de uniuerſa procemiorum ratione referti iam ſunt ueterum, & recentium libri. Illud tamen non omittendum eſt, externa multa in procemijs auditorum cauſa ſumi ſolent, quæ apud bonos, & peritos iudices minimi facienda ſunt, & hoc quoq; paruam procemiorum partem oſtendit: unde in primo libro eos reprehendit, qui in hoc forenſi genere plurimum laborabant, cùm uiderent multa eſſe horum extra cauſam adminicula, quæ κύκλῳ eſſe dicuntur ab Ariſtotele, id eſt, circa negotium, & non in negotio poſita. In attentione captanda mirabilis eſt Platonis ſermo. Quid uerò ſentiat Ariſtoteles de initijs ſuaſoriæ cau-

occurramus: ita ut aut ea non eſſe dicamus, aut nocere non poſſe, ſi fuerint, aut huic omnino non poſſe, aut non tantum, aut non eſſe iniquum, non magnum, non turpe, non arduum, in quibus quæſtio omnis, controuerſiaq; uerſatur. Hoc genere defenſionis uidetur uſus Iphicrates aduerſus Nauſicratem: Feci, inquit, & nocui, iniuriam non feci. Fit hoc & opponendo peccatis quædam, quorum quaſi repenſione, & ſubleuatione attenuantur, ac molliuntur iniuriæ. Nocui, ſed honeſtè, ac fortiter feci, dolorem inuſsi, ſed utilitatem attuli, & reliqua quoq; ſimilia. Eſt & ea ratio non inutilis, cùm uitia fortunæ, aut neceſſitati tribuuntur, ut Sophocles: Tremo, non quemadmodum aduerſarius meus inſimulat, ut uidear ætate confectus, ac ſenio: ſed coactus, planeq; neceſſariò. Non enim lubens octoginta annos numero. Præterea finem pro fine ſubſtitui. Non feci ut officerem, ſed ut aliud quippiam conſequerer. Non hoc cuius accuſor inſtitui facere iudices, ſed caſu, & fortuito nocui. Dignißimus ſim omnium odijs, ſi eo conſilio fecerim. Habetur & locus ut conſideremus, an qui nos accuſat, eodem ipſe crimine uel nunc teneatur, uel deprehenſus aliquando fuerit ipſe, uel eius aliquis propinquus. Item an alij quoq; comprehendantur, quos conſtet infamiæ illius affines non eſſe, ut ſi mundum, & incorruptum eſſe adulterum dixerit. Nam ſi hunc, cur non illum? Item an alios quoq; infamauerit ipſe, an ipſum alij. An ſuſpecti ſine infamia, & calumnia fuerint, qualem ſe eſſe qui modò accuſatur, quos tamen conſtiterit innocentes eſſe. Adhibetur & locus ille, quo aduerſarium, qui nos inceßit, contrà inceßimus, atq; in inuidiam rapimus: Non eſſe conſentaneum, ut nobis non cre-

datur, illius uerbis adhibeatur fides. Sumitur locus, & è re aliqua iudicata. Euripides cum ab Hygiænone in Antidoſi accuſaretur impietatis, quòd quodam loco peierare docuiſſet, ferendo illud, Iurari lingua, ſed mentem deieratam geri. Iniquus, inquit, & moleſtus es, qui cauſas, quæ ad iudicium Dionyſiaci certaminis pertinent, in forum trahis. Ibi nos rationem eius dicti reddidimus: ac ſi collibuerit, parati ſumus denuo reddere, dum nos eò loci conuenias. Ea quoque ratio utilis eſt, ut ſtudium accuſatoris uehemens inuehendi in nos, & in inuidiam adducendi, reprehendamus. Eòdem pertinet, ſi dicamus, non eſſe in contumelijs uim cauſæ poſitam: eas res ad alia iudicia pertinere: proinde illum, qui aliena conquirit, cauſæ ſuæ diffidere. Communis locus habetur à ſignis. Vlyſſes in Teucro: Neceſſarius, inquit, & affinis eſt Priamo: Nam Heſione ſoror eius eſt. Contrà Teucer, Pater, inquit, Telamon hoſtis eſt Priamo: tu uerò exploratores eius deprehenſos, & cognitos prodere noluiſti. Proprius accuſantis eſt locus, laudare in reo leue aliquid, ut grauiter ſubinde uituperet. Et quæ magna, & excellentia ſunt, breuiter & conciſim attingere: aut multa bona proponere, ut ad unum aliquid perueniatur, quod pertinere poſsit ad cauſam. Quo artificio callidiſsimus quiſque & improbiſsimus egregiè fungitur. Nam bonis rebus detrahere, & obeſſe tentant, permixtione, & inquinatione malorum. Illud utrique commune, quoniam eadem res plurium rerum gratia fieri potuiſſe uidetur, ut is, qui accuſat, in partem deteriorem accipiat: Qui contrà defendit, in meliorem omnia interpretetur, ac referat. Prætulit Diomedes Vlyſſem Aiaci. Qui factum tuetur, cauſam dicet, quòd Vlyſſem

fortiſſimum

fortiſsimum putauerit. Alter qui accuſaret, non eo conſilio diceret, ſed ne aduerſarium fortem haberet, illum tanquam imbellem antepoſuiſſe. De ratione criminandi, & inuidiam faciendi, ſatis eſt Dictum.

DANIEL BARB.

LOci ex quibus principia illa promuntur. *Exponit locos à quibus proœmia iudiciorum ſumi ſolent. Aut igitur, ut ab uniuerſalibus more noſtro incipiamus, in infamiam nos aduerſarius oratione ſua deduxit, neq; enim non facilè hoc ſcire poterimus, cùm ſciamus, quibus rebus fides fieri ſoleat: aut facilè nos poſſe adduci cauſa oſtendet, etiam tacente illo. Si primum erit, diſſoluemus ſtatim quæ obiecta ſunt: ſi ſecundum, præueniemus tacitam obiectionem. unde Fabius: Non inutilis eſt etiam ratio occupandi quæ uidentur obſtare, ut Cicero dicit, ſcire ſe mirari quoſdam, quòd is, qui per tot annos, & reliqua. atq; is unus locus eſt. Alter à re capitur. Res uerò aut ex ſe dubia eſt, aut in controuerſiam alia de cauſa reuocatur. his multis modis reſiſtimus, quos omnes breuiſſimè tangit Ariſtoteles. Tertius locus crimina diſſoluit, eaq́; aut fortunæ, aut ui, aut neceſſitati attribuit: non enim crimina illa pœnam merentur, quæ quis inuitus, & nolens fecerit: ut patet ex primo libro, ubi de iniuria inferenda loquuti ſumus: atq; tum is, tum ſequens locus, tum etiam reliqui facilimi ſunt, qui uel ab actorum, uel reorum perſonis ſumuntur: ac demum ſi quis omnes illas cauſas conſiderauerit, à quibus humana proueniunt, is certè abundanti, & copioſa ſupellectili hæc domicilia exornabit, caſum, naturam, morem, uim, rationem, & reliqua, quæ in primo libro diligenter expoſita ſunt. Patet autem hoc loco, nonnihil ab Ariſtotele poni de conſtitutionibus: unde Fabius, de una conſtitutione loquens, Semina (inquit) quædam tranſlationis*

lationis citra nomen ipſum apud Ariſtotelem reperimus, ſed nomen primus Hermagoras *reperit. Quaſi ſi non ea ſunt ſatis quæ in primo dicuntur, hæc in plenum ſatisfaciunt.* Exempla *uerò de ijs omnibus* Cicero, Fabius, *& alij ponunt. Cauebis autem in exordio, ne uulgare ſit, commune, commutabile, longum, ſeparatum, translatum: his enim uitijs ſolet in contrarium, uel ad plures cauſas pertinere, uel aduerſario conuenire, aut ab eodem mutuari, uel nimium produci, uel extra cauſam comparari, uel contra præcepta formari.*

De Narratione. CAP. XXIIII.

NARRATIO in genus demonſtratiuum non ordine cadit, quo in reliqua genera: ſed incertis locis, ac partibus, prout cuiuſque rei geſtæ expoſitio poſtulabit, in qua huiuſmodi ferè omnis conſiſtit, & uerſatur oratio. Alioquin duo ſunt rerum capita, ex quibus demonſtratiua conficitur, conſuiturque oratio: Aliæ artis expertes, ut res geſtæ, quas orator accipit, non gignit ipſe, nec facit. Aliæ proficiſcentes ex arte, ut probationes, quibus eſſe rem, aut talem, atque tantam eſſe, aut ſimul omnia, confirmatur, quæ alioquin incredibilia uideantur. hæc igitur cauſa facit, ut non ſemper ſuccedere principio debeat narratio perennis, & continens. Nam quæ per eum modum tractantur, facilè memoria dilabuntur, & excidunt. Simpliciter itaque, & explicatior narratio fuerit, quæ fortem eſſe illum oſtendat. Hinc quæ ſapientem, ac iuſtum. Multiplicior alia, atque perplexior. Cùm uerò frequenter, uel notiſsimi laudentur, narratio ſuperuacua eſt, ut ſi de Achille dicatur, cuius nemo res geſtas ignorat: quare quoniam penitus omitti illæ non debent, breuiter tractandæ, & commemorandæ tantum erunt. At ſi Critiam laudaueris, adhibenda *narratio*

narratio eſt,quoniam paucis cognoſcitur.Eſt autē Laus magnitudinem uirtutis oſtendens oratio:neceſſe eſt igitur huiuſmodi eſſe actiones oſtēdi,id eſt,profectas à magna, & excellenti uirtute. Commendatio uerò non ad uirtutem,ſed ad opera ipſa pertinet, actionesq́ uirtutis: quæ autem circùm ſunt,conferunt,& adhibentur ad fidem,ut nobilitas,diſciplina.Eſt enim cōſentaneum, Naſci bonos ex bonis, Talem eſſe quenquam,qualiter inſtitutus,educatusq́ eſt.Quamobrem cùm ſoleamus cōmendare eos, qui bene quid fecerunt, quoniam opera effectusq́ ſigna ſunt actus, & argumenta: laudamus etiam plerunq́ uel qui nihil fecerit, utiq́ ſi credatur talis eſſe,qui poſsit. Cæterùm Gloria, & Felicitatio inter ſe quidem eadē ſunt, ab his autem diuerſa: & quemadmodum Felicitas uirtutē,ſic Gloria & Felicitatio complectitur hæc. Totum autem hoc demōſtrationis genus habet cauſæ aliquid, ac ſimile ſuaſorijs. Nam quæ illic ſubijciuntur ad ſuadendum,hic mutato tantum flexu dicendi,transferri ſolent ad laudem.Igitur ſi teneamus ea, quæ fieri,& ſequi bonū oportet,& qualem eſſe quenq́ neceſſe eſt,ea & ſubijcere tanquam præcepta quædam, & monitus licebit, & ad laudem dictione paulum uerſa conferre.Si dixeris, Non oportet fidere bonis,quæ à fortuna,ſed quę à nobis pendent:ad monitionem ualet. Si autem dixeris,Non fidit hic,iudices,fortunæ bonis, ſed ijs auxilijs,quæ ſibi ipſe cōparauit: laudem, & commendationem habet. Quamobrem laudaturi conſiderare debent,quid conſtituant,admoneantq́: ſuaſuri contrà debent ſpectare , quid laudent. Certè filum dicendi, ac genus contrarium eſſe neceſſe eſt. Nam qui ſuadet, prohibere uidetur: Qui laudat, non uidetur : conuerſa, & immutata ratione,& forma dicendi.

DANIEL BARB.

NArratio in genus demonſtratiuum. De *Narratione agimus quantum cuiq; generi neceſſaria ſit, deq; eius uirtute loquimur, ac primùm ad genus demonſtratiuum eam accommodabimus.* Narratio *in genere demonſtratiuo aut requiritur, aut non requiritur. Si non requiritur, tunc res, qua de agitur, notißima, & uulgatißima eſt, cuiuſmodi ſunt* Achillis *geſta: quare non narratione, ſed amplificatione uti debemus, ita tamen ut res geſtæ prius apponantur: nam nihil augetur, niſi prius ſit: non enim corpora accreſcunt, niſi ſint: quoniam, ut in* Phyſicis *habetur, rei natura prius ponitur, inde quæcunque illi attribuuntur: unde philoſophus* Subſtantiam, *quantitati, qualitati, comparationi, habitui, actioni, perpeßioni, & reliquis ſummis rerum generibus antepoſuit. Si uerò* Narratio *requiratur, tunc res qua de agitur, aut magna, aut non nimis clara habetur: quare narratio, & expoſitio eius id præſtabit, ut credibilis, & nota res fiat, atque hæc ad neceßitatem narrationis in genere demonſtratiuo.* In ordine *autem nulla neceßitas eſt, ut certo loco narratio collocetur. Cauſa illa eſt, quòd quẽadmodum probationes aliæ cum artificio, aliæ ſine artificio ſunt, ut primo libro declaratum eſt: ita duo ſunt rerum capita, ex quibus hoc genus efficitur. Alia enim arte carent, ut res geſtæ: aliæ uerò ab arte proficiſcuntur, quibus aut eſſe rem, aut nõ eſſe oſtendimus. Vnde cùm probare interdum multa geſta, quæ magna nimis, aut incredibilia ſint, neceſſe ſit: ideo non continua, nec perennis eſſe narratio debet: quare oportet diuidere partibus narrationẽ, ut ait* Fabius, *& reducere in reliquum ordinem, ita ut res geſtæ facilè memoria teneantur: & poſtea amplificare. Simplex enim, & explicata illa oratio uidetur, in qua prius oſtenditur aliquis iuſtus, & declaratur, quæ iuſtè fecerit, & eius iuſtitia, uel iuſtè facta amplificantur, inde fortis, & eius uirtus augetur, poſtea tempe-*

rans,

rans, & eius facta temperanter extolluntur: confuſa illa, & multiplex, in qua prius una omnia rectè facta explicantur, ſiue iuſtè, ſiue honeſtè, ſiue temperanter, ſiue prudenter, & poſtea ſequitur omnium amplificatio: namque auditores non tenent memoria, quæ continenter exponuntur. Hæc igitur cauſa eſt, cur incertis locis Narratio *collocetur: ac ferè ſi quis rectè conſideret, non una erit in hoc genere, ac ſimplex narratio, ſed plures, quemadmodum plures ſunt eius, quem laudamus actiones. Sed præcepta illa teneamus oportet,* Rerum, *quæ notiſsimæ ſint, nullam eſſe narrationem, ſed leuem quandam enumerationem cum amplificatione, præterea diuidenda eſſe rectè facta, & quibuſque ſuas addere ampliationes, ac demum proprium eſſe huic generi amplificationem, & eius contrarium exiſtimare, quod à definitione laudis ſumi poteſt, ut patet tam hoc loco, quàm in eo, qui poſitus eſt in primo libro, quem ibi expoſuimus.* Illud *tamen ad hanc rem pertinet, quod libro primo prætermiſimus, uarium eſſe hoc nomen* Laudis, *nam & fuſius, & preſſius intelligi poteſt:* Fuſius, *cùm* Laus *dicitur præconium ore alieno celebratum:* Preſſius *uerò,* Laus *eſt præmium, quo afficitur is, qui in ciuitate uirtutem animi oſtendit: idq; efficitur claritate, titulo, & recordationis ſempiternæ memoria.* Claritas *eſt conſentiens laus bonorum, uel frequens de aliquo fama cum laude.* Titulus *eſt index cuiuſcunque operis, ut etiam non præſentibus ijs, qui bene egerunt, uirtus eorum cognita, & perſpecta ſit.* Memoria *uerò eſt monumentum ad recordationem magis pertinens poſteritatis, quàm ad præſentis temporis gratiam: ut ſtatuæ, fana, porticus, & huiuſmodi.* Deos *autem propriè non laudamus, optimorum enim in ſtatu optimo non eſt laus proprium præmium, ſed eſt aliquid maius, & melius laude, ac illud fortè εὐδαιμονισμὸν, & μακαρισμὸν dicunt. Sed dubium eſt, qua nam ratione præmio uiliori ſe quiſpiam afficiatur, nam laudes uirtute*

uiliores

uiliores ſunt. Omnis enim uirtus libera eſt, ſuiq; cauſa, non alterius comparata. Vnde honeſtum eſt, quod ſua nos ui, ac propria dignitate allicit. Reſpondetur, Laudes non dari propterea, quòd ſatisfaciant omnino uirtuti, & probitati hominum: ſed ut delectabiles magis, ac iucundiores efficiant uirtutum actiones: cùm ergo laudes in ſublimiori uirtutum gradu nos prouocent, ideo eſſe uirtutum præmia dicuntur. Honor autem maius eſt quippiam Laude ipſa, unde optimorum eſt, Honor: & aliud eſt Laudabile, aliud Honorabile. Laus enim attribuitur inferiori bono, ut ad altius prouocetur: Honor autem uerè dictus eſt eius exaltatio, quem honoramus, in ſolio maieſtatis, ita ut homines eum omnes reuereantur, & admirentur. Honorabilis ergo Deus eſt, anima, ſcientia, uirtus, & heros, & qualibet res precioſa. Sed hæc hactenus.

De breuitate narrandi, quæ, & qualis eſſe debeat.

CAPVT XXV.

RIDICVLI uerò quidam, qui quaſi lege præſcripta breuem eſſe narrationem uolunt: equidem in hoc conuenire arbitror illud, quod quidam, quærenti piſtori, durum molle'ue pinſeret: Heus tu (inquit) fieri nequit, ut bene pinſetur? Proinde nec breues eſſe, nec longas narrationes uelim: ſicuti nec longa principia, nec probationes longas. Nam bene dicere in eo non eſt, ut quid celeriter, aut compendio dicatur: ſed ut media illa teneatur uia dicendi pro modo cauſæ, & quanto opus eſt. Quanto opus eſt autem accipi uolo, quantum ad iudicandum ſufficit, efficiendumq́ue, ut is, qui audit uera eſſe, quæ dicimus, putet. Perpetratum ſcelus, damnum illatum, iniuriam factam. Poſtremò uti tantum, quantum ipſi uolumus, credat. Aduerſarius contraria uia nitetur. Inſerenda uerò narrationi ſunt, quæ uirtutem noſtram obiter iudicent, aduerſariorum uitia

deteg

detegant. Ego iudices conſtanter, & rectè conſulebam, ut ſaluos eſſe liberos uellet, ne desererentur: Ille contrà reclamabat, ubicunque ipſe fuiſſet, filios ſibi alios non defuturos. Quemadmodum Aegyptios, qui deſciuerant, reſpondiſſe ſcribit Herodotus. Conſulendum eſt etiam audientium uoluptati, ut dicantur, quæ grata ſunt, & iucunda futura iudicibus. In uniuerſum reo minor, & ſimplicior narratio conuenit. Quæſtionibus porrò per inficiationem reſpondendum, ut aut ſe feciſſe non dicat, aut damno non fuiſſe, aut iniuriam non attuliſſe, aut poſtremò non tantum deliquiſſe, ita, ut quàm fieri poteſt, longiſſime ab omni confeſsione recedatur: Niſi utilitas aliqua nos illuc traducat, hoc modo, Si factum eſt, non eſſe factum iniuria. Inter hæc facta eſſe aliqua dicendum eſt, quæ facta non ſunt: utique ſi talia eſſe uideantur, quæ aut ad miſericordiam iudicem flectere, aut in odium rapere aduerſarium poſſint. Exemplum huius rei Apologus Alcinoi fuerit, Factum ſe apud Penelopen ſexagenarium: eiuſmodi eſt & circulus Phaylli, & in Oeneo prologus.

Moratam eſſe oportere narrationem, & quomodo aptè id fieri poſsit. CAP. XXVI.

MORATAM uerò eſſe narrationem oportet: conſequemur autem hoc, ſi nouerimus, quibus rebus indicantur hominum mores. Ac primùm ita narrandum eſt, ut cuiuſque tum animus, tum uoluntas appareat. Porrò quali quiſque animo fuerit, tales eſſe eius mores intelliguntur. Animi qualitas ex fine, atque propoſito ſumitur. Hinc proficiſcitur, ut ſermones, qui de rebus mathematicis habentur, morati eſſe non poſsint, ut puta in quibus nulla ſint ueſtigia eorum animi, ac

propoſiti

quæ natura ſciunt omnes,ceu notas quaſdam, ac per ſi=gna,notitia ſubrepat eorum,quæ neſciuntur. Huius rei multa apud Homerũ reperiuntur exempla. Mox anus ora,oculos, manibus complexa duabus,Plorabat. Qui mos eſt incipientium flere. Cæterùm ſimulatq; irrupe=ris,enitendum eſt tibi, ut talem te, & aduerſarium iudi=ces putent, qualem uideri utrunq; expedit. Vt te, & il=lum eadem opinione ſpectent,ac proſequãtur in finem, quam initio conceperunt. Ita tamen, ut ſciamus fieri id occultè oportere. Hoc quàm ſit uerum, argumento eſt id,quod experiuntur omnes,quotiens externus aliquis nuncius appulit:quamuis enim ignotus, atq; alienus ſit nobis, ſtatim tamẽ opinionem aliquam de homine illo concipimus. Illud ſcire oportet, narrationem poſſe in multos locos incidere,ac plerunq; non initio cauſarum. Ad deliberationes narratione nõ eſt opus,quoniam fu=turorũ nulla poteſt eſſe narratio: aut ſi narratio in eo ge nere adhibetur ulla,ea de præteritis ſumitur:quorũ ad=monitio facit, ut rectius de futuris, & grauius conſula=tur:ſiue damnando illa,ſiue probando, ad utilitatẽ par=tis eius,quam tuemur, referre oporteat. Sed qui hoc fa=cit,non facit, ut conſulens. Iam illud debet perſpectum eſſe,quoties res narrando minus credibilis uidetur,ſole=re affirmationem aliquam, & promiſsionem adhiberi, Effecturos nos, quæ pollicemur,ac probaturos ſtatim, opiniones differant, donec in reliquum ordinem redu=camus, quæ doceri uoluerint. Quod Hæmo apud So=phoclẽ facit, & in Oedipode apud Carcinũ Iocaſte, quę interrogãti,ei,qui filium quæreret, ſemper repromittit.

DAN. BAR. *in Cap.* XXV. *&* XXVI.

RIdiculi uero quidam,qui quaſi lege. *Virtutes narran di plures eſſe dixere alij, ſed unam tantum poſuit Ariſto=teles,*

teles,ut ſcilicet morata ſit. Moratam uocat eam,quæ ſit moribus hominum accommodata:ſed primo loco redarguit eos,qui breuem eſſe debere illam præcipiunt, quando huius rei nulla inſtitutio eſſe queat, niſi ea, quam res poſtulat. Cicero quoq; de Oratore, Iam *uerò,inquit, narrationem, quòd iubent uerisimilem eſſe,& apertam, & perbreuem, rectè nos admonent: quòd hæc narrationis magis putant eſſe propria, quàm totius orationis, ualde mihi uidentur errare. Sed aduertendum eſt,* Ariſtotelem *hoc loco res inſpexiſſe, non orationem.* Eſt *enim breuitas rei, eſt & breuitas orationis.* Breuitatem *rei res ipſa facit, cùm poſtulat ut pauca de ipſa dicantur.* Breuitas *orationis artificio,dictione,figura, membris, clauſula, compoſitione,ac numero,ut dictum eſt, perfici ſolet.*Quò *fit, ut multa breuiter,& pauca prolixè dicere ualeamus: nam* Breuitas *eſt nihil aliud, niſi res ipſis tantummodo uerbis neceſſarijs expedita: quare adhibenda eſt,ut ait* Cicero,*cùm aut res non egent longæ orationis,aut tempus non ſinit commorari,& alia.*Hæc *in hoc genere idcirco utilis eſt, quòd rebus ipſis, & partibus cauſæ, non uerbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus eſt. Certè autem narratio eo modo breuis eſſe debet,quo diximus, nec longa, nec breuis, ſed naturis accommodata,ut* Ariſtoteles *docet.* Conſulendum *eſt etiam auditorum uoluptati.*Vnde Fabius: Q*uantum opus eſt autem,non ita ſolum accipi uolo, quantum ad iudicandum ſufficit: quia non inornata debet eſſe breuitas, alioquin ſit indocta: nam & fallit uoluptas, & minus longa, quæ delectant, uidentur.* Præterea *breuitatem narrationis integrè ſeruare non poſſemus, etiam ex præcepto: quoniam inſerenda ſunt narrationi etiam multa, quæ uirtutem noſtram obiter indicent, aduerſariorum uitia detegant,faciles quædam ironiæ, breuia dicta,ſententiolæ,& alia id genus, quaſi ſemina alieno in ſolo ad uim, & uoluptatem ponenda ſunt.* Vnde etiam Plato *in libro quarto de* Legibus,

bus, De prolixitate, inquit, & breuitate ſcribendi curare nimis ineptum eſt: non enim longiſsima, aut breuiſsima, ſed optima ſunt, ut arbitror, eligenda. Sed quoniam reus narrat, narrat & actor: ideo minor, & ſimplicior narratio reo cõuenit: quoniam reus nihil aliud tentare debet, niſi ut ab omni confeſſione penitus recedat: hoc autem inficiando commodiſsimè faciet, & hoc quoq; loco Ariſtoteles tangit conſtitutiones, Non feci, Non nocui, Non tantum nocui, & reliqua. Sed ſi fateri aliqua uelimus, cautè id faciemus, ac ea tantum fatebimur, quæ utilia noſtræ cauſæ uidebuntur. Vtilia uerò erũt, quæ reo conciliant auditores, & aduerſario infenſos reddunt. Sed actor, & is qui perſequitur, multis petitionibus fugientem in uarias ſuſpiciones eum mittet, ac plura diſsimulabit, quæ augere cõmiſſa, & iniuriam delinquentis maiorem facere uidebuntur: quare nec adeo ſimplex erit, nec minor actoris narratio. At hoc diuinum in narrando, ac admirabile iudicatur, ut naturis hominũ, ac moribus cõueniat: quod quomodo efficiatur, quáue arte comparetur, quibus dictionibus & figuris abſoluatur, diximus antè. Morata igitur erit oratio, ſi oſtendemus propriam cuiuſq; uoluntatem: uerbi gratia, bonum uel malum. Oſtendetur autem uoluntas ex aliqua actione, & fine. Voluntas hoc loco electionem ſignificat, & rectè προαίρεσις Græce dicitur. Omnis autem electio uoluntas eſt, ſed non omnis uoluntas electio: nempe aliquid amplius, quàm uoluntas electio eſt: nam electio pluribus rebus propoſitis efficitur: uoluntas plerunque nullo rerum delectu, ſed re una tantum propoſita induci ſolet. Electio igitur ſiue bona, ſiue mala ſit, in fine oſtenditur, hoc eſt, in actione aliqua: nanque ab opere intentio dignoſci ſolet, & ob id mathematicæ rationes mores non habent, quoniam electione carent: carent autem electione, quoniam fine carent: id eſt, non habent eligibile: nam ubi non eſt eligibile, neque electio, ubi non eſt electio, neque mors.

Eligibile autem, & id quod in conſilium uenit, quanquàm re ipſa idem ſint, ratione tamen differunt: nam quod in conſilium uenit, quæſtioni ſubijcitur, id huiuſmodi eſt, ut de eo quæri, & dubitari poßit. Sed quatenus illud ipſum eſt definitum & certum, eligibile uocatur: quò fit, ut electio conſilij finis habeatur. Cùm igitur diſciplinæ ſuis nitantur principijs, ſunt enim certa, & indubitata ſcientiarum principia, in his nulla electio & nullum conſilium quæritur: & quanquam eſt mathematica quæſtio, non tamen eſt mathematicum conſilium: non enim quia conſilium omne quæſtio eſt, ideo ſequitur ut omnis quæſtio conſilium ſit. Sed hæc omnia ſunt in tertio Ethicorum libro clarius ab Ariſtotele demonſtrata. Mathematicorum ergo & diſciplinarum ſermones electione carent, & more: ſed Socratici morales ſunt, id enim ſtudium Socratis ſemper fuit, ut hominum electiones, & ſtudia ſectaretur, & eos ſermones abnueret, quibus rerum uis explicari poßit. unde Horatius: Rem tibi Socraticæ poterũt oſtendere chartæ. Moralia igitur ſunt, & dicuntur, quæcunque mores ſingulorum ſequi uidentur. nam dicere, quòd ille ſimul acclamitans ueniebat, oſtendit truculentos, & malos hominis mores: nanque incompoſiti moris, & animi ſignum eſt incedẽdo loqui. Sed reliqua, quæ dicuntur ab Ariſtotele per ſe clara, & aperta ſunt.

De Probationibus ad quæſtiones accommodatis.

CAPVT XXVII.

PROBATIONES eſſe oportet ad demonſtrationem earum rerum, quæ in controuerſiam uerſantur, idoneas. Cumq; genera quæſtionum quatuor habeantur, neceſſe eſt, ut ad id, quo de conſtituta quæſtio eſt, demonſtratio omnis noſtra, & confirmatio accommodetur: uerbi gratia, ſi quæſtio ſit, Non feci: illuc omnis argumentatio conferenda eſt. Pari modo ad ceteras quæſtiones, Non obſui, Non tantum deliqui, Iure feci,

re feci, idem ſeruandum, ſi in eo ſit lis, an hoc ſit factum. Illud hoc loco monere inter neceſſaria eſt, Vnam eſſe quæſtionem tantùm, eam uidelicet, quæ de facto oritur, in qua neceſſe ſit improbum eſſe ex litigatoribus alterum. Nulla enim poteſt ignorantia defendi, qui in eo genere malam cauſam ſuſcepit: quemadmodum poteſt, cum de iure lis eſt. Quamobrem in hoc diu uerſandum, in cæteris effugiendæ ſunt moræ. Oratio, quæ oſtentatione componitur, ferè tota amplificationibus conſtat, quibus res, quas in aliquo laudamus, aut præclaras, aut utiles fuiſſe ſine ullis argumentationibus per exornationem oſtendimus. Non enim dubia firmantur, ſed ea, quæ pro certis poſita ſunt, augentur: raro enim probationibus in eo genere locus eſt, nec niſi, cum incredibilia alioquin ſint futura, quæ dicimus: aut quoties res illæ in alios referuntur, non in eum, quem laudamus. Habent & concionales cauſæ controuerſias ſuas, & quæſtiones: nam aut fieri non poſſe, quod conſulitur, dicimus: aut poſſe quidem, ſed honeſtum non eſſe, non utile, non tanti momenti. Eſt autem in omni conſilio diligenter conſiderandum, an is, contra quem dicimus, aliàs quoque ſalli opinione ſit ſolitus: ſiquidem argumento erit, ut is in ea quoque cauſa, quæ nunc agitur, uideatur malè ſentire. Ac ſunt quidem exempla in deliberationibus potentiſsima, in iudicijs Enthymemata dominantur: illa de futuris habentur, hæc de factis, aut non factis inſtituuntur: quod genus demonſtrationem, & neceſsitatem maximè recipit. Nam ſimulatque facta res eſt, incipit neceſſaria eſſe. Enthymemata non ſerie continua effundenda ſunt, ſed intermiſcenda: alioquin obſcurantur inuicem, & auferuntur. Nam & modus adhibendus eſt numero, pro-

indeq́ Homerus rectè, cum dicit, Tot commemoraſſe uideris, Quot uir conſilio præſtans rerumq́ peritus. Notatione dignum eſt, Poëtam non qualitatem, & genus rerum, ſed numerum ſignificare uoluiſſe. Neceſſaria eſt & electio, breuiter ut interdum, quæ erunt ſatis aperta, ponantur. Nec ad quanque rem Enthymemata & argumenta quęramus, philoſophorum ſcilicet quorundam conſuetudinem imitati, quibus ea, quæ probant, credibiliora, clariora'que ſunt, quàm ea, quæ in illarum rerum probationem aſſumuntur. Quoties autem mouendus eſt affectus, reſidere debent Enthymemata: alioquin aut elidetur affectus, aut ipſa temere iactabuntur. Nam & motiones duæ, quæ ſimul exerceantur, mutuo attritu læduntur: atque alterum ſequi neceſſe eſt, aut ut altera alteram opprimat, aut ut remiſſior utraque, ac debilior fiat. Eodem modo cùm mores alicuius expreſſerit dicendo, ſeparanda eſt acrimonia omnis, & ſolicitudo probandi: quia uim morum, atque proprietatem illam, itémque hominum uoluntates, & animum, ratiocinatio non poteſt attingere.

Sententĳs tum narrando, tum confirmando utendum eſt, atq́ illis dupliciter. Interim ut ad morum expreſsionem accommodentur: Dedi, Credidi, quanquam ſciens non eſſe omnibus credendum. Interim ut ex affectu ductæ uideantur. Nec pœnitet me, quamuis impiè, & iniquè tractatum: apud illum quæſtus erit, & lucrū: non ius, & æquitas ſupereſt. Difficiliorem eſſe deliberandi rationem, quàm iudicandi conſtat: nec iniuria, quoniam illic de futuris, hîc de præteritis agitur. Præterita ſciuntur & uatibus, ut Epimenides Cretenſis ſcribit: Is enim futura non præcinebat, ſed de præteritis uaticinabatur, duntaxat ĳs, quæ adhuc eſſent incerta.

Præterea

Præterea in iudicio legibus ſtatur, quarum præſcripta, ceu principia quædam, atque proloquia ſequimur. At ubi principium habetur, facile eſt rationem conficere. Deinde non ſunt diuerticula in eo genere admodum multa, ut perſonam aduerſarij infamare, ſuam ornare: excitare affectus: ſed nulla prorſus, niſi quis illa extrinſecus per digreſsionem arceſſat. Quare adminiculis illis uti ſolemus, quoties nos præſidia uera deſtituunt: quod oratores Athenis ſequi conſueuerunt, & præſertim Iſocrates, quippe qui uel conſulendo inuehi, & accuſare ſit ſolitus: ut in Panægyrico Lacedæmonios, & in Sociali oratione Charetem. In genere quoq; demonſtratiuo externis laudibus ſæpe illuſtratur, & ampliatur oratio: quod facit Iſocrates, introducto ſemper aliquo per egreſsionem, qua ſuſceptæ commendationis orbem impleret: atque hoc eſt quod dicebat Gorgias, Nunquàm ſibi uerba deeſſe: nam ſi de Achille diceret, Peleum laudabat, deinde Aeacum, poſtremò Iouem ipſum. Similiter ſi de fortitudine habenda eſſet oratio, primum hæc, & illa inde præberi dicebat: tum deinde qualisnam ea uirtus eſſet, & quanta, monſtrabat. Ergo cui probationes, argumentaq; ſupplerent, utrunq; præſtabit, ut & morata ſit, & Enthymematis frequens oratio. Quòd ſi Enthymemata deſint, ad alterum præſidium confugere oportebit, ac uir quidem bonus magis operam dabit, ut probus ipſe, atq; grauis eſſe, quàm ut oratio eius exquiſitior, & accuratior uideatur.

DANIEL BARB.

PRobationes eſſe oportet. *Tertia hæc pars orationis, quæ ad probationes pertinet, expreſſe continet, quid Ariſtoteles ſentiat de conſtitutionibus. Latini hanc partem de confirmatione & cõfutatione inſcribunt, Græci* ἀγῶνα *uocant, A-*

riſtoteles uerò πίστεις. Probationes itaq; nullum habent uſum in oratione alium, niſi eum, quo res controuerſæ oſtenduntur, & quæ in quæſtione ponuntur. Sed quoniam quæſtionum genera quatuor habentur, neceſſariò ſequitur, ut omnis probatio, & demonſtratio ad id accõmodetur, de quo lis, et quæſitio eſt. Decet ergo ſcire quot ſunt quæſtionum genera: quæ quanquam toties tacta ſunt ab Ariſtotele, non tamen ſuis nominibus expreſſa ſunt: & id ea ratione factum puto, quòd in omni orationis parte illud eſt obſeruandum, ut talem nobis auditorem comparemus, qualem deſideramus: unde fit, ut in procemijs ea ſemina ſint iacienda, in quibus uis earum rerum, de quibus dicemus, contineatur. In Narratione quoque ita omnia inter ſe conſpirare debent, ut quaſi unum eſſe uideantur: in Probatione id etiam magis efficiemus, quoniam ibi ſuus erit locus: in Epilogis autem uel amplificando, uel imminuendo attentare oportet: quare idem modo diuerſo paßim efficiendum eſt. Hinc illud egregium in oratione fiet, ut una illa ſit, ut cum re nata, cum occaſione alita, cũ perſonis aucta uideatur. Quare ſi quæſtio erit de facto, ubi coniectura plurimum ualet, tunc id procemio innues, narratione ſeminabis, probatione oſtendes, epilogo amplificabis, quod in eo genere fieri maximè debet, ita ut in ſingulis partibus aliquod inficiandi genus appareat. Idem ſeruabis cùm de iure quæretur, & eadem uteris formula, cùm definitiua conſtitutio, uel alia incidet. Atque hoc ſit uniuerſale quoddam, atque commune praſcriptum, quod ab Ariſtotele primò ponitur. Deinde comparat inter ſe conſtitutiones, quatenus ad eas ſe habent litigantes, inquiens, quòd in quæſtione ubi factum quæritur, neceſſe eſt improbum, & malum uideri alterum: uel reum, ſi quod factum ſit, factum negabit: uel actorem, ſi quod factum non ſit, factum accuſabit: quoniam ignorantia non poteſt hoc loco alteri excuſationem ullam afferre, ſicut in alijs quæſtionibus. Ex hac compara-

tione

tione manat alterum præceptum, quo monemur in hoc genere quæſtiones immorari debere, ac diu, diligenterq́; uerſari, ne damnum, & dedecus patiamur. Nam ſi uicti fuerimus, ſummum dedecus incurremus, ſiue actores erimus, ſiue rei: nam malitia, & improbitate peiorem cauſam ſuſcepiſſe uidebimur.

Quare in hoc diu uerſandum, in cæteris ſugiendæ ſunt moræ. Ita interpretatur Hermolaus, & uidetur legere χρονιστέον. alij χρηστέον legunt, & uertunt utendum, id eſt, uti debemus ea oratione, quæ oſtendat malum & improbum eſſe aduerſarium, & nulla excuſatione dignum ob ignorantiam: ſed hoc non placet Hermolao. Ego utranque lectionem ex ueteribus agnoſco, & puto eam eſſe Ariſtotelis mentem, ut concludat, nos debere diligenter & multum in eo uerſari, & rectè omnia conſiderare: quoniam quæſtio illa, in qua de facto quæritur, id habet, ut neceſſariò alter ex litigantibus malus uideri oporteat. Quis ergo eſt, qui non debeat omni contentione prouidere, ne malus uideatur? Atque hæc in genere iudiciali ſunt obſeruanda. In demonſtratiuo autem amplificatio probationis uim tenet: namque amplificatio confirmationem, imminutio confutationem quandam redolere uidetur. Sed incidunt ſæpe tempora, ut cùm res in eo genere opinionem ſuperare uideatur, probatione utendum ſit: tunc enim, quemadmodum in narratione præſcriptum eſt, ſolemus affirmationem, & promiſſionem aliquam adhibere, qua pollicemur, effecturos nos quæ recipimus, & probaturos ſtatim quæ proponimus. Quod Hæmon apud Sophoclem in Antigone facit: quare ſicut pollicemur, ita præſtare debemus. Cùm igitur incredibilia ſunt quæ narramus, tunc probatio ſubijcienda eſt. Incidit etiam probandi tempus, quoties res narrandæ in alios referuntur, non in eum, quem laudamus: uel melius dicerem, cum quis ea reprehendit, quæ nos laudamus, uel, ut aliàs Hermolaus, cùm rationem habemus ſubiectam, quæ facilè reddi

poſſit. Dixit Ariſtoteles, Demonſtratiuum genus probationes ferè non habere: Ferè, quoniam aliquando habet: habet autem cùm res, quæ dicitur, excedit ueritatem: uidetur autem excedere ueritatem, ita ut incredibilis appareat: habet etiam probationem, cùm facile ratio reddi poteſt. Sed mihi plus arridet, cùm alius cauſam habet, id eſt, cùm alius accuſat ea, quæ nos laudamus: tunc enim opus eſt, ut probemus ea eſſe uera, quæ ab alijs reprehenduntur: uel tunc probatione opus eſt in hoc genere, cùm res illæ in alios referuntur, non in eum, quem laudamus: ut ſi quis neget, prudenter, & iuſtè factum ab eo ipſo, quem laudamus, ſed dicat, alium ſuaſiſſe, alium impuliſſe: tunc nos probare debemus id non ab aliquo, ſed ab eo ipſo, quem laudamus, proueniſſe. Cæterùm nec controuerſijs carent ſuis forenſes, & ſenatoriæ cauſæ. nam de futuris, deq; ijs, quæ fieri, uel non fieri poſſunt, diſſenſio, & quæſtio incidit. Itē de utilibus, de commodis, & de rebus magis uel minus bonis & utilibus lis eſſe ſolet. Vnde fit, ut in eo quoque genere probanda ſint plura, & loca illa ſint neceſſaria, quæ in primo libro ſunt explicata. Sed confutationis ſpecies quædam uidetur, cùm is, contra quem dicimus, aliàs quoque falli opinione ſit ſolitus. Sed ſi machinæ illæ inter ſe comparantur, quibus deliberatio, & iudicium uti ſolent, certè in deliberatione exempla, in iudicio Enthymemata plus ualere cognoſcemus. Ratio eſt, quoniam Enthymemata neceſſitatem, & demonſtrationem reſpiciunt, hanc in factis potius, quàm in futuris aſpicimus. Cùm ergo in iudicio facta penſantur, neceſſariò ſequitur, ut Enthymemata plus ualeant. Sed res futuræ præteritorum exemplis confirmari ſolent: quod enim in re ſimili aliàs factum eſt, id fore conſimile in futura iudicari ſolet. Facta hac comparatione, præceptum maximè obſeruandum præbet, hoc ad uſum pertinet argumentorum. Debemus, inquit, uti argumentis non ſerie continua-

ta quon

ta, quoniam impeditur auditorum memoria, nec facilè percipit tam conſtipatam, & refertam ſententiam: nec debemus omnia in medium afferre quæ poſſumus: nam clara, & aperta ſunt omittenda: neq; item omnia ſunt argumentis confirmanda: nam ſæpe fit, ut illuſtriora ſint ea, quæ probamus, quàm initia & aſſumpta, quæ ſumimus ad probandum: quod uitium ſimile eſt, ac ſiquis tenebris domum illuminare uellet: nam ſemper notius id eſſe debet, quod ſumimus ut probemus, quàm quod probandum ſuſcipimus: ratio enim à cognitis & penitus perſpectis, ad incognita, & incerta proficiſci debet. Cùm ergo ſerie continenti, aut frequenti argumentorum ui uti non debeamus, certum eſt, quòd aliquid eſt interponendum quod Enthymemata ſeparet, & diſiungat: quare illud erit, quod in omni oratione facere debemus: quod à Platone & Demoſthene, & quibuſq; probatiſſimis oratoribus eſt obſeruatum, nam ubi Enthymemata dederis, ad affectus conuerte orationem, uel ad mores alicuius exprimendos. Caue autem, ne id ſimul facias, nam debilitatur, & infringitur nimis ea uis orationis, in qua probatio, & affectio uel mos permiſcetur. Diuerſi enim animorum motus diuerſas in partes rapiunt eos, & propterea uel remittuntur, uel læduntur inuicem. Quare cùm nulla uis alia ſit trahendi, & intorquendi animi oratori conceſſa, ideo ne machinas eas debilitemus, ſed integras omnes in auditorem uertamus, nunquam probando permouebimus, aut permouendo mores exprimemus, uel conciliabimus. Ecce Demoſthenes in prima Olynthiaca probat multis argumentis, tum Philippum eſſe hominem callidiſſimum, tum Athenienſes Philippo credere non debere, tum firmiſſimum Philippi præſidium facilè poſſe ſubuerti, ac demum Olynthijs fidem non ſeruaturum Philippum. Poſt probationes ad excitandos Athenienſium animos, & commouendos orationem uertit; atq; ita dum rem unam facit, a-

liam remittit, minor enim eſt animorum ſenſus, cùm ad plura intendit. Quare hoc memoriæ mandandum eſt maxime, quod ingenioſiſsimus Ariſtoteles *tam ualida, & probata ratione confirmat. Cicero quoq; in ſecundo de* Oratore *de hac parte plura dicit. Multa enim, inquit, occurrunt argumenta, multa quæ in dicendo profutura uidentur, ſed eorum partim ita leuia ſunt: & reliqua. Sed nos ad* Ariſtotelem.

Sententijs tum narrando, tum confirmando. *Conueſtit & orator paulatim orationem, ut* Rhetor: *quare de ſententijs mentionem facit, & quem locum teneant in oratione declarat. Sententiarum enim uis maxima eſt, cùm ſuo loco afferuntur, his enim tum narrando, tum probando utimur: in narratione uim quandam probandi tenent, in probatione uerò amplificationem, & robur, & celeritatem pariunt, ut & uehementius & citius argumenta uelut tela contorqueantur. Cumq; ſumuntur à moribus, Moratam: cùm ab affectibus,* Affectam *faciunt orationem: nam dupliciter noſtræ dictioni ſententias accommodamus: aut enim ad expreſsionem morum, aut ad afficiendos animos confirmamus eas, exempla ponuntur ab* Ariſtotele.

Difficiliorem eſſe deliberandi rationem. *Propoſitio eſt: Genus cauſæ deliberatiuæ difficilius eſt, quàm genus cauſæ iudicialis. Fides & probatio eſt: Illud eſt difficilius, quod de rebus difficilioribus habetur: atqui genus cauſæ deliberatiuæ de rebus habetur difficilioribus, quàm genus cauſæ iudicialis:* Ergo *ſequitur, quod propoſitum eſt. Fides hæc & probatio* Epimenidis *teſtimonio aucta eſt. de* Epimenide Plato. *Altera probatio eſt: Difficilius eſt, cuius principium eſt difficilius: atqui deliberandi principium difficilius eſt, quàm iudicandi:* Ergo *propoſitum uerum. Tertia fides: Quod paucioribus adiumentis, præſidijsq; firmatur, id difficilius: deliberatio huiuſmodi eſt: deliberatio ergo difficilior*

habetur

habetur iudicio. nam in deliberatione minus digredimur, & euagamus, ut patuit in procemio primi libri, & in ſecundo, & tertio: Probationes ergo in deliberando ſunt difficiliores, quàm in iudicando: ſunt enim de rebus futuris, quarum initium latet, & nullo aut tenui adiumento extrinſeco confirmari ſolet. Sed cùm probationum indigemus, ad illa confugiendum, quæ extra negotium reponuntur, id Iſocrates obſeruat, id Demoſthenes, id alij oratores: ſed nominatur hic Demoſthenes tanquam æmulus, quanquàm hoc ab Hermogene in Demoſthenis laudibus fertur, quòd cùm deliberat, à iudiciali cauſa non diſcedit. Cæterùm & demonſtrantibus ampliatio illa utilis eſt, qua utitur idem Iſocrates: ad externas enim laudes fugit: atq; hoc eſt quod Gorgias ſibi uendicabat: dicebat enim, nunquam ſibi uerba deeſſe: nam etſi mens eſſet Achillem laudare, Peleum tamen laudabat, Aeacumq́;, & deniq; ipſum Iouem, ut ſuſceptæ commendationis orbem impleret. Similis erat modus in uirtutibus extollendis, nam primùm hæc, deinde illa dicebat, & ſemper extrinſecus aliquid adijciebat: quod tale eſt, quale dicebat Gorgias, ſcilicet, ſibi uerba nunquam deeſſe. ſic enim uerterem illud ὁ πόνδηλ ἐσίν, quod uertit Hermolaus, Atq; hoc eſt, quod, &c. Tum deinde qualis nam ea uirtus eſſet, & quanta, demonſtrabat. Cæterùm quod Ariſtoteles, ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, & Hermolaus, externis laudibus illuſtratur, dicit: id interpres Latinus, Interpellatis laudibus uertit, quod non rectè uertitur. Concludit autem Ariſtoteles, ſed hoc facilimum.

Qua ratione argumento reſiſtendum ſit, & de argumentorum comparatione. CAP. XXVIII.

EX ENTHYMEMATIS ea, quæ uocantur Elenctica, id eſt, ad coarguendum compoſita, plus ualent, quàm ea, quæ Dictica, id eſt, monſtrantia nuncupantur: propterea quòd ea, quæ argutijs illis, & a-

crimonia commendantur, uidentur fortius, & ualidius eſſe concluſa, quoniam contraria, ſi apponuntur, ſolent habere plus lucis. In refutatione non eſt alia ratio argumentorum quærenda, quàm in confirmatione. Cæterùm meminiſſe debemus, quæ dicta ſunt ex diuerſo, dupliciter poſſe diſſolui, inductione obiectionis, & contraria ratiocinatione. In conſilijs, & in foro prius rationes noſtras exponimus, deinde aduerſariorum dicta reprehendendo, & deſtruendo refellimus. Quòd ſi multa & fortia ſint, quæ nobis obſunt, prius amolienda ſunt illa, deinde ſubiungenda ſunt noſtra: quod in Meſſeniaca concione Calliſtratus fecit, qui cùm diſſoluiſſet quæ contrà dicere aduerſarij potuiſſent, tum deinde intulit, quæ ipſe ſentiebat. Verùm ſi loco ſecundo dicetur, prius contraria diſcutere oportet, & tollere, uel reprehendendo, uel rationem aliam opponendo. Atque hoc præcipuè cuſtodiendum eſt, cùm aduerſarius fidem feciſſe uideatur. Nam ut ab homine infamia criminum, & rumoribus ante damnato, ita quotiens bene dixiſſe aduerſarius creditur, ab oratione noſtra alienus eſt iudicis animus. Igitur occupandus eſt nobis apud auditorem locus, & ſedes, in quam futura oratio admiſſa, receptaq; partem poſsideat iudicis. Hoc autem aſſequi poteris, ſi protinus aduerſarium inuaſeris, atque eius tela confregeris. Quamobrem cùm aut omnia, aut plurima, quæ aduerſus nos adducta ſunt, impugnaueris, uel potentiſſima quæque, aut etiam num leuia quædam impuleris, tum & credibilia efficientur, & probabuntur tua. Deos, inquit ille, propugnatores habebo: ego nempe Iunonem: in his, quod ſtultiſsimum erat, & leuiſsimum, protinus confutatum eſt. De u-

ſu pro

ſu probationum hactenus.

DANIEL BARB.

EX Enthymematis. *Agit de confutatione, & comparat primo loco argumentorum genera, & oſtendit* Enthymemata *reſellentia, & coarguentia plus ualere, quàm demonſtrantia, & confirmantia.* Dicitq; *id plus ualere, quod fortius & ualidius concludit: atqui coarguentia ſunt huiuſmodi, quoniam argutijs, & acrimonia magis commendantur, quàm demonſtrantia. ueram igitur propoſitionem eſſe, in qua dicit,* Elenctica *plus ualere, quàm dictica. Sed quare illa commendantur argutijs, & acrimonia? An quia in ratione, quæ ad incommodum ducit (ſic enim reſiſtimus argumento) utraq; collectio inuerti ſolet, tua ſcilicet, & aduerſarij, unde oppoſita appoſita magis eluceſcunt? Sed de ſyllogiſmo & ratione ad incommodum perducente Ariſtoteles in dialecticis agit. His poſitis uidendum eſt, quando præcedere confutatio debet, & quando ſequi: ſed prius animaduerſione dignum eſt, quod Ariſtoteles dicit:* Cæterùm meminiſſe debemus, quæ dicta ſunt ex diuerſo, dupliciter poſſe diſſolui, inductione obiectionis, & contraria ratiocinatione. *Primum fit, cùm aduerſariorum dicta infirmamus: ſecundum, cùm aliquid contrà attulimus, non infirmando illorum dicta, ſed noſtras rationes opponendo: aliud enim eſt alterius rationem debilitare, aliud nouas alias inducere, & quaſi contrariorum argumentorum concurſu uim utriuſq; rationis oſtentare. Sed nos ad inſtitutum in conſilio & in foro. Tempus eſt, cùm refutatio confirmationem præcedit, eſt etiam cùm ſequitur. Si plura ſunt, & fortia argumenta noſtri aduerſarij, prius amouenda ſunt illa, poſtea inducenda ſunt noſtra. Cæterùm in conſilijs & in foro noſtra prius exponimus argumenta, deinde aduerſariorum dicta reprehendimus ſoluendo, & detrahendo: atq; id fit, ſi nos primo loco*

mo loco dicimus: at ſi poſteriores ſumus, prius contraria ſunt diſcutienda, duplici uia, ſcilicet aut redarguendo, aut rationem aliam opponendo. Et *hoc quanquam ualde ſemper neceſſarium eſt, eo tamen caſu maximè opportunum cenſetur, cùm fidem feciſſe aduerſarius uiſus eſt.* Nam *odiſſe & nos & orationem noſtram coguntur iudices, cùm alienati ſint nimia noſtrorum criminum diffamatione: quare opportuniſsimum remedium eſt ab eorum animis odium propellere, quod fiet, ſi rationes aduerſarij, quæ in nos contorquentur, noſtrorum argumentorum duricie obtundantur.* Q*uare fit, ut cùm omnia, uel plurima eorum, quæ in nos iacta ſint, aut reieciſſe, aut infirmaſſe uideamur, uel potentiſsima quæque, uel etiam leuia propuliſſe, tum & credibilia efficientur ea, quæ dicemus, & probata.* E*xemplum ponit Ariſtoteles: Laceſsiuit quiſpiam iniuria mœchum quendam, mœchus laceſsitus accuſat eum, qui laceſsiuit, tanquam impium, dicens,* Q*ui me laceſsiuit & iniuria affecit, is* V*enerem laceſsiuit, &* V*enerem affecit iniuria, ipſa enim complexuum cauſa eſt.* A*t is qui accuſatus fuit, oſtendit primùm, quòd* D*eos non laceſsiuit, ſed defendit potius, & præſto fuit:* Honoraui, inquit, Iunonem *nuptiarum, non adulterij dominam.* E*xemplum hoc pertinet ad illud, uel etiamnum leuia quædam impuleris: in his enim tetigit primum argumentum, quod erat fatuiſsimum, & hoc infirmato uiam ſibi fecit ad fortiora: cuius autem ſit hoc exemplum, non habemus.* A*tque hæc hactenus de probationibus.*

De Digreſsionibus iis, quæ ad mores pertinent exprimendos. CAP. XXIX.

CVM uerò digreditur in morem, & uitæ alicuius expoſitionem oratio, utiliſsimum eſt alienæ perſonæ uocem dare, atq; alijs inductis fictam orationem induere. Nam ſi de nobis ipſis prædicemus, aut inui-

dioſè

dioſè dicere, aut prolixè uidebimur. Sed & interim contradictionem habebunt, quæ ita docentur. Si in aduerſarium, periculum eſt, ne aut contumelioſi, aut agreſtes, inſulſiq; habeamur. Hac moderatione in Philippo, & Antidoſi Iſocrates utitur. Archilochus quoq; in iambo patrem adducit dicentem in filiam: Nil, inquit, clauſum eſt, aut imperuium nummo: nil tam iuratum, tam ſanctum, quod auro uiolari non poſsit. In alio item eiuſdem generis carmine, cuius initium eſt ὃν καὶ τὰ γύγεω, Charontem fabrum inducit. Eũdem colorem ſequutus eſt apud Sophoclem Hæmo, cùm pro Antigone patri commemoraret ea, quæ alij dicere uidentur. Solet interdum prodeſſe argumenta in ſententias uertere, hoc modo: Tunc præcipuè reconciliari debere, qui ſaperent, cùm maxime rebus proſperis uterentur. Tunc enim cõditionibus locupletiſsimis, auctiſsimisq; deciditur. Habebit argumenti, & Enthymematis ſpeciem, ſi flexum hoc modo mutaueris. Si tunc redire debemus in gratiam, cùm ſecundum nos utiliſsimè, quæſtuoſiſsimeq; dicitur: hoc potiſsimum conuenit, cùm rebus proſperis utimur.

DANIEL BARB.

CVm uerò digreditur in morem, & uitæ. *Quoniam præcepto quodam admonuit nos Ariſtoteles, non debere nos, cùm argumentamur, aut permouere, aut mores exprimere, ſed ſeorſum ſingula inducere, ne uel mutuo attritu hæ machinæ lædantur, uel animi remiſsiores habeantur: ideo conſequi uidetur, ut de digreſsionibus agat, his inquam quæ ad affectus & mores pertinent exprimendos: hoc enim eſt neceſſarium, ut ait Cicero in ſecundo de Oratore. Et quoniam quod ſæpe iam dixi, tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo*

uendo, una ex tribus his rebus præ nobis eſt ferenda, ut nihil aliud niſi docere uideamur: reliquæ duæ ſicuti ſanguis in corpore, ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebant. Et *paulò inferius*: Itaq; *uel narratione expoſita, ſæpe datur ad commouendos animos digrediendi locus, uel argumentis noſtris confirmatis, uel contrarijs refutatis, uel utroq; loco, uel omnibus.* Si *habet eam cauſa dignitatem, atq; copiam, rectè id fieri poteſt: hæq; cauſæ, ſunt ad agendum, & ad ornandum grauiſſimæ, atq; pleniſſimæ, quæ plurimos exitus dant ad huiuſmodi digreſſionem. & quæ ſequuntur.* Hoc igitur loco *id optimè facit Ariſtoteles, docetq; quid agendum, cùm oratio in morem, & conciliationem digreditur: nam de affectibus ſatis eſt dictum.* Cùm *igitur laus (ut aiunt) in ore proprio ſordeſcat, ac acerbitatis nimiæ ſignum ſit, aduerſarium noſtrum contumelijs inſolentibus urgere, ideo cùm mos exprimitur, utiliſſimum eſt illud, quod* Socrates *ubiq; facit, alienæ ſcilicet perſonæ uocem dare, atq; alijs inductis fictam orationem inducere, hac moderatus* Iſocrates *in* Philippo *utitur, & in* Antidoſi. *Sed egregium propriæ laudis, & alterius uituperationis moderatum exemplum habetur in* Hippia, *in* Lyſide Platonis, *ubi* Socrates *ſuos, & aliorum mores ſtudioſius exprimit.* Qui *ergo temperatè, ac modeſtè non utitur his, cùm ſe laudat, inuidiam ſibi concitat, cùm alios uituperat, aut exprobrationem ad directam calumniam (ſic enim* λοιδορίαν *uertit* Macr.) *aut ruſticitatem quandam habet.* Hoc *modeſtiæ genere uſus eſt* Archilochus, *quem proprio rabies, ut ait* Horatius, *armauit iambo.* Improbaturus *enim auaritiam ſordidæ mulieris, patrem fingit in filiam dicentem,* Nil *tam iuratum, & ſanctum, quod non poſſit auro uiolari.* Vergilius: Quid *non mortalia pectora cogis,* Auri *ſacra fames?* Cicero *libentius interdum de ſe prædicat.* Vergilius *modeſto hoc genere utitur, cùm dicit in* Bucol. *ſe uatem dici à paſtoribus:* Aſt

bus, Aſt ego non credulus illis.

Solet interdum prodeſſe. *Quoniam mores ſentẽtijs exprimi poſſunt, uel potius de moribus aſſumuntur ſententiæ, & argumenta pari modo conficiuntur, pulcherrimum eſt ad uarietatem ſentẽtias in* Enthymemata, *&* Enthymemata *in ſentẽtias uertere, ut exemplo docet* Ariſtoteles, *& manifeſtum.*

Quot, qualéſue habentur modi interrogandi.

CAPVT. XXX.

NVNC de ratione interrogandi dicendum. Tempeſtiuè interrogandi multi ſunt modi: Primùm, ſi ſumpta alicuius dicti occaſione, quod aduerſarius attuliſſet, per ſciſcitationem unam efficitur, ut abſurdum, & diſſentaneũ aliquid efficiatur. Pericles cùm de quodam Lampone quæſiſſet, qui nam ritus haberentur in ſacris, quæ in Salutis templo fieri conſueuiſſent: isq́; dixiſſet, Non eſſe fas cuiquam ſcire ea, qui initiatus non eſſet. Interrogauit an ipſe ſciret. Aiente illo, Quid tu, inquit, hoc potes, cùm initiatus non ſis? Secundus modus eſt, cùm de duobus alterũ manifeſtum eſt, alterum is, qui interrogat, aduerſarium conceſſurum intelligit. Ita ut ſimul interrogauerit aliquid, non interroget, quod manifeſtum ſit. Sed in concluſionem, & in exitum conferat. Socrates cùm Melitus affirmaret male eum ſentire de Dijs, Nec arbitrari eos eſſe. Nunquid eſſe dæmones, inquit, inficior? Fatente illo, tum Socrates: Non'ne igitur Dæmones aut de Dijs ſunt orti, aut diuinæ ſunt certæ res aliquæ? Nec hoc negante illo: Eſt igitur aliquis, inquit, qui Deorũ filios eſſe credat, Deos eſſe non credat? Tertia ratio eſt, ut tunc percũctemur, cùm aut pugnantia, aut admirabilia dicturi uidentur, quos percunctamur. Quarta, ut tunc, cùm non ſimpliciter abſoluteq́; ſed ambiguè, & cauillando reſponſuri

ſperantur, cuiuſmodi ſunt illæ calumniæ, Eſt ut fieri poſsit, & ut non poſsit. Item, Eſt partim, partim ſecus. Item, Interim, interim contrà. Quo modo quotiens reſpondebunt, ſcire licebit, hæſitare illos, & conturbatos eſſe. Alioquin pedem conferre non oportet, nec premendi, aut urgendi ſunt ultrà. Nam ſimul atq; congrediare, & bene reſpondiſſe, & uiciſſe uidebuntur. Nam multa interrogari non poſſunt, dum imbecillitati, ac faſtidio audientium parcitur. Quamobrē Enthymemata quoq; ipſa contrahi maximè, & conuerti debebunt.

De modo reſpondendi, atq; eius uſu. CAP. XXXI.

RESPONDENDI quoque nonnulla habentur præcepta: atque ambigua quidem quotiens proponuntur; reſpondendum eſt per diuiſionem, atque diſtinctionem, oratione perpetua, non conciſa. Ad ea uerò, quæ contrà uidebuntur, ſtatim ſub ipſam reſponſionem annectenda ſolutio erit, nec expectandum ut aduerſarius anſam arripiat, qua uel interrogando ſequentia, uel concludendo ipſe nos capiat. Cæterùm difficile non eſt, intueri, ubi ſita ſit ratio: uerùm tum hoc, tum qui ſit diſſoluendi modus, peti poteſt ex Topicis. Illud quoq; præcipiendum uidetur, ut qui ea, quæ interrogatus eſt concludit, cauſam concluſioni ſubijciat. Sophocles à Piſandro interrogatus, An quadraginta uiros in Republica conſtituendos unà cum reliquis ſenſiſſet: cumq; ſenſiſſe ſe diceret, isq; inſtaret, num pernicioſum ei illud uideretur? Quid ni? inquit. Tu igitur, ait Piſander, pernicioſum conſilium dediſti? Reſpondit, dediſſe: quia melius, aut commodius dari non poterat. Lacedæmonius quidam, cùm in iudicio ob magiſtratum male geſtum, qui apud illos Ephori nominantur, capitis poſtularetur, interrogatus

gatus an cæteri iure ſupplicio eſſent affecti? Iure, reſpondit. At tu, inquit ille, idem iudicaſti? Non negauit. Iure igitur & tu ſupplicium dabis. Nequaquam, inquit ille: nam hæc illi ſordibus corrupti cenſuerunt, ego mihi quod uidebatur ſanxi. Quamobrem neq; poſt concluſionem interrogare oportet, niſi quum plurimũ ſupereſt ueri.

Quomodo, & quando ridiculis utendum eſt, ex Poëtica ſumere oportet. CAP. XXXII.

RIDICVLORVM quis uſus in controuerſijs probetur: nam & hoc exigi ſolet ab oratore, ut quemadmodum dicebat Gorgias, utrunq; debent præſtare qui dicunt, ut & ſtudium, intentionem'que aduerſarij ſciant riſu aliquo ſoluere, & riſum contrà intentione, ac ſtudio frangere, abunde expoſuimus in ijs, quæ de Poëtica ſcripſimus: ibi genera omnia enumerauimus, quorum alia liberalibus ingenijs, alia ſeruilibus accommodari docuimus: inde quæ huic operi neceſſaria erunt, haurire uolentem oportet. Eſt autem Ironia quædam uelut illuſio, uel diſsimulatio, ſcurrili dicacitate liberalior, atque uenuſtior: qui enim illud, ſua cauſa illudit, ſcurra uoluptati ſeruit alterius.

DANIEL BARB. *in Cap.* XXX. XXXI. XXXII.

NVnc de ratione interrogandi. N*on modò maximas orationis partes exequitur Ariſtoteles, ſed paruas, & minutas, ut nihil deſiderari poßit.* E*git propterea de* D*igreßione, agetq; de* I*nterrogatione, &* R*eſponſione, deq; uſu* R*idiculorum.* F*ortè autem id eſt apud* F*abium de* A*ltercatione, quod eſt apud* A*riſtotelem de* I*nterrogatione.* O*ſtendit quatuor eſſe interrogandi tempora.* P*rimum eſt, cùm*

ex aſſumptis, minus quod eſt, ab aduerſario conceditur, & propterea in incommodum deducitur. Interrogatur enim, & petitur aſſumptio illa, qua per conceſſionem aduerſarij confirmata, in abſurdum, & diſſentaneum aliquid ratio deducitur. Non eſt fas (inquit ille) cuiquam ſcire ſacrorum ritus, niſi prius initiatus ſit: hæc maior eſt aſſumptio. Sed minor interrogatur, An ſciat aduerſarius ſacrorum ritus? Reſpondet aduerſarius, ſe ſcire: hoc poſito, neceſſariò conuincitur ipſum eſſe mendacem, quoniam initiatus non erat. Hæc res Pericli aduenit aduerſus Lamponem. Periclis laus maxima in Phædro. De Lampone etiam Plato mentionem facit, hoc loco ſæpe uſus eſt Socrates. Alius locus eſt etiam in Apologia uſurpatus à Socrate. Accuſauerat hunc Melitus, tanquam impium, & qui negaret Deos. Socrates interrogando oſtendit ſe deos non negare. Sed antequam uerba Socratis explicentur, ad Ariſtotelem ueniamus. Duo aſſumpta ſunt, patet unum, latet alterum, ſed ab aduerſario concedi poteſt. Quod igitur patet, non interrogatur, ſed interrogatur aliquid aliud ad id conferens: uerbi gratia, Melitus dicebat Socratem negare eſſe Deos, tum Socrates aliud interrogat dicens, Nunquid dæmones eſſe fateor? Fateris, inquit Melitus. Tum Socrates, Non'ne igitur Dæmones aut ex dijs orti, aut diuinæ ſunt certæ res aliquæ? Ita, reſpondit ille. Subiungit Socrates, & in concluſionem, atq; exitum confert, Eſt igitur aliquis qui deorum filios eſſe credat, deos eſſe non credat? Hoc exemplum iterum alio propoſito etiam ſuprà eſt allatum, & in apologia Socratis reperitur apud Platonem. Tertius, & quartus interrogandi modus à natura ſumitur eius rei, quam ſciſcitari uolumus: nanq; aut incredibilis eſt, & ſibi repugnans, aut anceps. In priori interrogamus ad eum finem, ut aduerſarius incredibilem, aut repugnantem afferat reſponſionem: in poſteriori, ut cauillationis

quadam

quadam ſuſpitione aduerſarium debilitemus. *Vtriuſq; rei exempla in Socrate reperiuntur, mirus enim fuit in interrogando.* *Ecce in Lyſide dum quærit, an in ſimilitudine, uel diſsimilitudine amicitia ſit collocata, quoniam hoc partim uerum eſt, partim falſum, ideo interrogat, ut qui reſpondet, ſi diſtinguere neſciat, uictus & reiectus uideatur.* *In Sophiſtas uero tanto interrogandi artificio fertur, ut nihil abſurdum ſit, nihil & inauditum, in quod tanquam in profundum præcipites non cogantur ire: nam in Minoë totum interrogat, illi pars reſpondetur: in Lippia uis, & natura quæritur, illi datur quod naturæ particeps eſt: in Hipparcho definitio uera ſciſcitatur, communis, & uitioſa profertur: atq; in ſubtilibus quæſtionibus, & ambiguis, ut Sophiſtarum ignorantiam Socrates notet, ſemper eſt uſus: ſubſannat autem, & irridet uictos, & confuſos, nec amplius urget: ut in Gorgia Polum, & alios: quod præceptum eſt optimum in Ariſtotele, dum dicit,* Alioquin neq; premendi, aut urgendi ſunt ultrà, nam ſimul atq; congrediare, & bene reſpondiſſe, & uiciſſe uidebuntur. *Parcendum igitur eſt, nec amplius interrogandum, tum ob dictam cauſam, tum ne iudicibus faſtidium parias ob plures interrogationes, & eorum imbecillitatem offendas.*

Quamobrem Enthymemata quoq; ipſa contrahi, uel conuerti debebunt. *Illud* συςρέφειν, *alius interpres conuolui dixit, quod non intelligo. Sed in hoc uideatur contrarium illi, quod antè dixit, Enthymemata eſſe interrogationibus obſcuranda, ut capiantur, qui reſpondent, interrogationibus eſſe parcendum ob imbecillitatem auditorum. Dicerem ego eadem quoq; de cauſa, ſic enim* συςρέφειν *uerto, contrahi Enthymemata debere: uult enim Ariſtoteles, ſententias in Enthymemata, & hæc in ſententias conuertenda eſſe, ob eandem cauſam, ob quam quæſtionibus præcipit abſtinendum: id*

 eſt, ob

eſt, ob imbecillitatem iudicum, qui neq; plures interrogatio-nes, neq; plures ſententias, neq; plura & continua Enthy-*memata ferre poſſunt. Sed & hoc ad uarietatem quoq; & iu-cunditatem orationis pertinet. Quoniam uerò præcipua* Dia-*lectices eius pars, quæ* Topice *nominatur, in interrogando, & reſpondendo poſita eſt, ideo qui exactius hanc rem uniuer-ſam uidere cupiunt,* Ariſtotelis *petant fontes, & ſuos libros* Topicorum *inſpiciant. Cùm uerò qui interrogat, aut in ambi-guum, aut in abſurdum, aut in incredibile, aut in contrarium ducere cupiat eum, qui reſpondet: neceſſariò ſequitur, ut is qui reſpondet, adeo callidus, & circunſpectus ſit, ut non ſinat ad-uerſarium uoti compotem fieri. Quare totidem præcepta re-ſpondendi, quaſi totidem remedia ſunt contrà comparanda. In ambiguis ergo diſtinguet, in contrarijs ratiocinabitur, in ab-ſurdis, & incredibilibus medelam quandam afferet. Ambigua enim idcirco ambigua ſunt, quoniam non abſolutè alteram con tradicentiæ partem obtinent, ſed parte una confirmationem, parte altera negationem habent, nam media eſt inter utramq;: unde in ambiguis diſtinctio plurimum ualet, & tanquam ignis partes rerũ ſeiungit: unde etiam non immeritò uelut alter* Pro*metheus laudandus eſt is, qui eo igni rebus, & controuerſijs ho minum adhibito, incerta & dubia ſoluat: hoc enim unum eſt ex his machinis magnum, queis* Dialectica *ad oppugnãdas diffi-ciles quæſtiones adhiberi ſolet.* Hoc *egregium munus ſummo ac principi uiro, ac ferè diuino tribuitur à* Platone, *in hoc* Pe-*ricles excelluit,* Ariſtoteles *ſiquis alius. Diſtinctio igitur am-biguis adhibenda. At contraria ipſa ratione ſoluuntur: quare ſub ipſam reſponſionem ratio, quæ admodum difficilis non ha betur, commode ſubijcienda eſt. Sed opportunum illud eſt hoc loco, ut qui reſpondendo interrogationem in concluſionem confert, cauſam ſtatim ſubijciat: cuius rei exempla ponũtur ab* Ariſtotele. *Quis ergo interrogandi uſus in oratione habeatur,*

& quæ

& quæ ſit ratio reſpondendi. Explicauimus *pro tempore quidem ſatis: ſed quantum ratio ipſa* Dialecticorum *poſtulat, non planè ſatis, quare à* Topicis *id omne perfectè mutuā dum eſt.* De Ridiculis *&* Facetijs *multa ſunt dicta à præceptoribus artis, multa ab* Ariſtotele *in poëticis, ut ipſe ait, multa nos in urbanis explicauimus: quare ſatis erit hoc loco, ſi oſtendamus uſum eſſe neceſſarium, uel* Gorgiæ *teſtimonio. Sæpe autem tanti ponderis iocorum, & riſus leuitas eſſe ſolet, ut aduerſarius plus mali à ridiculis, quàm à ſerijs accepiſſe cognoſcat.* Nolo *ſcurras, nolo dicaces, ſed amo facetos, & urbanos, liberales illos, & moratos homines, qui ſui gratia, nō aliorum uoluptati iocantur.* Amo, *inquit* Cicero, Verecundiam, *ut nos quoque ſuprà oſtendimus.*

De Peroratione, atque eius præceptis. CAP. XXXIII.

PERORATIO, quam Epilogum uocāt, quatuor partibus conſtat, ut conciliemus nobis, auertamus ab aduerſario iudices, ut amplificemus, minuamus, ut excitemus, & componamus affectus, ut memoriam iudicis repetitione rationum noſtrarum reficiamus. Eſt enim ferè inſitum natura, atque ſequens, ut ſimulac noſtra probauimus iudici, quæ aduerſarius defenderet, falſa monſtrauimus, tum commendemus nos, illum uituperemus, & premamus inuidia. Duæ uero ſunt res, quarum alteram ſaltem intueri debent hoc loco, qui inclinationem iudicis ad ſe petunt. Primum eſt, ut bonus uir ſimpliciter iudicetur: proximum, ut ſi non omnino integer, ſaltem à tali culpa remotus eſſe uideatur. Eodem modo enitendum eſt, ut aduerſarium aut omnino malum, atque improbum demonſtremus: aut ſi id non poterit, ſaltem eo ipſo in genere, quo arguetur, affinem uitio eſſe dicamus. Quibus autem hoc rebus efficere poſſimus, locos omnes retro in præceptis attigimus. Re-

bus ita monſtratis, conſequens eſt, & naturæ conſentaneum, ut amplificemus eas, & proſequamur honore uerborum, aut contrà attenuemus, & abijciamus. Nam antequam de rerum quantitate, magnitudineq; dicatur, conſtare de rebus oportet: quemadmodum & corpora, quæ adoleuerunt, neceſſe eſt antequam creſcerent, mate riam aliquam habuiſſe, quæ poſſet magnitudinem illam, & incrementum accipere. Qui ſint loci, ex quibus minuatur, & tollatur oratio, ſuperius nobis expoſiti ſunt. Poſtquam uerò & res ipſas, & magnitudinem earum oſtenderis, totos effundere affectus, & inſtantius premere, & perturbare iudicem conuenit ut miſereatur, indignetur, iraſcatur, oderit, amet, contendat, æmuletur, inuideat. Affectus qui eſſent, & quomodo moue rentur, hoc quoque ſuprà executi ſumus. Poſt hæc reliqua eſt pars, recolendi, atque ad memoriam reducendi, quæ diximus. Sunt hic illa ſeruanda, quæ quidam in exordio malè præcipiunt, ut res, qua de agitur, facilius intelligatur, ſæpenumero repeti uolunt. Verum in exordio ſatis eſt oſtendere rem, & indicare ne is, qui audit, quid ſit, quod in iudicium adducatur, ignoret. Hæc omnia quibus cauſa continetur, remunerando, & decur rendo per capita breuiter reuoluenda, cogenda, & ſubijcienda ſunt oculis. Igitur initio concluſionis dicendum eſt, perſoluiſſe nos omnia, quæ polliciti ſumus, deinde & quæ diximus, & rationes, quas attulimus, explicandæ. Solet aut per collationem aliquando eorum, quæ aduerſarius dixiſſet, enumeratio illa, & admonitio fieri: ſumuntur uerò ea potiſsimum, quæ utique eadem de re diximus, aut ſi nihil huiuſmodi fuerit, illa ipſa, quæ aduerſarius dixit, conferenda cum noſtris erunt, hoc modo, Aduerſarius hoc habet, ego hæc iudices dico

atque ita deinceps reducere etiam in memoriam rationes, quibus unamquanque partem confirmauerimus. Hoc autem interim per Ironiam fiet, hoc modo: Sunt hæc quæ dixit aduerſarius, iudices: mea ſunt illa: quid faceret, ſi hæc, non illa dixiſſet? Interim per interrogationem, Quid eſt, iudices, amplius, quod uobis demonſtrari potuerit? Aut quid eſt, quod uobis probauerit, aut effecerit aduerſarius iudices? Igitur uariari poteſt hæc ratio per ironiam, per interrogationem, per collationem, per ſimplicem, naturalem'que enumerationem, ut primum tua, deinde, ſi libuerit, quæ patronus aduerſæ partis dixiſſet, ſigillatim ſeorſumq́; tranſeas. Finem orationis articuli, & diſſoluta decuerint, ut peroratio, non oratio uideatur, hoc modo: Dixi, Audiuiſtis, Cognoſcitis, Iudicate.

DANIEL BARB.

PEroratio quam Epilogum uocant. *In ultima librorum parte artificioſe ultimam quoq; orationis partem conclu dit, ac in eadem uerba deſinit, in quæ ſolet orator ſuum ſermonem terminare: ac primo loco quatuor munera, uel officia perorationis eſſe oſtendit, mox eadem probat, loco tertio differentiam inter* Epilogum *ponit, & procemium. Quarto de uſu, & tractatione, ſeu de partibus* Epilogorum *uerba facit, ac demum finem totius orationis, quibus uerbis claudamus, oſtendit: omnia ſunt facilima.*

Rebus ita monſtratis, conſequens eſt, & naturæ conſentaneum. *Amplificationem* Epilogorum *propriam eſſe oſtendit, pareit autem ſeueritati* Philoſophorum, *cùm unico exemplo declarat prius de re, quàm de eius magnitudine eſſe dicendum: nam in philoſophia naturam, & ſubſtantiã omnibus accidentibus præponendam eſſe, rationibus amplioribus confirmat. Quomodo autem amplificemus, & imminuamus,*

 dictum

dictum eſt antea.

Poſtquam uerò & res ipſas. *Tertia pars de affectibus agit, ſua quoq; ratione confirmatur, & oſtenditur eſſe in* Epi*logis accommodanda, aliter enim iudicat iratus, aliter beneuolus.* De *affectibus autem copioſe in ſecundo libro diſputatum eſt.* Apparet *autem & in hac parte iudicium* Ariſtote*lis, qui* Epilogorum *præcepta, ubi de* Epilogis *tractat, belliſsimè obſeruat: breuiter enim in collectam memoriam nos uocat, eorum, quæ ſuperius in toto opere diſſeminauit.* Ea *enim eſt ultima pars, & maximè propria* Epilogorum, *breuiter commemorare, & ante oculos collocare illa, quæ dicta ſunt: & hac in parte perorationis ipſæ cum exordijs conuenire uidentur: nam ſicut præponimus in exordijs, quæ dicenda ſunt, ita repetimus in* Epilogis, *quæ iam diximus: utrunque autem ad iudicis intelligentiam, & ſenſum accommodatur, quanquam differentia ſit quædã. unde* Fabius: Nec *enim ſum in hac opinione, qua quidam, ut eo diſtare procemium ab* Epilogis *credam, quòd in hoc præterita, in illo futura dicantur: ſed quòd in ingreſſu parcius, & modeſtius prætentanda eſt iudicis miſericordia, in* Epi*logo uerò liceat totos effundere affectus, & ſuprà.* Deguſtan*da tamen hæc procemio, non conſummanda.* Sed *omnia in* Ari*ſtotele facilia ſunt.* Ante *perorationem uerba quædam collocanda ſunt, quibus innuamus, nos ea præſtitiſſe, quæ polliciti ſumus: in peroratione, ea; quæ diximus, efficiemus quatuor quidem modis per ironiam, per collocationem, per ſimplicem enumerationem, per interrogationem: poſt perorationem uerò articuli, & diſſoluta ponentur,* Dixi, Audiuiſtis, Cogno*ſcitis,* Iudicate.

H*Abuimus inuentionem ad omne genus accommodatam, ita ut permouendo, conciliando, & docendo, nihil nobis deeſſe poſsit, tum in ijs rebus, quas orator, tum in ijs, quas cauſa præbet.* Habuimus *ordinem partium orationis, ornamenta, lu-*

mina,

mina, & genera dicendi omnia, ſuis quæq; præceptis tanquam legibus confirmata. Habuimus explicatam maximè uerborum, ac ſententiarum notitiam, qua facile quid, quibus uerbis exprimendum ſit, dignoſcere ual:amus. Fingo etiam ad optimorum imitationem ſtudium, exercitationẽ, & ſingularem naturam nobis fuiſſe coniunctam. Certè quatenus ipſa benedicendi profeßio poſtulat, nihil eſt petẽdum amplius, & exoptandum. Sed uereor ne cui mirum uideatur id, quod modò dicturus ſum, ſed quantumuis mirum, & incredibile uideatur, uerum tamen eſt, & autoritate hominum præclarorum maximè confirmatum Nullam ſane, nullam inquam uim in cœtibus hominum eſſe illum habiturum, qui omnibus alioquin artis præſidijs ornatus, non habeat id, quod modo dicturus ſum. Si quis ergo, (ut exemplo res agatur tanquam obſide ueritatis) ſiquis inquam hæc de ſe ipſo polliceatur: Ego, inquiens, perbelle noui corporibus admouere illa, quibus & caleſcant ut uolo, & refrigerẽtur, noui etiam deiectationes, & expurgationes alias prouocare, & remedia multa, & maxima adhibere, quibus penè reuiuiſcere, ac à mortuis ſurgere languentes cogi ſolent, unde me & medicum eſſe prædico, & mei ſimilem medicum quemuis alium efficere poſſe profiteor. Siquis ergo hæc omnia de ſe diceret, eiq; fides adhiberetur, quòd alter Aeſculapius foret, nónne ſupereſſet percunctatio illa, & interpellatio, Nunquid optimè ſcis etiam, quibus hominibus, quando, & quouſq; ſingula horum ſint adhibenda? Aiente illo, & hæc quoque ſe ſcire dicente, miras ei laudes nos tribuendas eſſe diceremus, & tanquam numen uenerandum arbitraremur. Sed ſi negaret ſeſe illa ſcire, quæ maximè ſcienda ſunt, inſanire hominem putaremus, qui cùm ex aliquo medicorum libro excerpſerit quandoque aliquid, & in medicamentorum quorundam notitiam inciderit, neq; quicquam artis intelligeret, in medicum tamen ſeſe euaſiſſe putaret. Quid uerò, ut etiam ulterius per rerum

ſimilitudines, & exempla quaſi per planiorem uiam tranſeamus, quid inquam ſi apud peritiſſimum Poëtam, *ſeſe aliquis iactitaret, ſcire ſe parua de re orationem prolixam, & de magna breuem habere, & arbitratu ſuo flectere miſeratione, & obdurare odio mentes, metumq́; & inuidiam molliri: non'ne hunc nihil aliud præterea ſe habere dicẽtem, optimus ille ſubſannaret, & ſi reprehẽdere nollet, mitius tamen ageret, admoneretq́; hoc modo?* Negare *equidem nequeo, quin futurum uatem deceat, & oportcat ea tenere, quæ tu tenes: nihil tamen uetat, te nil de* Poëtica *intelligere, licet ea intelligas quæ te intelligere profiteris: nempe ſcis ea, quæ ante* Poëticen *cognoſci debent.* Poëticen *certè non calles, quemadmodum ille, non medicinam, ſed quæ medicinam præcedunt, intelligit. Similis ratio in hac facultate reperitur: nam inuentio rerum multiplex, egregia uerborum artificia, breuitates, ſimilitudines, ſententiæ, diſpoſitio & orationis contextus, artem quidem præcedunt: noſcere autem, quam & quando illa uim habeāt, quibus, & quouſq; ſingula ſint adhibenda, hoc inquam unum in maximis oratorum laudibus ponitur, & collocatur, nam ut ratione quoque agatur, certum eſt, quod oratoris facultas ad alios accommodatur, eſt enim ex earum rerum numero, quæ ad aliud referuntur, quarum natura eſt, hoc ipſum eſſe, quod ad aliud reſpiciunt, ita ut uno cognito, & perſpecto, aliud quoque noſcatur.* Vnde *iam patet, quòd qui non nouerit, quæ quibus, & quando adhibeat, cum perfectæ cōparationis, & relationis uim, in qua ponitur hæc facultas, non habiturum.* Aureum *hoc* Platonis *præceptum in ipſo memoriæ* Theſauro *collocatum prudenter cuſtodias, & immortales* Deo *gratias cùm illud obſeruaueris habeto, cui ſoli ſit honor, & gloria.*

FINIS.

Joannes Leo ... legebat 1566.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... EMANUELE

